




REGUM PARIUMQUE
MAGNÆ
BRITANNIÆ
HISTORIA GENEALOGICA.



Lapis marmoreus rudis est,
(ita namque erudito Buchanano describitur)
cui, tanquam throno, BRITANNIÆ simulacrum insidet:
insidet autem ei, quia fatum Regni Scotici in eo consistit,
ut id quidem diu jam vulgus sibi persvasissimum habet;
quare etiam *cathedra fatalis* Leslæo dicitur.
Celebratur porrò antiquis illis versibus:
Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum
Inveniunt lapidem, regnare tenentur ibidem.
Nec minùs lepidum est, quod de lapide fabulantur,
in fundo hujus solii ligneo contento;
quasi Patriarcha Jacobus, germanum fugiens,
super eo quietem ceperit:
In illo sanè prisci Scotiæ Reges coronari soliti,
usque dum ab Eduardo I. R. Anglorum in Angliam translatus fuit,
& qui postea in eo semel consederunt,
an quietem ante mortem ullam unquam viderint,
ex historiarum monumentis vix ulli apparebit.
Implevisse tamen prædictionem Jacobum I. existimant,
qui Angliæ regnum cum Scotico felice nexu copulavit.
Enimverò longè verius certiusque augurium est firmitudinis,
quod ex virtute Incolarum, uti rectius, capitur.
Fortitudini igitur Nationis, ex omnium fortissimis collectæ, alendæ, acuendæ,
Ordo inter alia exortus atque institutus est *S. Georgii*;
Colloque torques vinculumque supremi
Honoris ergô aptatur aureum cruri;
Juxtaque dexter *Hercules* favet cœpto,
Pallas que non invita robur invitat
Virûm quod usquam est, ad pares potens ausus.
Ad opulentandos tandem universos in regno homines,
ipsa soli in salo felicitas, an salacitas potius?
quæ fœcunda Deæ *Copiæ* designatur præsentia,
locorumque situs, atque ad mutandas merces commoditas,
unde expedita in omnes terrarum tractus est *Navigatio*,
socias præbent manus.
Sed non minor animorum ferocitas, quàm agrorum feracitas
deprehenditur passim æquè ac reprehenditur.
Mirum proinde populi *Fatum*, ad populandas vires ejus nimias
suoque accidendas tempore comparatum;
idque inde Mercurii caduceo, colo inde instructum videre est,
sub pede autem ejus altero ingentem truncum,
avulsumque humeris caput & sine nomine corpus.
Quæ ponè ergò conspicitur *Furiarum maxima*, hydris armata,
facemque ardentem quatiens,
plurimum negotii, laboris & sudoris sibi his in oris esse tragicùm spirans
suo more lætatur.
Paulò denique remotius ab oculis *Amphitheatrum* nullo ævo ita curiosos
fugerit arbitros,
quin depictis longa serie agnitisque tam Regibus quàm Reginis,
decus cuique suum, dedecus etiam, utili factorum commemoratione,
sint repensuri.
O sacer & magnus vatum labor!



Joh. Jacob de Sandrart inv. del. & sculp. Norimb.


BIBLIOTECA NAZIONALE V. E.
ROMA

REGUM PARIUMQUE MAGNÆ BRITANNIÆ HISTORIA GENEALOGICA.

QUA

VETERUM JUXTA AC RECENTIUM
IN ILLA FAMILIARUM

Origines, Stemmata, & Res Memorabiliores,
Ordine ad noviſſimum Angliæ ſtatum aptato,
recenſentur atque explicantur,
additis

ÆNEIS INSIGNIUM TABULIS
ET
INDICE NECESSARIO

Studio ac opera

JACOBI WILHELMI IM-HOFF.



NORIMBERGÆ,
Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ ENDTERI
Filiorum.

ANNO M DC XC.

12 fr

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

MAURITIO

WILHELMO

DUCI SAXONIÆ JULIACI,
CLIVIÆ ET MONTIUM,

POSTULATO ADMINISTRATORI
EPISCOPATUS NAUMBURGICI,

LANDGRAVIO THURINGIÆ,
MARCHIONI MISNIÆ ET UTRIUSQUE
LUSATIÆ,


COMITI PRINCIPI HENNEBERGIÆ,
COMITI MARCÆ ET RAVENSBURGI,
DYNASTÆ RAVENSTEINII,



FELICITATEM P.

AUTOR.




ERENISSIME PRINCEPS!

Illuſtris de Divina indole Tua fama cùm in Tui venerationem me jam dudum rapuiſſet, & tacita quadam admiratione, eaque timidiſſima, defixum hactenus tenuiſſet; tandem perpulit, ut novo hoc opere, exili quidem, nec gratiis omninò propitiis ſuſcepto, in lucem prodeunte, velut ſigno dato proſilirem, & obſequium Tibi cultumque publico monumento deferrem. Confidenter nimis fateor: nam quid eſt ad Tuam Magnitudinem mea mediocritas? aut quid hic dignum oculis, ingenioq; Tuo? cujus ſublimitatem atque abundantiam omni laude majorem eſſe, Tui pariter & exteri, quibus illam vel ſemel coràm venerandi felicitas obtigit, uno teſtantur ore. Neque hæc indignitatis meæ conſideratio nunc demum

demum mentem ſubit,ſed cum primo ſtatim impetu percuſſit animum, & diutinos cum fronte mea calculos poſuit, ita ut remoraretur illum & tantum non inhiberet. Sed animum addidit atque audentiorem, quam naturá ſum, fecit fiducia tum ſummæ humanitatis Tuæ, ultrò venerantium vota provocantis, tum immenſi illius amoris, quo Te liberalia ſtudia & illuſtres diſciplinas complecti & proſequi inaudivi; illa coli à Te prædicant non ambitiosè, ſed interius ac ſolidius, iis Te paſci, iis delectari, iis in laborum lenimentum curarumque laxamentum uti, iisdemque deditos & quocunque doctrinarum genere præſtantes viros lubenter admittere, alloquio, convictu & obvia etiam ignotis comitate Tibi obſtringere, nec tamen quidquam magis in aliis admirari, quàm quo ipſe antecellis; ut adeò prorſus in Te quadret, quod in virtutibus Conſummatiſſimi Romanorum Scipionis Africani Vellejus commemoravit, videlicet quod tam elegans liberalium ſtudiorum omnisque doctrinæ & auctor & admirator fuerit, ut præcellentes ingenio viros ubique ſecum habuerit, neque quisquam eo elegantius intervalla negotiorum otio diſpunxerit. Nimirum pro incomparabili judicii Tui rectitudine ita animum induxiſti, nihil eſſe pulchrius, nihil laudabilius Erudito Principe, neq; armorum magis, quàm literarum gloria illuſtrari ſummo loco natum; quæ ſententia menti Tuæ penitus infixa Te tanto magis ſupra cæteros Principes attollit, quanto pleroſque pænè in ordinem cogit hoc ipſum, quod hanc laudem eſſe privatorum arbitrantur. Econtra Tuam Celſitudinem æternæ famæ, quæ inde paratur, ſtudio flagrantem haud præterit, non niſi è perfecta virtute perfectam oriri laudem; illis autem perfectam non ineſſe virtutem, qui eam non ut primum bonum, ſed alterius boni, vel divitiarum vel honorum cauſa quærunt: quarum rerum cupiditate adducti humilis fortunæ homines ſcientiis animum excolere & magnarum artium ad virtutem ducentium in ſtudiis vigilare plerumque ſolent; omni quidem laude non defraudandi, perfectam tamen non aſſequentes. Verùm ſi quis exiſtit è viris Summatibus, & naturæ fortunæque commodis affluentibus, qui virtutem ſe ipſa contentam, nihil appetentem, quod extra ſit, ſequatur, qui unam diligat, qui ipſam propter ipſam, non propter aliud expetendam ducat; hic eſt, quem Dii præter cæteros diligere putantur, cui eam mentem dederint, ut ſupra cæteros ſaperet, veriſſimis adeò laudibus ornandus. Tua hæc eſt, Celſiſſime Princeps, Tua inquam hæc maximè laus eſt: cum enim Tibi aut ad ſplendorem, aut ad opes, aut ad dignitatem nihil ferè poſſet accedere, nihil hujusmodi ſpectans, virtutis amore captus, cujus pulchritudinem animo cerneres, effeciſti ſtudio æque ac ingenio, ut cum eſſes omnium genere illuſtriſſimus, idem & ſis & habearis doctiſſimus; eaque claritudine & tanquam ſummus ingeniorum æſtimator ac fautor, ubicunque

literis honos est, in animis hominum regnes. Itaque me quidem è grege plebejorum ingeniorum ingens fulgentissimæ indolis Tuæ admiratio inflammavit, nihil unquam ut ardentius optarim, quam inter obsequiorum sincera certamina meæ quoque devotionis documentum aliquod Tibi extare; ut adeò temperare mihi nequiverim, quin Majestati nominis Tui, cui equidem nil nisi exasciatum & ætatem laturum consecrari deberet, levidensi hoc munere litarem. Pensabit argumenti dignitas scripti vilitatem. Stemmata hic enumerantur, & summa rerum gestarum capita referuntur, Regum clarissimorum, gentisque non minus inclutæ quàm crebra fortunæ varietate ab omni memoria insignis, cujus maximè acta novissima, portentis simillima, stupet orbis, eorundemque eventum attonitus & inter spem metumque suspensus expectat. Patent hic miræ fatorum vicissitudines, singulares & perrari casus, frequentes regnorum translationes, Imperantium & parentium virtutes vitiaque; ita ut hîc quoque, sicuti in plenis historiarum annalibus, non desint magna exempla, quorum regula consilia nostra & actiones dirigamus, & ex quibus quæ vitanda nobis sint, quæ expetenda, doceri possumus; id quod proprium historiæ bonum, & communis illorum, qui annales evolvunt, utilitas esse solet. Quamquam Tua, Dux Illustrissime, alia quædam conditio est: neque enim Tibi, si quid invenire vis egregium & imitatione dignum, confugere ad libros & peregrina arcessere exempla necesse est, neque longiùs evagari: habes etenim fœcundissimam in Serenissima familia Tua historiam; domo petas licet omnium virtutum exempla. Persequere Majores Tuos cogitando, quæ fuerit eorum in pace justitia, in bello virtus, in omni fortuna moderatio; si attendes, nihil ad gloriam domesticam requires. Eminere videbis, ne altius ascendam, instructos præclaris imperandi artibus utrumque Avum Tuum gloriosissimæ memoriæ, paternum pariter & maternum, nempe JOHANNEM GEORGIUM Electorem Saxoniæ hujus nominis I. & WILHELMUM Ducem Saxo-Vinariensem, Heroes nescias utiliores in castris an meliores in toga, manu fortes, consilii plenos, bonarum literarum artiumque & linguæ patriæ medios inter armorum strepitus Patronos ac Vindices, ditiones à Majoribus acceptas egregia difficillimis temporibus fama moderantes, tuentes augentesque, & præter decus ac gloriam nihil in vita cogitantes. Jam Divi MAURITII, Parentis Tui, doctrina, pietas & sapientia annon spectata probataque vehementer fuit, annon in animis omnium hodieque virtutis ac sanctitatis ejus memoria vivit vigetque? Horum omniumque Progenitorum Tuorum rectè facta quoniam Tu à primis annis ad hanc ætatem non modo cogitasti, sed etiam in ea tanquam

in

in ſpeculum inſpexiſti, ut inde ſumeres exemplum Tibi, (id quod jam vitâ & moribus mirificè exprimis) noctuas mihi videtur Athenas portare, qui ea fini librum Tibi offerre ſuſtineat, ut rectè inſtituendæ vitæ rationem ac doctrinam inde petas. Quarum cogitationum ſuſpicione cùm ipſa mea tenuitas & vix trivialis in bonarum artium diſciplinis ſcientia me liberet; ſolo illuſtris de mira Humanitate atque erga liberalia ſtudia propenſione Tua famæ cymbalo excitum, & ſermonibus literisque quorundam, qui Te noſtras etiam aliquid putare nugas aſſeverarunt, confirmatum, Celſiſſimo Nomini Tuo hoc opus nuncupandi impetum me cepiſſe iterum iterumque teſtor: utque hoc qualecunque donarium, quod genibus Tuis priſco more appendo, non alio, quàm obſervantiæ & devotionis meæ candidiſſimi pignoris loco habere & boni conſulere digneris, per genium Tuum ſubmiſsè ſupplico. Hujus petiti ſi à benignitate Tua damnatus fuero, Deorum vitam me adeptum putabo. Bonæ autem ſpei plenus meritò hic deſino, ſolùm hoc addictiſſimi animi votum adjeciſſe contentus, ut Deus Optimus Maximus, Præſes cuſtosque Imperiorum & Principatuum, Te cum Sereniſſima Domo inter hos bellorum turbines incolumem florentemque quàm diutiſſimè conſervet; Tibique tanto Principi vitæ largiatur Neſtoream diuturnitatem, qui virtute ac meritis nomini Tuo propitiam jam reddidiſti æternitatem.

Noribergæ XV. Kalend. April. Anno æræ Chriſtianæ M. DC. XC.

PRÆ-

::)o(::

AD LECTOREM.



Ontinuaturus telam, quam aliquot abhinc annis exorsus sum, post explicatas illustriores Germaniæ Galliæque familias nunc Britannicas Tibi, Lector Benevole, sisto, inter multa negotia pro modulo apparatus nostri, & subsidiorum, quæ ex divisa ab orbe regione obtinere potuerunt, elaboratas. Equidem ingens mihi affulgere cœperat spes majoris ac melioris de pluribus rebus notitiæ, cum Illustrissimus Baro Pagerus, *Regis Britannici ad Cæsarem Orator Extraordinarius, de hoc consilio & instituto cum urbem nostram transiret, certior factus, id non probasset tantum, sed etiam pro summa, qua pollet, comitate adjutum ornatumque ire recepisset, eo usque ut quæcunq; dubia nec satis explorata haberem, in chartam conjici sibique tradi juberet, in Angliam sine mora mittenda, & Viro summo, harum rerum peritissimo, commendanda: cumque accessisset studium Viri ex illius comitatu doctissimi & humanissimi* San-Georgii Ashii, *tum suam, tum Regum Armorum in Anglia, nexu sanguinis sibi junctorum, opem operamque polliciti, fieri non posse putabam, ut expectatione, duplici spe nixa, frustrarer. Nihilo tamen secius delusa illa, aut saltem protracta fuit: namque per tempestatem hanc bellicam, atque itinerum difficultates factum esse comperi, ut fasciculus epistolarum Excellentissimi Legati, cui & schedas nostras memoriales inserere dignatus erat, inter vias diu nimis hæserit, & serius voto nostro in Angliam pervenerit, proindeque responsa in tempore reddi, atque ad nos mitti nequiverint. Appritura autem ad huc confido, estque animus, quandocunque id futurum est, cum Curioso Lectore communia facere; quem intereà rogo, ut hoc Catone contentus esse, defectibusque veniam potius quàm severitatem commodare velit: mereri me illam facilius arbitror, quia primus, quod sciam, Germanis nostris Britannicam illam Nobilitatem exhibeo. Quidquid verò hujus est, non ex meo natum cerebro, sed ex præstantissimorum gentis illius autorum monumentis haustum & collectum esse non dissimulo: familiam inter ea ducunt* Wilhelmi Dugdalii *Regis Armorum Septentrionalis* Baronagium Angliæ, *nec non* Fr. Sandfordii *Fecialis Lancastrici* Historia Genealogica Regum Angliæ *inde à Wilhelmo Conquestore, quorum operum Anglico idiomate scriptorum prius anno 1675, posterius anno 1683. prodiit. Nec tacendus mihi est Vir Nobilissimus & augusta de Ordine Periscelidis Historia illustratus,* Elias Ashmolius, *cujus liberalitati ac humanitati tum illud Sandfordii opus, tum variarum rerum notitiam in acceptis me ferre profiteor. Quoniam verò circa Chronologiam peculiari ratione uti solent Anglici scriptores, à die XXV. Martii annum inchoantes, & tempora regnis Regum suorum dividentes, ad receptam in Orbe Christiano computationem veteremque Stylum cuncta revocavi. Cæterum allata sunt Viennà hæc scribenti literæ, à supra laudato Ashio exaratæ, quibus mora expectatorum ex Anglia responsorum adversitatibus temporum ventorumque excusatur, atque ad interrogata quædam respondetur, quo Lectorem impertire fas esse duximus. Nimirum refert Jacobum Hovvardum Comitem Suffolciæ in Libitinæ rationem venisse (id quod intra hoc quinquennium contigisse oportet) nec prolem masculam post se reliquisse, ideòque fratrem Georgium Hovvardum successorem in Comitis honore habuisse; Gilbertum Holles Comitem de Clare viventium numero itidem exemptum haud ita pridem esse, relicto filio natu maximo Johanne, eo nempe de quo in Novellis pronuper traditum est, quod filiam Ducis de Neucastle connubio sibi junxerit; porrò Thomæ Savage Comiti Rivers post mortem Elisabethæ Scroopiæ secundam uxorem esse ductam, cui Arabellæ prænomen ab autore modo citato datur, filium autem illius natu maximum & cognominem, Mylord Colchester dictum, fatis concessisse & quidem improlem, hinc ejus fratrem Richardum Savage eo nunc appellari titulo; Baronem Duresley legatione nunc apud Ordines Fœderati Belgii fungentem, Carolum Berkelejum, Comitis hujus nominis filium natu majorem esse, peculiari Regis gratia in nupero Parlamento ad Superiorem Cameram accitum. Ad extremum licet tum à me, tum à viro literatissimo & Latinorum gloria carminum præcellente* Joh. Gabriele Majero *(cui elegans iconis operi præfixæ evolutio debetur) sedulò opera fuerit data, ut quam maximè immunis à mendis hoc opus prodiret, aliquas tamen effugisse oculos nostros haud imus inficias, sed cum tales sint, ut sensum non impediant, enumerare singulas, æquitati lectoris confisus, meritò supersedeo: Has tantum notasse sufficiat, quod Tab. XXXVI. virgulæ Thomæ Butleri Vicec. Turlensis genitorem indicantes, non Johanni Butlero, sed VValtero Butlero Comiti Ormondiæ supponi debuissent, id quod etiam ex exegesi liquet; dein quod ipsemet ex lapsu memoriæ in errorem pag. 127. obvium inciderim, cum Mariam Sidneiam Henrici Herberti Com. Penbrochiæ uxorem, autorem fabulæ Arcadicæ dicerem, quam tamen frater ejus Philippus Sidneius composuit, sorori nuncupatam; quodque Tab. XCIII. omissa sit Rogeri Boyle C. Orreriæ conjux, quæ Dorothea Hovvarda, Theophili Com. Suffolciæ nata erat. Indicii denique gratia adjicimus, quod Capitibus XVI. LIX. LXXV. nec non Tabulis XXII. XXIII. XXIV. LXXX. XCIV. CXVI. & CXXXVIII recti numeri non sint inscripti, sed vel præcedentes vel sequentes; hæc aliaque paroramata ut benignus Lector condonet, iterum iterumque petimus, cumque valere & studiis nostris favere cupimus.*

PARS

PARS PRIOR
DE
REGIIS MAGNÆ
BRITANNIÆ
FAMILIIS.


R. EDUARDI CONFESSORIS.


REGUM EX NORMANNIS.


REGUM EX PLANTAGENETIS.


R. EDUARDI III.




R. STEPHANI.




HONI SOIT QUI MAL Y PENSE
DIEU ET MON DROIT


TUDOR


STUART


RICHARDI IMP.






MORTIMER C. MARCHIÆ.


DUC. LANCASTR


DUC. EBORAC.


POLE VICEC. MOUNTAGUE.


PLANTAGENET VICEC. LISLE.


DUC. ALBANY.




BEAUFORT ET SOMERSET.



CAPUT I.

DE REGIBUS ANGLIÆ ANTE WILHELMUM CONQUESTOREM.

BRITANNIAM, quo nomine Veteres omnes insulas, inter Hispaniam, Germaniam & Galliam magno terrarum spatio versus Septentrionem sparsas, recentiores eam tantum partem, quæ nunc Anglia audit, intra vallum Adriani aut Severi conclusam, comprehenderunt, antiquissimis temporibus Reges habuere, quos inde à *Bruto Trojano*, quem genti nomen indidisse nugantur, usque ad *Caduvaladrum* duos supra centum fuisse, duorum millium & septuaginta sex annorum spatium emensos, *Johannes Bromtonus* affirmare sustinuit. Cæsaris equidem & Claudii ævo, non uni, sed diversis paruisse regulis memorantur, per quos factionibus & studiis, (a) *Taciti* verbo, tracta, dum cum Romanis rerum dominis singuli pugnarunt, universi victi sunt, inque formulam Provinciæ Romanæ Britannia redacta fuit. Post annos prope quingentos, imperante Valentiniano III. quum irruentibus Gothis, Francis, Vandalisq; Romani legiones Britannicas ad Galliam defendendam transvexissent, regionem excursionibus atque immanitati Pictorum & Scotorum obnoxiam reliquere, qua tempestate multi Britanniorum suæ consulentes saluti, partim trans mare in Armoricam, novo Provinciæ huic ab se nomine imposito, partim in occiduos insulæ tractus, in Cambriam nempe sive Walliam, secessere, quos nunc solos veterum Britannorum, si ulli in Anglia sunt, genuinos posteros dicendos esse, Polyhistor *Hachenbergius* (b) censuit. Evocarunt Britanni in auxiliū contra Pictos Scotosq; è Germania Anglos ac Saxones, qui postquam ducibus *Hengisto* & *Horsa* fratribus circa a. 449. advolassent, illosq; conserta manu debellassent, arma deniq; in dominos verterunt, & Britannos, ultimo eorū Rege *Caduvaladro* sponte digresso & Romæ monasticen amplexo, sedibus avitis exuerunt, ipsi inter se fertilissimos insulæ campos in *septem* partes sive *regna* dispertiti. Primum *Cantianum* erat, quod *Hengistus* ipse condidit, & *Ethelvvolphus* finivit, Rex ab illo undevicesimus; regio qua circumscribebatur hodieq; *Cantium* audit, Cantuariensem & Rocestrensem sive Roffensem diœceses continens. Secundum regnum *Saxonum Australium*, Sussexiam & Surriam complexum, quinq; tantum Reges numerat, videlicet *Ellam*, *Siscam*, *Ethelvalchium*, *Berutium* & *Aldinium*, quē Inas Rex Occidentalium Saxonum vita pariter ac regno privavit. Tertium *Anglorum Orientalium*, Suffolcia, Norfolcia, Cantabrigia, & Eliensis Provincia constituebant, ab *Uffa* fundatum, & *Ethelberto* à Merciis ereptum. Quartum *Saxonum Orientalium* ex Essexia & Middelsexia, in qua Londinum situm est, compositum, duodecim reges ab *Erchenvvino* usque ad *Suitredum* habuit. Quintum *Merciorum*, id est, *Mediterraneorum Saxonum*, omnium amplissimum & opulentissimum extitit, utpote Huntingdoniam, Rutlandiam, Lincolniam, Northantoniam, Licestriam, Darbiam, Nottingamiam, Oxoniam, Cestriam, Salopiam, Glocestriam, Worcestriam sive Wigorniam, Staffordiam, Warvvicum, Buckingamiam, Bedfordiam, & Hartfordiam complexum; id *Crida* occupavit, *Cevolphus* verò, Rex ab illo primus & vicesimus amisit. Sextum *Northumbrorum* Eboracensi & Dunelmensi diœcesibus, Lancastria, Westmorlandia, Cumbria, & Northumbria speciatim sic dicta circumscriptum, ab *Ida* conditum, regnante autem *Ethelberto* sive *Adelredo* rege quinto ac vicesimo destructum est. Septimum denique regnum *Saxonum Occidentalium* fuit, & Cornubiam, Devoniam, Dorsetiam, Somersetiam, Wiltoniam, Hantoniam, & Berkeriam comprehendit, à Rege *Cerdicio* circa a. 534. inceptum. Ex his septem regnis decantata illa *Anglo-Saxonum Heptarchia* composita fuit, inter crebra bella intestina, & varias Danorum invasiones usque ad seculum nonum utcunq; producta, quo postquam in ditionem Saxonum Occidentalium cætera cessissent regna, in *Monarchiam* redacta est.

Enimverò inter Reges Saxonum Occidentalium decimus à Cerdicio *Inas* Australes Saxones, ab

(a) *Agric. 12.* (b) *Diss. de Nob. Controv. ex Hist. Brit. thes. 16.*

antecessore suo *Ceduvalla* jam attritas, devicit ac subegit. Idem Rex pertæsus tandem rerum humanarum regnum cognato suo *Æthelbardo* tradidit, Romamque circa an. 725. profectus, consensu & voluntate Papæ Gregorii II. Scholam ædemque condidit, *ad quam* (*Matthæi Westmonasteriensis* verbis utor) *Reges Angliæ & genus regium cum Episcopis, presbyteris & Clericis in doctrina & fide Catholica erudiendi venirent; utque id perpetuæ firmitatis robur obtineret statuit generali decreto per totum regnum Occidentalium Saxonum, ut singulis familiis denarius unus, qui Anglicè* Romescot *appellatur, Beato Petro & Ecclesiæ Romanæ mitteretur; ut Angli ibidem commorantes vitale subsidium inde haberent.* Cucullam postea *Inas* induisse atque an. 728. Romæ supremum diem obiisse traditur. Septimus & decimus Saxonum Occidentalium Rex EGBERTUS fuit omnis ætatis ac memoriæ clarissimus. Hunc regio sanguine cretum fuisse, atque à Cerdicio, primo, ceu dictum est, gentis hujus Rege, paternum genus repetiisse, una omnium scriptorum est sententia, licet deductionis telam diversimode nectant; quam quidem discordiam conciliare non opis est nostræ. *Egbertus*, vir manu fortis, consilii plenus, initio statim principatus sui *Wallos* servitutis, in quam ab antecessoribus ejus redacti fuerant, impatientes, & subinde rebelles domuit, postea *Mercios* potentia sua atque opulentia se efferentes fregit, *Cantianos* autem ac *Orientales Saxones* devicit, eorumque regna suæ ditioni adjecit, *Northumbrios* denique in deditionem accepit. Hoc pacto *quinque* ex Heptarchia *regnorum* (*si Australes Saxones ab Ina subacti annumerentur*) *Rex* factus, atque adeo summa prope rerum in Britannia potitus, quo gentis suæ memoriam posteritati commendaret, Britanniæ nomen publico antiquavit edicto, insulamque *Angliam*, & gentem universam *Anglos* appellari jussit. EGBERTUS igitur *primus Angliæ Rex* dicendus, atque ab eo Genealogia Regum Angliæ inchoanda erat, quemadmodum *Schemate primo* factum. Pari vero ille felicitate adversus exteros hostes pugnavit, & Danos jam sæpius Britanniæ littora invadere & prædas agere ausos male multavit, insignem de iis victoriam adeptus. Decessit provecta ætate, regnumque filio ETHELWOLPHO reliquit: Is studia religionis à prima pubertate sectatus, ordinem subdiaconatus suscepit, quo post parentis mortem à Pontifice Gregorio IV. solutus est. Crebra ipsi cum Danis bella fuere, quibus superior factus Romam ex voto migravit, atque ad exemplum regis Inæ *denarium annuum* ex singulis regni sui domibus S. Petro contulit, qui Denarius S. Petri (*Peterspeny*) vulgò appellari cœpit, quemque posteriores Angliæ Reges dependerunt usque ad Henricum VIII. Revertens Roma per Galliam *Ethelvvolphus* Juditham, Regis Caroli Calvi filiam, secundis nuptiis sibi adjunxit, atque in Angliam deduxit, ubi turbata cuncta à filio primogenito ETHELBALDO offendit. Is in ordinem tunc utcunque coactus, *post nobilissimi patris sui obitum effrenis* (Simeonis Dunelmensis pervetusti de gestis Angliæ Regum scriptoris verba refero) *duobus & dimidio annis imperii gubernacula rexit, & contra Christianorum traditionem, ac omnium paganorum consuetudinem thorum genitoris sui ascendens, Juditham Caroli R. Fr. filiam cum magna infamia in matrimonium duxit.* Successit ei frater ETHELBERTUS, qui *quinque annis regnum sibi commissum pacificè & amabiliter atque honorabiliter* (prædicante modo dicto Autore) *gubernavit.* Hoc vita defuncto ETHELREDUS, filius *Ethelvvolphi* tertius, summam rerum adeptus est, qui gravia cum Danis bella gessit, eorumque improsperos, quibus aliquandiu usus erat, eventus, insigni tandem victoria an. 871. pensavit. Hujus magna pars fratris ipsius ac Successor ALFREDUS extitisse memoratur. Hunc Dunelmensis *Elfredum* vocat, atque à parente quinquennem Romam cum magno militum nobilium agmine missum fuisse refert; *quo tempore Papa Leo sedi præerat, qui infantem ordinans unxit in Regem, & in filium adoptionis sibimet accipiens confirmavit.* Postquam ad regnum pervenit *Alfredus*, Romam iterum adiit, & à Papa Adriano II. coronatus est: *erat*, ceu (d) *Polydorus Vergilius* memoriæ prodidit, *tam rebus externis laudandus, quam domesticis institutis admirandus, item summo ingenio, summaque prudentia, cui ab initio principatus omnia difficillima fuerunt, deinceps verò omnia plena laboris, cæterum felicissima.* Danos novis subinde advenis, quos inter *Rollo* gentis Normannicæ in Gallia conditor erat, auctos, & magna Merciæ & Saxoniæ Orientalis parte potitos, post diuturnum atque anceps bellum terra marique ita afflixit, ut qui poterant aufugerent, reliqui vitandæ mortis causa Christianismum amplecterentur. Hos inter Vergilius *Gormonem* eorum Regem numerat, quem Alfredus loco filii habitum Northumbriis præfecerit. Parta autem pace de Christiana religione, deinde de liberalium omnium artium disciplinis; postremo de republica, bonisque hominum moribus bene mereri maximè studuit, & Oxonii Gymnasium celebritate nulli etiamnunc secundum a. 895. instituit. Ei successit filius natu maximus EDUARDUS sive *Eadvvardus* cognomine *Senior, literarum cultu*, referente Sim. Dunelmense, *patre inferior, sed dignitate, potentia pariter & gloria superior: nam multo latius quam pater fines regni sui dilatavit. Siquidem Civitates & Urbes multas ædificavit, nonnullas verò destructas reædificavit. Totam East Saxoniam, East Angliam, Northumbriam, pluresque etiam Merciæ provincias, quas Dani multo possederant tempore, manibus illorum extorsit. Merciam post obitum Germanæ suæ Egelfledæ obtinuit & possedit. Scotorum, Cumbrorum, omnesque occiduorum Britonum Reges in deditionem*

(c) *Flor. Hist. p. 137.* (d) *Hist. Angl. L. 5. p. 99.*

tionem accepit. Domesticum etiam bellum à fratre ETHELWARDO Danorum instinctu auxilioque sibi illatum prospera, qua ille occisus fuit, pugna confecit. Ex *Concubina* nomine *Egwyna*, quam inter venandum forte conspectam adamare cœpit, quamque *nobilissimæ mulieris* elogio *Dunelmensis* honestavit, filium primogenitum eumq; in regno Successorem ADELSTANUM, è legitima verò uxore *Edgyna* plures utriusque sexus liberos suscepit. Præter eam alia adhuc conjux Eduardo à *Wilhelmo Malmesburiense* tribuitur, videlicet *Alfleda*, Eazelmi Comitis gnata, quam filiarum illius omnium in Schemate expressarum, prætereaque marium duorum *Ethelwardi* & *Edwini*, Edgynam verò Regum *Edmundi* & *Edelredi* tantum matrem extitisse tradit.

ADELSTANUS vitium natalium multis emendavit virtutibus strenuisque factis, Wallos & Scotos vicit ac fugavit, Northumbriamque Danis cum eorum rege Guthferto, Sihtrici filio, ejectis in suam redegit potestatem; nece verò fratris EDWINI, quem affectati regni delatum in mari fecerat submergi, labem sibi aspersit, quam equidem voluntaria VII. annorum pœnitentia nec non supplicio delatorum expiare studuit. Exemtus rebus humanis regnum EDMUNDO fratri reliquit: Is Cumbriam Regi Scotiæ Malcolmo tradidit ea lege, ut partes Angliæ Boreales ab externorum & piratarum invasionibus protegeret. Interfecto à sicario, dum ex ejusdem manibus [illegible] erum suum ereptum iret, successit frater EDUARDUS sive *Eadredus*, eo quod gnati illi[illegible] oli regiminis præ ætate pares nondum essent; extolluntur ejus pietas, atque in domandis Northumbriis, Duce Inicio quodam rebellantibus, dexteritas. Postquam fatis concessisset, regnum adiit EDWINUS sive *Eadwinus*, Edmundi Regis & Sanctæ Algivæ reginæ filius, & apud Kingstoniam ab Odone Cantuariensi Archiepiscopo regiam unctionem accepit. Is cum in libidinibus turpissimis ac incestis se volutaret, omnemque regni curam omitteret, aut imprudenter ageret, à Merciis & Northumbriis contemtus ac derelictus, fraterque ejus EDGARUS in Regem ab iis electus est, ita ut res regni publica inter ambos dispertita esset, *Thamesi* amne regnum utriusque terminante, usque dum *Edwino* mortuo *Edgarus* universam Angliam sub imperium suum reciperet. Huic *Pacifici* cognomentum pacis studium primum ipsi habitum peperit, cui parandæ & servandæ ingentem instruxit classem, eamque circa oras maritimas tripartito locavit, ut piratas, Angliam continenter infestantes, aditu prohiberet; quare insulas etiam circumjectas suæ potestatis fecit, Scotosque & Wallos in officio continuit, regulis illorum in singulare fidei & obsequii formulam adactis: refert enim *Matth. Westmonasteriensis* (e) quod a. 974. *Rex Pacificus Eadgarus ad urbem Legionum veniens, ab octo subregulis suis, Kinedo scilicet rege Scotorum, Malcolmo Cambrorum, Macona rege Monæ & plurimarum insularum, Dufnal rege Demetiæ, Siferth &c Hywel regibus Walliæ, Jacobo Rege Galwalliæ, & Jukil Westmariæ juramentum fidelitatis acceperit, & postridie cum illis navim ascendens, subregulis ad remos locatis, ipse gubernaculum arripuerit, naviculamque per cursum fluminis peritè dirigens multis admirantibus & simili navigio sequentibus magnatibus universis à palatio usque ad monasterium S. Johannis Bapt. navigaverit, divinisque ibi expletis ministeriis eadem pompa ad palatium remeaverit, dum id intraret dictitans: tunc demum quemque suorum Successorum se posse gloriari Regem fore Anglorum, cum tot regibus sibi obsequentibus, talium pompa potiretur honorum.* Fertur præterea Edgarus Walliæ regulo vectigalis nomine *trecenta luporum capita annua*, nec non facinorosis certum eorum numerum pro delicti modo imperasse, unde triennii spatio omne id nocuum bestiarum genus ex Anglia extirpatum sit. Idem Ecclesiasticam disciplinam restituisse, malos mores bonis emendasse legibus, & Presbyteris sive Canonicis secularibus soli servientibus ventri, è sacris Collegiis facessere jussis, monachis, qui tunc sanctimoniæ famam habebant, ea replevisse prædicatur. Quæ res pessimè illos ussit, & regnante EDUARDO II. Edgari gnato ac Successore turbis & tumultibus ansam præbuit, ignem subjiciente *Alfreda*, Regis noverca: eam dira filio suo regnum parandi cupido usque adeo transversam egit, ut *Eduardum* summæ pietatis ac optimæ frugis juvenem tertio regni sui anno, cum is fortè inter venandum in villam, ubi degebat, diverteret, & poculum ab ipsa sibi porrectum, hauriret, per sicarium à tergo confodi curaverit. Corpus ejus divinis postea honoribus cultum, ipseque Martyrum & Sanctorum in censum relatus est. Nefanda hac via regno potitus ETHELREDUS, Edgari ex Alfreda modo dicta filius, væcors homo, otio ac luxui deditus, artiumque pacis pariter ac belli expers, res Anglorum, quæ ad summum pervenerant fastigium, collabi, atque ad interitum præcipiti gradu ruere passus est: namque Dani capta imbellis Principis occasione, primùm insulæ maritimæ loca præsidiis destituta suam in potestatem haud difficulter redegere, atque inde intimius penetrantes omnia passim diripuere, cumque Ethelredus pacem ingenti auri vi mercatus immane consilium de Danis, quotquot utriusque sexus Angliam incolebant, uno die trucidandis cepisset, atq; a. 1002. executioni mandasset, *Sveno* Rex Danorum hac suarum laniena (in qua & soror ejus *Gunilda* Palingi Comitis uxor periisse memoratur) irritatus, numeroso cum exercitu Angliam ad expetendas popularis sanguinis pœnas invasit, cædibus ac incendiis cuncta perpopulatus, donec *Ethelredo* fugato & regno exuto, insula omnis certum reciperet imperii Danici jugum.

(e) *Flor. Hist. p. 192.*

SCHEMA PRIMORUM ANGLIÆ REGUM

EGBERTUS REX ANGLIÆ PRIMUS e Regio Saxonum Occidentalium genere prognatus † a. 837.

ETHELWOLPHUS REX ANGLIÆ II. † 857.

1. ETHELBALDUS REX ANGL. III. † 858. Ux. *Judith noverca.*

2. ETHELBERTUS REX ANGL. IV. † 863.

3. ETHELREDUS REX ANGL. V. † 23. April. 872.

Elfleda Uxor *Ethelredi Principis Merciorum* † 10. Jun. 919.

EDUARDUS I. cogn. Senior REX ANGL. VII. † 924. Ux. 1. *Egvvyna.* 2. *Elgiua Sigelini Comitis, Domini de Meapham, Cantiae, & Leanham fil.*

---

1. ADELSTANUS REX ANGL. VIII. † ær. 23. Nov. 940.

2. Edvvinus in mari submersus 933.

EDMUNDUS REX ANGL. IX. † 948. *S. Elfgiva.*

ETHELREDUS REX ANGL. X. † 954.

EDWINUS REX ANGL. XI. an. 958. regno pulsus. Uxor *incomperta.*

EDGARUS cogn. Pacificus REX ANGL. XII. † 975. Uxor. 1. *Elfreda Balduini II. C. Flandr. f.* 2. *Alfreda Ordgari D. Cornub. f. Ethelvvoldi vid.* 3. *Wulfreda.*

Richildis nup. *Theodorico C. Barri, Duci Mosellano.*

1. EDUARDUS Martyr REX ANGL. XIII. occ. 977.

2. Edmundus † 971.

ETHELREDUS REX ANGL. XIV. † 23. Apr. 1016. Ux. 1. *Elgiva Theodoredi Com. f.* 984. 2. *Emma, Richardi I. Duc. Norman. f.* 1002.

3. Egitha, *monialis.*

---

1. EDMUNDUS II. cogn. *Ironside* REX ANGL. XVI. occ. 1016. *Algida Segeferti vid.*

Edvinus.

Adelstanus.

Edigna Ux. *Eustachii C. Bonon.*

2. EDUARDUS cogn. Confessor REX ANGL. XX. † 6. Jan. 1066. *Edytha, Godvvini C. Cant. fil.*

Alfred. occ.

Goda nupt. *Waltero Medantino Com. Hereford.*

Edmundus, regno pulsus à Canuto M. decessit in Pannonia.

Eduardus itidem exul in Pannonia uxorem accepit *Agatham, filiam R. Stephani, vel, ut alii volunt, conjugem ejus, quæ Henrici III. Imperat. filia fuit, sororem.*

Edmundus.

Edgarus cogn. *Ethelingus* † in Scotia. *Margarita, Milecumbi R. Scot. soror.*

Margarita nup. *Milecumbo f. Malcolmo R. Scot.*

Christina *monialis.*

Godvvynus, Wolnothi F. Egelmari N. Egelrici, qui Edrici Streona

Svano C. Berroch. Oxon. & Glocestr. † in Palæst.

HAROLDUS primò Comes Sax. Orient. post Occid. deniq; REX ANGL. XXI. occ. 14. Oct. 1066. in præl. Hasting. *Algytha, Algari C. Merciæ f.*

Ulnochus † Salisburiæ in custodia.

Hacunus

Godvvynus.

Edmundus.

Ulpho.

Gunhildis.

N. Uxor *Voldemari sive Jaroslai Regis Ruthenorum.*

Uxor *Redburgis*

Uxor 1. *Osburgis, Oslaci, genere Gothi fil.* 2. *Judith, Caroli Calvi R. Gall. f.*

---

1. ALFREDUS REX ANGL. VI. n. 849. † 28. Oct. 899. *Ethelbitha, Ethelredi Guinorum f. Gainorum Com. cogn. Mucel i. e. Magni f.* 868. † 904.	2. Ethelswida nupta *Burthredo R. Merciorum* 853. † 888.

Elfrithus.	Ethelwardus occ. in pr. 12. Nov. 922.	Ethelgina *Abbat. Schafsbur.*	Ethelswida, Uxor *Balduini Calvi Com. Flandriæ.*

Elfleda & Ethelhildis *moniales.*	Thyra Ux. *Gormonis Regis Daniæ.*	Elgifa nup. *Sithrico Dano R. Northum.* 925.	Ethildis Ux. 2da *Hugonis M. C. Paris.* 927.	Edgina nup. *Carolo Simplici Regi Gall.*	Edicha Uxor *prima Ottonis M. Imper.*

Gunilda al. Ragnilda nup. *Erico Blodoxe Regi Norvegiæ.*	Haraldus cogn. Sapiens & Blaatand Rex Daniæ LXVII. † 980. *Gyritha, Sturtionis Regis Sueciæ soror.*	Canutus apud Hibernos cæsus.

Brunilda Uxor *Palingi Comitis.*	SVENO sive Svenotto REX Daniæ LXVIII, & ANGLIÆ XV. † 1014. *Gyritha f. Sigridis, Kolari Tostæ, Magnatis fil.*	Haquinus.	Bertrada nup. *Bernardo D. Saxoniæ infer.*

CANUTUS Magnus REX Daniæ LXIX. & ANGLIÆ XVII. itemque Norvegiæ † 1036. Ux. 1. *Alvuina, Alfridi Com. f.* 2. *Emma Normanna, Regis Ethelredi vid.*	Thyra nup. 1. *Burislao Pr. Vandal.* factoque divortio *Olao Trugonis R. Norveg.*	Estritha f. Margarita nup. 1. *Richardo III. D. Normann.* 2. *Ulphoni Comiti Anglico, satori novæ Regum Daniæ stirpis, quæ in Margarita demum, trium regnorum Domina, extincta est.*

1. Sveno designatus à patre Rex Norveg. † 1036.	HARALDUS REX ANGL. XVIII. † 1040.	2. CANUTUS, cogn. Durus vulgò *Harticnutus* dictus REX Dan. LXX. & ANGL. XIX. † 1041.	Gunilda f. Cunigunda Ux. *Henrici III. Imper.* † 1043.

C. Merciæ frater erat, Prom. Comes Cantii. Uxor. *Thyra, soror Ulphonis.*

Tosto Comes Northumbr. cr. 1056. occ. in præl. adversus fratrem. *Judith Balduini C. Flandr. f.*	Gurtho & Leofwynus occ. in præl. Hastingiconna cum R. Haroldo.	Elfgarus, *monachus* Remis in Francia.	Edytha Uxor *Regis Eduardi Confessoris.*

Origo SVENONIS (qui etiam *Svenotho* vocatur) paterna à Norvegis fuit, materna ab Anglis derivatur; generis quippe sui autorem habuit (e) *Sivardum* Norvegiæ Regulum, qui gnatam *Gotrici*, vel *Godefredi* Regis Danorum, Carolo M. coævi, uxorem nactus, posteris suis viam ad regnum Daniæ obtinendum aperuit; Septimo aut nono gradu (variant enim Scriptores) ab eo remotus *Gormo* R. Danorum in matrimonio habuisse *Saxoni Grammatico* fertur *Thyram*, Hedelredi Anglorum Regis filiam, de qua quidem apud Scriptores rerum Anglicarum altum est silentium: ne [illegible] etiam in proclivi esse arbitror divinare, quis parens ejus *Hetelredus* fuerit, eo quod primum [illegible]er & secundum hujus nominis Angliæ reges cœlibes & orbos fuisse una omnium sit sententia, p[illegible]tereaque alterutrum eorum Gormonis socerum dicere temporum supputatio vetet. Sustinuit tamen (f) *Pontanus*, qui res Danicas latinis illustravit literis, asserere, *Hetelredum* eundem extitisse, qui *Polydoro Virgilio*, aliisque *Eduardus* audit & Regum Adelstani, Edmundi & Eldredi sive Ethelredi pater fuit. Cæterum Gormoni ex Thyra natus est *Haraldus VI.* cogn. *Sapiens*, qui primus inter Reges Daniæ Christianam professus est fidem, & si Danicis Scriptoribus fides, ab avo materno hæres regni Anglorum scriptus, sed ab avunculo Adelstano in eo occupando præventus est. Haraldus *Svenonem* genuit, qui Anglis, eo quo dictum est modo, sub jugatis, quintus & decimus eorum Rex evasit, huic verò victoriæ haud diu superstes Daniæ Angliæq; regna ad filium CANUTUM, *Magni* cognomento insignitum, transmisit. Adversus hunc Angli, Danicæ servitutis pertæsi, *Ethelbertum*, in Normannia apud Ducem Richardum II. cujus sororem *Emmam* secundis sibi junxerat nuptiis, exulantem, revocarunt, qui affinis auxilio fultus postquam æquor trajecisset Canutum fudit, & in Daniam se recipere coegit, mortuusque bellum filio EDMUNDO conficiendum reliquit. Id ille, ab insigni animi corporisque robore *Ironside* (Ferreum latus) cognominatus, magna fortitudine ac contentione adversus Canutum, cum novis copiis in Angliam reversum, gessit, & denique duello finivit: temperaturi enim tandem sanguini suorum uterque Regum æmulorum singulari certamine de imperio Angliæ decertare constituerunt, quod factum in insula quadam amnis *Sabrinæ*, cui *Alney* nomen, An. Ch. 1016. & post ancipitem æquo Marte pugnam in hanc conditionem conventum est, ut regnum Angliæ ambo inter se divisum, & quidem *Edmundus* Occidentalem partem, alteram *Canutus* haberent. Mox autem Edmundo per insidias truculento mortis genere (namque alvum exoneranti ventrem, atque inguina ferro candenti furtim interscissa fuisse memorant) è medio sublato universam Angliam occupavit Danus, & cum filios ex *Albina*, quam Olao Norvego præripuerat, tantum naturales haberet, tollendis legitimis liberis *Emmam*, Regis Ethelredi viduam, uxorem duxit, firmandæque cum Normannis amicitiæ Duci eorum Richardo II. Emmæ fratri tunc viduo sororem suam *Estritham*, quæ & *Margarita* voc[illegible], nuptui dedit. Eam verò cum ille postmodum levi de causa repudiasset, receptam *Ulpheni* [illegible]niti Anglico locavit. Collisus postea cum Duce Normanniæ Roberto II. & prope in bellum implicitus, prætereaque nuncio de rebus & obitu filii sui *Svenonis*, Norvegiæ præfecti, perculsus, in adversam incidit valetudinem, qua consumtus supremum diem obiit, Vintoniæ Anglorum sepultus, postquam annos XXVII. Daniæ, Angliæ vero XXIV. ac denique VII. Norvegiæ præfuisset. Angliæ proceres cognita Canuti morte concilium creandi Regis causa Oxonii eo ipso anno, qui seculi XI. septimus supra trigesimum erat, habuere, in quo HARALDUS, quem pater ad Normannicum bellum proficiscens insulæ præfecerat, plurium suffragiis, morante in Dania diutius Canuto, Rex proclamatus est. Is à paternis moribus desciscens, violentia & injuriis imperium inchoavit, Emmam novercam proscripsit; sed brevitas vitæ famæ ipsius consuluit; nam post annum quam regnare cœperat circiter quartum, ad plures abiit. CANUTUS verò cogn. *Durus*, quem vulgò *Harticnutum* vocant, paulò ante ejusdem obitum, instructa cum classe Brugas in Flandria ad Emmam matrem illic exulantem profectus, ibidemque de rebus ac morte Haraldi certior factus, Angliam petiit, & Londinum delatus, animis lubentibus exceptus, omniumque votis Rex declaratus est. Initium regnandi à vindicta fecit: nam memor injuriæ sibi pariter ac Emmæ matri illatæ, Haraldi cadaver, vix apud Westmonasterienses terræ mandatum, exhumari, ac capite truncatū in Thamesin jussit projici, de principibus etiam, quod regnum se præterito illi detulissent, pœnas sumsit, populumque tributis expilavit. Inde Emmam in regnum revocavit, ejusque nec non *Godvvini* Cantii Comitis consilio plurimum usus est. Vivendi finem fecit biennio postquam regno potitus fuisset morte subitanea; invitatus enim à viro principe Osgodo, qui filiam suam Comiti Danico, Tovoni Pruden dicto, elocarat, ut nuptiarum interesset solemnibus, agensque hilarius inter ipsa vina rosasque concidit & expiravit, haud sine veneni suspicione. Quoniam hæredem ex se nullum reliquit, accidere visa est Anglis facultas in libertatem se vindicandi, itaque ALFREDO, R. Ethelredi ex Emma gnato clam accersito, in Danos passim irruerunt, eosque partim ciciderunt, partim insula exturbarunt, sancita communi consensu lege, ne posthac ullus ex Danis apud Anglos in perpetuum Rex crearetur, quemadmodum (g) *Polydorus* memoriæ prodidit. *Alfredum* in Anglia sine

(e) *Pont. rer. Dan. L. 5. p. 178.* (f) *Ibid. p. 130.* (g) *Hist. Angl. L. 7.*

sine mora profectum *Godvvinus*, Cantii Comes, regnandi cupidine præceps datus, inopinantem in itinere cum toto comitatu interfecit; neq; id apud proceres dissimulavit, sed facti atrocitatem verbis & rationibus lenire studuit, autorque extitit, ut ad evocandum ex Normannia suo nomine EDUARDUM virum optimum, fratrem Alfredi, ad capessendum regnum legatos mitterent; sperabat enim mitis ingenii Principem suo regere arbitratu. *Eduardus* cognito suorum desiderio à Wilhelmo Duce Normanniæ opera atque opibus adjutus, in Angliam optato rediit, & maximo applausu Rex salutatus est. Licet verò Godvvini filiam in matrimonium duxisset, graviter tamen cum illo dissidere cœpit, ita ut utrinq; bellum pararetur; facta autem reconciliatione, non intercesserunt multi dies, cum Godwinus discumbens cum Rege, postquam exprobratam sibi ab eo fratris *Alfredi* cædem amoliturus, diris se devovisset, & imprecatus esset, ut si unquam quicquam in Regem aut ejus fratrem machinatus esset, Dei nutu frusto panis, quod tunc in os ingerebat, suffocaretur, subito præclusis & obstructis faucibus extinctus est. Ab eo tempore quietè regnavit *Eduardus*, paceque sua ad restaurandam pietatem, revocandam in forum justitiam, ac reducendos bonos mores honestissimè usus est, & facere rectè cives suos Princeps optimus faciendo docuit. Fertur etiam habuisse divinitus eximiam pietatis suæ munus *strumosos solo sanandi tactu*, quod jure quasi hæreditario posteriores Reges sibi sumere consueverunt, hodieque festis diebus anniversariis ostentant. Post facta verò, quorum legem quarto & vigesimo regni sui anno implevit, *Sancti & Confessoris* encomio cultus est, & servantur adhuc *vestes* ejus & *sceptrum cum columba*, denotandæ pietatis suæ, inter Regalia. Quoniam prole carebat, regnum sive per donationem mortis causa, sive per testamentum *Wilhelmo* cognomento Normanniæ Duci bene de se, dum exulasset, merito, eidemq; sobrino suo materno, legasse traditur, præterito gentili unico tunc superstite, nempe EDGARO, cui cognomentum *Ethelingio* fuit, R. Edmundi II. nepote è filio EDUARDO, qui Anglia una cum fratre natu majore EDMUNDO à Svenone pulsus, atq; in Pannoniam delatus, asylum ibidem & uxorem liberosque reperit.

Verum enim verò simul ac Rex *Eduardus Confessor* rebus humanis exemtus fuit, HARALDUS, *Godvvini* Cantii Com. ex *Thyra* (quam sororem Ulphonis Canuti Magni sororii fuisse *Pontanus* (i) ex *Adamo Bremensi* adversus scriptores Anglicos, quibus ipsius Canuti Magni soror audit, evicit) filius, regiæ domus Major & autoritate pollens, regnum præoccupare conatus est, cumque fluctuarent proceres inter varia consilia, se regem dicere, & diadema sine inaugurationis ceremoniis ipse sibi imponere sustinuit: quæ ut certis nunciis Wilhelmo Normanno allata sunt, misit is iterata vice legatos in Angliam, qui *Haraldum* officii & promissorum antehac sibi factorum commonefacerent: ferunt enim cum R. Eduardus Normanno Regnum pollicitus esset, Haraldum sponsorem intervenisse, addita etiam conditione, se posterioris filiam in uxorem ducturum. Detrectante verò illo alterotrum præstare, prætereaque contumeliam repulsæ addente, arma Wilhelmus paravit, dum *Haraldus* interea domesticis distringeretur turbis à fratre *Tostone*, qui ei invidebat, concitatis, & denique in apertum bellum prolatis: auxiliis enim Balduini Com. Flandriæ soceri sui iste primum usus, sed in Lincolnia fusus, & in Scotiam fugatus, Regem Norvegiæ Haraldum Harfagam in spem Anglici regni evocavit, qui cum magna classe in Angliam profectus & obvia quæque populatus, tandem prælio victus atque una cum Tostone cæsus est. Qua victoria elatus *Haraldus* Wilhelmo Normanno, qui interim cum copiis in Anglia appulerat, ferociter obviam volavit, & castris apud *Hastingam* collatis pugnam decretoriam d. 14. Oct. a. 1066 magno animo iniit, verum post cruentum ac pertinax certamen, & immensam utrinq; stragem editam sagitta caput transverberatus cecidit, victoriamq; cum regno Normannis reliquit. Filiam ejus refert è Saxone *Pontanus* (i) cum duobus fratribus in Daniam ad Regem *Svenonem Estritium*, Ulphonis, qui R. Canuti M. sororem in matrimonio habuit, filium, profectam, atque ibi illo adminiculante, Ruthenorum Regi *Valdemaro*, qui & *Jaroslaus* appellatur, nuptam, natamque ex ejus deinde filia esse *Magni Valdemari* illustrissimam prosapiam.

Heraldica congruis passim locis interserere quia fert animus, notasse hic sufficiat, incerta esse & commento affinia, quæcunq; de insignibus Regum Angliæ, quos primo hoc capite & schemate recensuimus, in medium proferri solent, cum dubium non sit, quin illorum ævo nondum recepta fuerit digmatum consuetudo. Quare *Mevetnerius* Vindex rerum Heraldicarum, ne quidem illam admittit tesseram, quæ vulgò *Eduardo Confessori*, postremo è Saxonum gente Regi, tribuitur, quamque universis ex eo genere regibus in usu fuisse *Author notit. Angl.* tradit, nempe *Crucem auream quatuor merulis ejusdem metalli stipatam in campo cæruleo*, sed ex nummis perperam in rationem insignium tractam fuisse statuit, quemadmodum Celeb. *Spenerus* (k) refert. Ex Danis autem ortos Reges iisdem insignibus illo jam seculo usos esse, quibus *Daniæ reges* hodieq; uti solent, videlicet *leopardis tribus in area aurea rubeis corculis sparsa*, dictus notitiæ Angliæ autor cùm aliis affirmare sustinet.

CAPUT

(h) *Rer. Dan. L. 5.* (i) *Ibid.* (k) *Op. Herald. P. 2. c. 5.*

CAPUT II.

DE FAMILIA R. WILHELMI CONQUESTORIS nempe NORMANNICA.

IN relatione conquisitionis regni Angliæ, per *Wilhelmum* II. *Normanniæ Ducem* armis factæ, unde *Conquestor* cognominatus fuit, principium ab origine ejus repetendum est; neque enim minus illustre habuit genus, quam imperium. *Inter septentrionales Europæ nationes maximè olim eminuere Dani, Suethildi ac Normanni* (Hadr. Valesii (a) verba mea facio) *qui subactis finitimis populis tria regna non obscura condiderunt, & Germaniam, Britanniam ac Galliam multis ac sævis incursionibus vexarunt. Et Normanni quidem Caroli M. & Ludovici Pii principatu piraticam exercuere, deinde majore classe contracta Germaniæ regiones maritimas ac litora Galliæ vastavere. Post Ludovici Pii obitum orto inter tres ejus filios bello civili gravissimo, Normanni ipsi hac occasione multo quam ante atrocius crebriusq; sævierunt, & nunc junctis in unum viribus, nunc divisis classibus uno tempore diversis ex partibus Galliam aggressi sunt, ac majora flumina adversa subeundo, loca omnia ripis fluviorum apposita igne ferroq; vastarunt. Hac sub Carolo Calvo ejusq; filio postquam passa Gallia est à variis Normannorum archipiratis ac regulis, tandem Carolus, quem Simplicem cognominant, Calvi nepos,* ROLLONEM *illorum ferocissimum cum suis, dummodo Christianam fidem amplecti vellent, in Galliæ finibus collocare constituit, consentientibus optimatibus universis. Provincia Lugdunensis secunda tum Neustria vocabatur, ea VIII. civitates continens à fluvio Ita usque ad fines Britanniæ Rolloni data est, anno DCCCXCVI. qui jam metropolin ejus Rotomagum occupaverat. Normanni sacro lavacro abluti cum duce ibi consedere, & suum regioni nomen imposuere, ita ut nunc veteri nomine Neustria, nunc novo Normannia promiscuè appellaretur.* Hæc *Valesius*. Ortum Rollonis verò ac genitorem *Pontanus* (b) edidit, è Norvagiæ Chronico vernaculo referens; *Rollonis* patrem apud *Norvagos* virum præpotentem fuisse, ac *Jarli*, quæ ibi Comitis Dignitas habebatur, potestate egisse, vocatumque ROGVALDUM cogn. *divitem*, filium autem ejus *Rollonem* ea fuisse corporis mole, ut illi vix ullus veredus ferendo esset, indeque & *Rolfonem Gaange*, quod peditem notare videtur, appellatum: cumque aliquandiu piraticam, ut tunc erat moris, exercuisset, & domi quoque, licet interdicto id vetuisset Rex Haraldus Haarfagerus, à prædis agendis haud abstineret, succensuisse ei supra modum Haraldum, ac tota Norvagia proscripsisse; *Rollonemque* ea occasione assumptis qui se Ducem sequi vellent, in Angliam primò, atque inde in litus Francorũ, quod tum *Neustria* dicebatur, instituta navigatione profectum, atq; ibi Ducatus Normannici fuisse conditorem. Vult *Matthæus Westmonasteriensis* (c) cum aliis regionem Britonum, *Armoricam* olim dictam, Franciæ regibus male parentem, Neustriæ quoque adjectam illiusque primores *Berengarium* ac *Alanum* in fidem *Rollonis* sacramento adactos, & Regis insuper sororem aut filiam *Ægydiam* sive *Gislam* nomine, matrimonio eidem collocatam fuisse, qua post paucos annos præmature & sine liberis mortua *Popam*, quam jam ante Gislam uxorem duxerat, aut potius rapuerat, hujusque dein gratia dimiserat, revocaverit, denuoque in torum adsciverit. De genere *Popæ* variant scriptores, antiquioribus filiam Berengarii Com. Britanniæ vel Bajocensis, recentioribus gnatam Guidonis Com. Silvanectensis fuisse dicentibus. Postremum *Rollo* sacris Christianis initiatus *Roberti* nomen, à susceptore, qui Robertus Comes Parisiorum fuisse memoratur, accepit, filiumque ac successorem in ducatu post se reliquit WILHELMUM à *Popa* genitum, quem etiam ROBERTUM vocant, & ab ense longiore, quo cingi solebat, *Longaspatha* cognominatum fuisse referunt. Hunc Arnolphus Comes Flandriæ per insidias è medio sustulisse traditur, patrem è *Sprotha*, cujus origo incerto stat talo, *Richardi I. Ducis Normanniæ*, qui juxta conjugem *Emmam* pellicis loco *Gunnorim* vel *Gunildam* habuit, nobilissimæ prosapiæ Danicæ virginem speciosissimam *Gemmeticensi* (d) dictam in legitimæ uxoris jus postea arrogatam, atque ex ea pater factus est aliquot liberorum, quos inter num WILHELMUS ac GODOFREDUS Comitum *de Eu* & *de Brionne* satores referendi, aut an isti alia matre editi sint, dijudicare non ausim, cum *Laroquius* scriptor Gallicus, cujus fide nostra Comitum Essuanorum sive *d'Eu* deductio nititur, ex ejus *Historia Harcurtiæ familiæ* (e) excerpta, id non expresserit. Id dubio caret, *Emmam*, quæ Ethelredo & Canuto M. Regibus Angliæ diversi generis successivè in manum convenit, nec non RICHARDUM II. è *Gunilda* provenisse. Is post primæ conjugis *Judithæ* obitum, R. Canuti M. sororem *Estritham* uxorem accepit, quam tamen brevi repudiatam fratri suo remisit.

Mortuo & juxta parentis tumulum *Fescampi* condito filius è *Juditha* susceptus RICHARDUS III. successit, huicq; sive fatorum iniquitate sive fraterno scelere, prout quidem perhibent, è vivis mature sublato, Germanus ROBERTUS II. homo secundum *Polydori Vergilii* (f) elogium, *festivus*, libe-

(a) *Notit. Gall. p. 377.* (b) *Rer. Dan. l. 4.* (c) *Flor. Hist. p. 182.* (d) *Lib. 4. cap. 18.* (e) *Lib. 4. c. 96.* (f) *Hist. Angl. Lib. 8.*

liberalis, fortis, prudens, qui suos ab omni inimicorum injuria gnaviter prohibuit, qui finitimis sæpius opem tulit, qui pauperes & inopes opibus juvit, qui deniq; in omnes liberalitate usus est. Hic captus forma *Herlevæ*, quam etiam *Harlotam* vocant, viri plebeji Falesiani filiæ, quam saltantem fortè conspexerat, illicò eam sibi copulavit, uxorisque loco habuit: puero ex eo utcunq; genito WILHELMI nomen inditum, cujus magnitudinem futuram matris somnium portendebat, dum intestina sua per omnem Normanniam Angliamque dilatari & extendi per somnum vidit. Enimverò *Robertus* cum peregrinationem Hierosolymas adornaret, quod expiandi fratricidii causa factum esse nonnulli tradunt, primores Normannorum apud Fischhamium convenire jussit, ibidemque nuncupato hærede ac successore filio suo licet *notho* & impubere illos in fidem ejus juramento adegit, atque administrationem ducatus, donec ille justam ætatem attigisset, Alano Comiti Britanniæ demandavit, tutelam verò pueri Regi Fr. Henrico I. commendavit, hujusque in manus ipsemet Luteciam Parisi. profectus eum tradidit. Voto Hierosolymis persoluto dum remigraret, Nicææ in Bithynia morbo correptus a. 1031. supremum diem clausit; quo cognito Optimates *Wilhelmum* à Rege Franciæ repetitum in Normanniam reduxerunt, cujus principatum ille post profligatos aperto Marte æmulos, quos inter WILHELMUS D' EU Comes *de Soissons*, propatrui sui filius, numeratur, *rebus* & juventa ejus ad rebellandum abusos, omniaq; discrimina undique objecta feliciter superata, asseruit sibique constabilivit.

Postquam triginta & amplius annos egregia fortitudinis ac prudentiæ fama Normanniam rexisset WILHELMUS, ad adeundam Regis Angliæ *Eduardi Confessoris* successionem, sibi ab eo, cui tanquam amitino hospitium in exilio præbuerat, destinatam, expeditionem suscepit, & conscripto exercitu, auxiliis Imp. Henrici & Regis Fr. Philippi Jun. aucto, classe in Angliam trajecit, cum prius *Haroldum*, Godwini Comitis Cantii filium, qui regnum vi occupaverat, verbis ad officium redigere frustra tentasset, quemadmodum superiore capite dictum fuit. Facta in Sussexiæ litore exscensione, ut per desperationem militum animos accenderet, naves vela retrovertere jussit, dumque interiora insulæ peteret, *Haroldum* cum ferocia ob recentem de Norvegis reportatam victoriam obviam sibi factum uno apud Hastingum prælio d. 14. Oct. 1066. debellavit, & vita regnoque exuit. Exinde Londinum sine mora profectus victricia signa urbi intulit, seque inaugurari & regiis insignibus evinciri curavit; quod factum festo Nativitatis Dominicæ, peragente solemnia Archiepiscopo Eboracense Aldredo, hac vice Canterburiensi, cui alias jus coronandi Reges competebat, prælato. Secundo regni sui anno Wilhelmus Conquestor *Edgarum Ethelingum*, Regis *Edmundi*, cui cognomen *Ferreum latus* fuit, nepotem, qui solus è familia Regum Anglo-Saxonum supererat, quod turbas civisset, Anglia ejecit, atque in Scotia apud Regem Milcolumbum sive Malcolmum perfugium quærere coegit; primores verò Anglorum Ecclesiasticos pariter & seculares, qui plerique illius consiliis participaverant, dominiis, prædiis & bonis multavit, eademque militibus ac popularibus suis lege clientelari contulit, servato sibi dominio directo, scilicet ut nemo præter Regem rectus verusque esset dominus. Postea Danos, qui ducibus filiis Regis Svenonis septentrionalia Angliæ loca infestarant, data pecunia è tota Britannia removit, septimoque regni sui anno Regem Scotiæ Malcolmum beneficiarium sibi fecit, decimo verò & tertio Cambriæ etiam, quæ & Wallia dicitur, Principem in fidem obsequiumque suum adegit, adeò *ut non minus amplificasse Angliam, quam ipse major, utpote Rex ex Duce, factus esse* dici possit. *Sigillo* denique uti cœpit, cujus anteriori parti inscriptum erat: *Hoc Normannorum Wilhelmum nosce patronum*, averso autem lateri: *Hoc Anglis Regem signo fatearis eundem.* (a) Extremum vitæ tempus filii natu maximi *Roberti* rebellio, instinctu Galliæ Regis ab eo in Normannia mota, inquietavit, quam oppressurus mare trajecit, gnatoque facilè ad obsequium reducto, de Gallis etiam vindictam sumsit, ferro flammaque Normanniæ confinia populatus; inde vero dum revertitur, ex equi quo vehebatur supra fossam saltu ilibus, quæ obesiora habebat, ruptis, in lethalem morbum incidit, ex quo post consignatam supremam voluntatem suam ætatis anno LXIV. vitam Rothomagi finivit. Defunctum non tantum deseruit, sed etiam spoliavit familia, terque relictum ejus cadaver denique filius cognominis Canii in æde S. Stephani tumulo indidit, erecto monumento, sed anno LXVI. superioris seculi vesano tumultuantium furore everso, cum hoc epitaphio:

Qui rexit rigidos Northmannos atque Britanos
audacter vicit, fortiter obtinuit.
Et Cenomenses virtute coercuit enses,
imperiique sui legibus applicuit,
Rex magnus parva jacet hac GVILLEMVS in urna
sufficit & magno parva domus Domino.
Ter sedem gradibus se volverat atque duobus
Virginis in gremio Phœbus, & hic obiit.

B ROBER-

(a) *Sandford. Geneal. Hist. of the Kings of Engel. L. 2. c. 1.*

ROGUALDUS cogn. Dives; Jarlus sive Comes ac familiaris Regis Haarfaveri in Norvegia.

Rollo sive Rolto, dictus in baptismo Robertus, Dux Normanniæ I. † a. 910.

1. Robertus al. Wilhelmus cogn. Longaspatha Dux Normanniæ II. occ. 20. Decemb. a. 943. *Sprotha, Pipini C. Veromand. fil.*

Richardus I. Dux Normanniæ III. obiit anno 960.

2. Mathildis Ux. *Odonis Com. Carnut.*	Richardus II. Dux Norman. IV. † 1026. Uxor 1. *Judith., Conanis C. Brit. f.* 2. *Estritha, Svenonis Regis Dan. fil. repudiata.*	Robertus Com. Ebroic. post *Archiepisc. Rothomag.*	Malgerius Comes Corbulensis.

Richardus III. Dux Norm. V. † ā. 1028.	Robertus II. Dux Norman. VI. † 2. Jul. 1035. *Herleva.*	Alisa nup. *Reginaldo C. Burgund.*	Eleonora ux. *Balduini Flandriæ.*	Malgerus, *nothus Archiep.* Rothomag.	Papia nup. *Gilberto Advocato de S. Walery.*

WILHELMUS cog. CONQVESTOR Dux Norm. VI. & REX ANGLIÆ *Vid. Tab. seq.*	Odo *Episcopus* Bajoc. Com. Cantii.	Robertus Comes Cornubi.	Wilhelmus II. Com. de Eu. *N. Richardi Vicec. d'Avranches fil.*	Radulphus.	Robertus.

Henricus Comes de Eu. *N. Wilhelmi Bar. de Sully fil.*	Wilhelmus Dn. de Grandcourt.

Johannes Comes de Eu. *Alisa de Albini, Wilhelmi II. C. Arondel. fil.*

Henricus II. Comes de Eu. *Mathildis de Longueville.*	Robertus.	Johannes.	Mathildis nup. *Henrico I. Bar. d'Essenteville.*

Rudolphus & Guido obierunt cælibes.	Alisa Comes de Eu, Uxor *Rudolphi de Lusignan dicti d'Issodun Dom. de Mesle.*

DUCALIS NORMANNICÆ

Uxor *Hilder, filia Hrolff Nefia.*

Uxor 1. *Popa Berengarii C. Bajoc. vel Guidonis C. Silvanect. f.* —— Gurim.
2. *Ægydia sive Gisla, Caroli Simplicis R. Gall. f.*

1. Adela nupta *Wilhelmo cogn. Teste d'Estoupes, Duci Aquitaniæ.*

Uxor. 1. *Emma, Hugonis M. C. Paris. f.* 2. *Gunnonis vel Gunnilda, genere Dana, primum Concubina.*

Emma nup. 1. *Ethelredo R. Angl.* 2. *Canuto M. R. Dan. & Angl.* † 1052.	Hedwigis Uxor *Godofredi C. Britann.* † 1034.	Wilhelmus Comes d' Hiesmes & d' Eu Dn. de Monstreul. *Lesselina de Harcourt, Turcheti Dn. de Turqueville f.*	Godofredus, *nothus,* Comes de Eu & de Brionne.
Robertus Com. de Eu. *Beatrix.*	Hugo *Episc.* Lexov.	Wilhelmus C. de Soissons. *Ada, Guidonis C. de Soiss. soror & hær.*	Gilbertus al. Helvinus C. de Brionne. *Herleva, Roberti II. Duc. Norman. vid.*

Reincrudis Com. de Soiss. nup. *Rudol. de Nesle.*	Ada Ux. *Walteri de Brienne.*	Agnes nup. *Herveo de Montmorancy.*	Richardus autor familiæ *de Clare.* *Vid. Tab. XXIV.*	Balduinus de Brionne, sator stirpis *Riparia.* *Vid. Tab. XXXI.*

SCHEMA FAMILIÆ

WILHELMUS *nothus* Dux Normanniæ septimus, **CONQUESTOR & REX ANGLIÆ XXII.** coron. d. 25. Dec. a. 1066. † d. 9. Sept. 1087. æt. 64.

Robertus III. Dux Normanniæ cogn. *Courtois* † 10. Febr. 1134. *Sibylla Godofredi C. de Conversano f.*	Richardus D. Beorniæ † juv.	WILHELMUS II. REX ANGL. XXIII. cor. 16. Sep. 1087. † 2. August. 1100. *Calebs.*	HENRICUS I. REX ANGL. XXIV. n. 1070. cor. 6. Aug. 1100 † 2. Dec. 1135. 1. *Mathildis Milcolumbi III. R. Scotiæ f.* 1100. † 1118 2. *Alisa Godofredi D. Brabant. f.* 1181.
Wilhelmus Com. Flandriæ † 27. Jul. 1128. improlis. *Sibylla d'Anjou*, cum qua facto divortio duxisse fertur *Johannam. Humberti II. C. Moriennæ fil.*	Henricus † juv.	Wilhelmus Dux Norman. n. 1102. † 26. Nov. 1119. *Mathildis Fulconis C. Andium f.* 1119.	Mathildis n. 1104. nup. 1. *Henrico V. Imp.* 1114. 2. *Godofredo Plantageneta C. Andium* 3. Apr. 1127. *hic obiit* 9. *Sept.* 1150. ipsa 10. Septemb. 1167.
1. HENRICUS II. REX ANGL. XXVI. vid. *Tab. seq.*	Godofredus cogn. *Martell.* C. Nannet. † m. Jul. 1157.	Wilhelmus † 30. Januarii 1163.	N. nupta *Davidi Pr. Nortwalliæ.*

REGIS HENRICI I.

Robertus Consul sive Com. Glocestriæ cr. 1109. † 31. Oct. 1147. *Mabel. Roberti Fiz-Hamon Dn. de Corbeil f.*	Richardus suffoc. 26. Novem. 1119. sponsus *Amiciæ Radulphi de Gvader f.*	Mathildis nup. *Rotroko Com. Percensi*, suff. 26. Novemb. 1119.	Juliana ux. *Eustachii de Pacie.*	Constantia nup. *Rozcelino Vicec. Beaumont.*	Mathildis ux. *Conanis III. Crassi C. Britan.*
Wilhelmus C. Glocestr. Dn. de Glamorgan. † 1183. Havisia Roberti Bossu C. Leicestriæ f.	Rogerus Episc. Worcest. 1164 † 1179. 9. Aug.	Richardus Episc. Bajon. in Norman. 1133.	Hamon occis. 1160.	Mabel nup. Auberio de Vere.	Mathilda ux. Ranulphi Gernonis C. Cestriæ.

Robertus † ante patrem 1166.	Mabella nup. *Almerico Montfort C. d'Evreux.*	Amicia Uxor *Wilhelmi Com. de Clare & Hertford.*

ux. *Mathildis Balduini V. Com. Flandriæ fil.* † 2. Nov. 1083.

Cæcilia *Abbat. Cantæ* † 13. Jul. 1126.	Constantia nup. *Alano C. Britann. Armor.*	Adelisa desponſ. *Haraldo Comiti.*	Adela sive Alisa ux. *Stephani Comitis de Blois.*	Gundredis nup. *Wilhel. de Warenna C. de Surrey* † 27. Maii. 1085.	Agatha † Sponsa *Alphonsi R. Galliciæ.*	Wilhelmus Peverellus *nothus*, Dn. Nottinghamii & Darbiæ. Vid. *Partis II, Cap. XXI.*

Wilhelmus Simplex Dn. *de Solejo* per uxorem quæ *filia* erat *Gilonis de Solejo.*	Theobald. Com. de Blois *Palatinorum Campaniæ sator.*	STEPHANUS REX ANGL. XXV. cor. 26. Dec. 1135. † 25. Oct. 1154. *Mathilda Eustachii C. Bononiæ f. & hær.* † 3. Maii 1151.	Henricus *Episc. Vinocest.* 1129 † 6. Aug. 1171.	Mauda nup. *Richardo C. Cestriæ*, periere ambo 26. Novem. 1119.

Balduinus † infans.	Eustachius Com. Bonon. † 10. Aug. 1152. *Constantia Ludovici Crassi R. Gall. f.*	Wilhelmus C. Mortan. & Bononiæ occ. in oppug. Tolosæ 1160. *Isabella Wilhelmi C. Warren. & Surreyſ. & hær.*	Mauda † in juv.	Maria Comes Bon. & Mortan. nup. *Mattheo de Flandria.*

LIBERI NATURALES.

Alina ux. *Matthæi I. Dn. de Montmorency.*	Reginaldus C. Cornuwalliæ † 1176. N. *Wilhelmi Fitz-Richard. f.*	Robertus. *Mathilda.*	Gilbertus.	Wilhelmus.	Henricus.	Elisabetha nup. *Alexandro Regi Scotiæ.*

Havisia nup. *Richardo de Ripariis Com. Devonensi.*	Mathildis uxor *Roberti C. de Meulent.*	Ursula nupta *Waltero Dunstanville B. de Castelcomb.*	Sara nup. *N. Vicec Lemovic.*	Meiler occ. in prælio 1197. N. *Hugonis Lacy Dom. de Meath in Hibern. f.*	Robertus.

Isabella uxor 1. *Johannis de Anglia, Com. Glocestriæ postea Regis*, à quo repudiata nupsit 2. *Godofredo de Magnavilla C. Essexiæ.* 3. *Huberto de Burgo C. de Kent.*

ROBERTUS, filiorum *Wilhelmi Conquestoris* natu maximus, *Courtois* à morum civilitate cognominatus, sive, ut alii efferunt, *Courthose*, à caligis, multas virtutes, quibus preditus fuisse memoratur, rebellione erga patrem, de qua mentio facta est, contaminavit. Promiserat ei ille Normanniæ administrationem, cunctatus verò explere pollicita, filius impatiens moræ & cupidus dominandi, impulsore & adjutore Philippo Francorum Rege, cui *Wilhelmi* magnitudo formidolosa fieri cœperat; Ducatum à genitore vi extorquere molitus est. Hic autem audito gnati motu mare cum exercitu trajecit, prælioque cum eo apud castrum *Gerbery* concurrit; in quo accidit, ut *Robertus* in parentem incideret, eundemque in brachio vulneratum equo deturbaret, mox verò cum ex voce cognovisset genitorem esse, in terram se dejiciens veniam commissi oraret, eamque paternos inter amplexus impetraret. Haud verò inultam à supremo Numine impietatem hanc abstulit *Robertus*, regno enim exclusus, pro eo sibi vindicando infausta cum fratribus *Wilhelmo* & *Henrico* bella gessit, demumque à posteriore in prælio prope *Tenarchebraiam* in Normannia d. 17. Septembr. an. 1106. commisso victus, avitum etiam Ducatum cum libertate amisit: captus enim & missus in Angliam initio Bristolii, postea in castro Walliæ Australis *Cardiff* custoditus, postea quam verò fugam aliquando tentasse deprehensus esset, sævo atque inhumano fratris jussu lumine oculorum privatus fuit; diu adhuc calamitati huic superstes, & octavo demum post vicesimum anno captivitatis suæ, contracto novo è levi causa mœrore fato perfunctus. Nimirum, referente *Matthæo Westmonasteriense* (a) cum Rex ei de more togam misisset, prius quidem à se indutam, sed arctiorem quam ut uti ea potuisset repertam, idque ab incauto lictore dictum illi fuisset, *nunc nimis*, inquit, *miseram vitam prorogavi, ex qua Rex injuriosus mihi abjectos veteres panniculos transmisit*, neque ex eo tempore cibum sumere voluit, sed tabescens mente ac corpore expiravit. Desponsa ei fuerat vivo patre *Margarita*, Heriberti Comitis Cænomanorum gnata, quæ ante consummationem matrimonii supremum diem obiit; postea cum ab expeditione Hierosolymitana, quam una cum Godofredo Bullionæo susceperat, rediret, duxit in uxorem, *Sibyllam*, Comitis de Conversano in Italia filiam. E maribus, quos ex ea suscepit, **HENRICUS** in venatione infelici casu, & illi, qui Absoloni mortem accersivit, pæne simili, periit; natu major **WILHELMUS** Flandriæ Comitatum post Canuti, genere Dani, mortem, opera Regis Franciæ Philippi Crassi a. 1127. obtinuit, jus sibi in eum ab avia paterna *Mathilde* vindicans, rejectus vero non ita multo post ob sævitiam ab Ordinibus, bellum cum Theodorico Alsato ab illis accersito gessit, eundemque prælio vicit, dum verò deinde Alostum oppugnaret, lancea in manu dextra percussus, neglecto vulnere, vita concessit, nullis post se liberis relictis. (b)

WILHELMUS II. cui *Ruffi* cognomen à crinibus inditum fuit, mortuo parente regnum ab eodem sibi destinatum occupare, fratremque natu majorem tunc absentem prævenire properavit, & tractis per Lanfrancum Archiepiscopum Cantuariensem, quo olim præceptore, cum arcanorum arbitro utebatur, in partes suas Anglorum primoribus, ab eodem d. 26. Sept. qui à genitoris obitu decimus & septimus erat, solenni ceremonia Westmonasterii coronatus ac inauguratus est. *Robertum* deinde, cum is post festum venisset, & ejus suum instinctu *Odonis* Episcopi Bajocensis, patrui sui, armis persequi se compararet, data pecunia & stipulatis 3000. Marcis annuis sedavit; redintegrantem vero bellum ob non servata sibi promissa ad veniam orandam adegit. Malcolmo Scotiæ regi in turbido piscari & prædas in Northumbria agere auso, talionem graviter retulit, & securitatis ergò obsides imperavit, reversum autem ad ingenium, & occasione secundarum *Roberti* turbarum Angliam denuo infestantem justo prælio prope *Alnwicke* an. 1092. vicit, eundemque una cum filio natu maximo Eduardo vita exuit. Egregia eo in bello virtus fuit atque opera Roberti *Mowbray* Comitis Northumbriæ; is insolentia & nimia sui æstimatione elatus, neque condigno meritis suis loco à Rege haberi sibi visus, conjurationem nobilitatis fecit, eamque ad arma concivit, Rex verò collecta militum manu, factiosos ex improviso adortus, tumultuarium bellum capto antesignano mox finivit; & demque Cambro-Britannos sæpius negocium sibi facessentes, post egregiam, quam de iis retulit victoriam, interempto eorum regulo perdomuit. Fuisse de cætero prædicatur (c) *animo maximus, fide inviolabilis, religionis nec contemtor nec cultor, avaritia verò infamis*: defuncto quippe Lanfranco Cantuariensi Archi-Episcopo, à quo ceu fræno regebatur, oppressa re Ecclesiastica, immodicis tributis durisque legibus debacchari officiaque sacra venalia habere cœpit, & primus Angliæ Regum in Sacerdotum delicta, neglecto Pontifice Romano, animadvertere sustinuit. Vitæ suæ finem infelicem sortitus est; venationi enim intentus à Waltero Tyrrello sive fortuito sive destinato sagittæ ictu interfectus est, in saltu, quem vulgo *Novam Forestam* vocabant, ubi IV. abbatias & XXXVI. templa à parente ejus destructa fuisse, ut bestiis alendis locus esset, ferunt, & Nemesi Divinæ tribuunt, quod eodem in loco tres è progenie Conquestoris, Rex nempe *Wil-*

(a) *Flor. Hist. p. 242.* (b) *Sandford. L. 1. c. 2.* (c) *Polyd. Verg. Lib. 9.*

Wilhelmus II. prætereaque *Richardus* ejus frater, nec non *Henricus*, Roberti Ducis Normanniæ filius natu minor, vitam amiserint. (a)

HENRICO, *Wilhelmi Ruffi* fratri natu minori ac successori, parens *Conquestor* certam tantum pecuniæ summam legasse memoratur; quod cum ille ægre ferret, & voce querula, quid sibi pecunia prodesset, locum quo se reciperet non habituro, genitorem interpellasset, hunc ajunt ore fatidico jussisse filium bono esse animo, & subjunxisse; omnes tandem fratrum suorum opes acditiones ad ipsum devolutum iri, eumque illos potentia longe superaturum. Implevit hoc præsagium *Henricus*, & simulac Wilhelmus Ruffus è medio excessisset, regnum affectavit, idque dum Robertus frater ejus natu maximus bello Hierosolymitano se occuparet, sive pretio redemit, sive populari favore indeptus est; erat quippe Anglis magis ac fratres ejus charus acceptusque, eò, quod à patre jam rege in Anglia genitus esset; prætereaque doctrina & ingenii cultura illos antecelleret, quo nomine *Beauclerke*, quasi dicas pulcher Scholasticus, cognominatus fuit. Postquam à Mauritio Londinensi Præsule (exulante ea tempestate Anselmo Cantuariensi Archi-Episcopo) inauguratus esset, ut se amicitiis adversus æmulos firmaret; duxit in matrimonium Scotiæ regis Edgari sororem *Mathildem*, eandemque filiam Regis Milcolumbi è *Margarita*, quæ ad Anglo-Saxonum reges genus referebat, & *Edgari Ethelingi*, de quo superius dictum, *soror* erat, natam, qua ipsa sanguinis conjunctione *Henricus* novum ad devinciendos sibi Anglos vinculum attulit. Regnum verò arte partum ut sibi assereret, beneficentia & comitate uti consuevit, rigidiores mitigavit leges, & novas easdemque salutares tulit, tributa duriora, conjecto in carcerem eorum autore Radulpho Durhamensi Episcopo, abolevit, nobilibus venandi facultatem reddidit, facinorosos, imprimis latrones, & monetæ adulteratores, gravibus suppliciis affecit, probos verò & doctos viros coluit & sacris præsertim muneribus præfecit, primus denique ordinum consessum, quem nunc *Parlamentum* vocant, instituit. Bella domi forisque gessit; primùm ei *Robertus* frater intentavit, postquam è Palæstina domum reversus esset, & subdente faces Episcopo Durhamensi, qui è custodia evaserat, copias suas in Angliam eduxit, sed antequam ad manus veniretur, missis utrinque caduceatoribus pax composita est, pactis Roberto XX. millibus florenis annuis, nec non regni facta spe, si Henrico supervixisset. Hic verò non ita multo post correptus libidine proferendi imperium ultro bellum renovavit, & trajecto Oceano totam pæne Normanniam suæ potestati fecit, eoque successu inflatus Robertum veniam gratiamque, si quid esset erratum, postulantem despicatui habuit, & ad ultimum belli casum tentandum adegit, posteaque in captum acerbè sævit, ceu è superius dictis constat, æternam eo ipso famæ nominis sui maculam inurens. Non defuere tamen, qui Robertum ultum, filioque ejus Normanniam recuperatum irent, coierunt enim in fœdus hunc in finem Rex Franciæ Ludovicus Crassus, Fulco Andium & Balduinus Flandriæ Comites, sociatisque armis bellum Henrico intulerunt, victi verò post non uno modo tentatam fortunam ingenti prælio apud *Nicasiam*, ubi Flandriæ Comes cecidit, ad pacis consilia deflexere, ea his conditionibus sancita fuit, ut Henrici filio *Wilhelmo* gnata Andini nuptui daretur, eidemque Normanniæ Ducatus à Rege Franciæ jure fiduciario concederetur; atque exinde factum, ut longo temporis tractu *Angliæ Regum primogeniti Normanniæ Duces* indigitarentur. Decessit *Henricus* in Fano Dionysii apud Neustros è morbo, quem immodico murænarum esu contraxit, annum agens quintum & sexagesimum; cadaver ejus, cum Rothomagi exenteraretur & condiretur, fœtore suo Medicum occidisse memoratur, deportatum nihilo secius in Angliam ad oppidum *Reading* in cœnobio Benedictinorum ab ipso fundato tumulatum est, sarcophago hos præter alios versus inscriptos fuisse *Sandfordius* (b) refert:

[illegible], tamen [illegible]
[illegible] regni & honestatis
[illegible] Rex notus ubique [illegible]
HENRICUS *prior, nunc tertius, [illegible] idem.*

Filium ejus WILHELMUM, quem unicum legitimum habuit, fatorum malignitas ante patrem rapuit, eodem anno quo uxorem duxerat, & Normanniæ investituram, ceu dictum, acceperat, dum in Angliam renavigaret, mersa navi gurgitibus haustum, una cum *Maria* Comitissa Percensi, sorore sua, naturali, aliisque; quare ad MATHILDEN ejus Germanam hæreditas regni & Ducatus spectabat, qua tamen, quod ad regnum attinet, spoliata fuit ab amitino suo STEPHANO Blesensi, Comite Bononiæ.

Is inter fratres suos tertius nascendi ordine, educatus in Anglia ab avunculo eodemque patrio luculento hæredis Comitatuum *Bononiæ* & *Mortaniæ* matrimonio auctus, quamvis pridem in verba *Mathildis* ac filiorum qui ex illa nascentur jurasset, attamen incitari se à fratre natu minore

(a) *Sandf. L. 1. c. 3.* (b) *L. 1. c. 4.*

minore Henrico Vintoniæ seu Vinocestriæ Episcopo passus est, ut post Henrici I. obitum neglecta ejus gnata Mathildi regnum affectaret, idque delinitis qua promissis qua donis Anglorum animis, & prolato Hugonis Bigoti testimonio, qui *Stephanum* à Rege decumbente, tunc quæ filiæ suæ nonnihil succensente adoptatum, & in jus successionis adscriptum fuisse Sacramento affirmavit, sibi arrogaret, ab Archiepiscopo Cantuariense Wilhelmo sollemniter inauguratus. Mathildis verò hanc *Stephani* usurpationem neutiquam insinuatis brachiis aspexit, sed certa jus suum armis persequi, Davidem Scotiæ Regem avunculum, prætereaque *Robertum Glocestriæ Comitem* fratrem suum naturalem cum aliquot regni proceribus in partes suas traxit, eorundemque ope bellum & vivo & mortuo marito *Godefredo Plantageneta* cum illo gessit, varia quidem fortuna, quam tamen mancipare sibi potuisset, si post Lincolnense prælium, quo victus captusque est *Stephanus*, eam pressis manibus tenuisset, ac reverenter habuisset: inflata quippe hac victoria cum uxoris *Stephani* preces, ut sibi cum marito liceret privata vita frui, prætereaque Londinensium rogationem, ut antiquas leges, quas regnante Eduardo habuerant, restitueret, insuper habuisset, alienatis plerorumque animis clam Londino Oxonium aufugere, iterumque Scotorum auxilium implorare, & denique post Vintoniensem cladem Regem *Stephanum* cum Glocestriæ Comite ea in pugna ab hostibus capto commutare, & libertati reddere coacta est. Post aliquod temporis intervallum, cum filius Mathildis natu maximus *Henricus* interea adolevisset, bellumque pro avito regno quanta poterat vi redintegrasset, utroque jam exercitu ad pugnam decretoriam intento, subito mentio pacis injecta, brevique has in conditiones conventum fuit, ut *Stephanus*, dum viveret regnum, teneret, moriens verò id *Henrico* traderet interea Normanniæ Ducatu fruituro. Haud diu verò neque ultra annum *Stephanus* huic paci superfuit, sed correptus hæmorrhoidum morbo sibi familiari, cum dolores colici accessissent, Doverii fatis concessit, postquam filios quos habuit omnes turbato mortalitatis ordine extulisset. (a) *Mathildis* econtra vitam usque ad annum tertium ac decimum regni gnati sui prorogavit; demumque sexagenaria major naturæ debitum Rotomagi persolvit, in Abbatia *Bec* terræ mandata; sepulcro ejus hoc inscriptum fuisse distichon memorant. (b)

Ortu magna, viro major, sed maxima partu
hic jacet HENRICI, filia, sponsa, parens.

E priore marito *Imperatore Henrico* V. liberos nullos, è posteriore verò *Godefredo Plantageneta* Andium Comite illos quos *in tabula* enumeravimus liberos sustulit.

Inter *liberos naturales* Regis *Henrici* I. quorum seriem propaginemque idem Schema exhibet, excelluerunt ROBERTUS & REGINALDUS. Priorem è *Nesta*, Rheesii *de Thewdor* Principis Suthwalliæ gnata, postea Geraldo *de Windsor* Comestabili Pembrocensi elocata susceptum, & postquam ad justam ætatem pervenisset, splendido atque opulento matrimonio auctum parens an. 1109. titulo *Comitis Glocestriæ* ornavit. Idem belli gloria & virtute nulli sui ævi concessisse prædicatur, habuitque existimationis, in qua versatus est, illustre testimonium, quod cum Rege Stephano & ipso fortissimo conferri, & utroque in adversæ partis potestatem delapso commutari dignus deputatus fuerit. *Reginaldo* è *Sibylla* Roberti Corbel de Alcestria gnata genito Stephanus an. 1140. titulum *Comitis Cornuvalliæ* impertivit, nihilo tamen secius ille naturale vinculum beneficiario pretulit, & Mathildis sororis suæ causam strenue propugnavit. (c)

Ducibus Normanniæ & Regibus Angliæ ex iis ortis *insignium* loco tribui solent *Leones* sive *Leopardi duo aurei gradientes in campo rubeo*; qui tamen num in usu illis fuerint, in dubium haud immerito *Sandfordius* vocat, suspicatus, eos ævo posteriore à pictoribus, quibus quidlibet audendi æqua semper potestas fuerit, scutis vacuis, qualia priscis temporibus geri solebant, illitos fuisse, & pernegans Leones ante an. 1189. & R. Richardi I. ætatem in hæreditarium Angliæ Regum digma abiisse. Regem *Stephanum* autem cum *Sagittarium* gestasse *Nic. Uptonus* (e) referat, symbolum potius quam insignia, & forte mnemosynon suscepti à se regni mense Decembri, quo sol sagittarii signum in Zodiaco pererrat, fuisse statuit.

(a) Sandf. L. 2. c. 6. (b) Ib. c. 5. (c) Ibid. c. 7. & 8. (d) Margin. ad Cap. 1. dicti libri. (e) De milit. off. Lib. 4.

CAPUT

CAPUT III.

DE FAMILIA PLANTAGENETARUM, nempe ANDEGAVENSI.

POst R. Stephani excessum Regnum Angliæ ad Andegavenses devenit: HENRICUS Andinus enim, cui respectu Genitricis suæ *Mathildis*, Imp. Henrico V. primo matrimonio nuptæ, cognomentum *Fitz-Empress* (quasi dicas *Filius Imperatricis*) tribuitur, Regni habenas jure materno partim, partim vigore conventionis cum Stephano, ceu superius dictum est, initæ, capessivit, nominis sui inter Angliæ Reges *secundus*. Vetustior quidem ejus origo, eaque paterna, à Comitibus Wastinensis pagi (*Gastinois* Galli enunciant) in Senonibus, posterior autem ab Andinis manat: ambæ enim hæ familiæ connubio *Godofredi* cogn. *Feroli Comitis Wastinensis cum Ermengardi*, Godofredi II. C. *Andegavensium* sorore ac hærede coaluere, quemadmodum ex *Schemate*, quod Excellentissimo *Greiffencranzio* in acceptis ferimus, patescit. Primus Andegavensium Comes Gallicis Scriptoribus TERTULLUS sive TERCULFUS, Merulæ *Torquatus* audit, genere Britannus: ei Rex Francorum Carolus Calvus ob præclara de se merita partem Comitatus Andegavensis, *cis Meduanam* positam, contulisse memoratur, quam ille adversus Normannorum incursiones strenue tutatus est. Filius ejus INGELGERUS I. R. Ludovici Balbi beneficio Vice-comitatum & præfecturam Aurelianensem obtinuit, hocque ortus FULCO I. cogn. *Ruber* alteram Comitatus Andini partem, quæ *trans Meduanam* est, à Comite Parisiorum Hugone Magno dono accepit. GODOFREDUS I. Fulconis nepos, cui sagulum ex lana leucophæi coloris contextum, quo uti amabat, cognomen *Grisgonella* peperit, dignitatem *Senescalli Galliæ* hæreditariam nactus est. Idem nonnullis primus Andium Comes habetur, *Claudio Morello* (a) verò non Andium tantum, sed etiam Britanniæ Comes audit, qui *insignium* loco *carbunculum radiatum*, cujus colores non distinguit, gesserit, an. 1008. superstes fuerit, & senescallatum hæreditarium a. 996. adeptus sit. FULCO III. *niger* ab habitu oris cognominatus, Conanum I. Comitem Britanniæ propria occidisse manu, & ter Hierosolymas vidisse fertur, in cujus gnato GODOFREDO II. cogn. *Martel* mascula Tertulli progenies defecit, Comitatu Andegavensi ad GODOFREDUM BARBATUM & FULCONEM RECHINUM, ex *Ermengardi*, Godofredi Martelli sorore, & *Godofredo Ferolo* C. Wastinensi prognatos successive devoluto. FULCO V. *Rechini* filius *Comitatum Meduanorum*, nec non *Regnum Hierosolymitanum* iterata nuptiarum felicitate consecutus est, hocque, postquam leporem avidius inter venandum insequendo mortem sibi accelerasset, ad filios è secunda uxore, eidemque dicti regni hærede, susceptos transmisit, quorum equidem propago cito emarcuit, transiitque illud regnum ad *Guidonem* & *Almericum Lusignanos* fratres, via matrimonii, quod prior cum *Sibylla*, alter cum *Isabella*, utraque ALMERICI R. Hierosolymitani ex Andinis filia, contraxit; hi Regum Hierosolymitanorum periodum absolverunt; licet enim postea *Johannes de Brienne* ob ductam in uxorem *Jolantham* seu *Alexiam*, quam dicta Isabella Conrado Marchioni Montisferrati, raptori suo, peperit, Regis Hierosolymorum titulum sibi sumserit, eundemque etiam Imp. Fridericus II. qui gnatam *Johannis de Brienne* in conjugio habebat, sibi adscripserit, vanus tamen is fuit, & pompæ instar inanis.

GODOFREDUS V. è priore *Fulconis* V. toro ortus, & PLANTAGENETA à *planta genista*, qua tegumentum capitis ornare solitus erat, cognominatus, Andium Comitatum ex paterna hæreditate, uxorem verò *Mathilden*, Henrici I. Regis Angliæ filiam unicam & regni hujus hæredem apparentem, eamque Henrici V. Imperatoris viduam, accepit. Atque ex hoc conjugio præter liberos alios in *Schemate* enumeratos provenit Rex Angliæ HENRICUS II. à quo *Tabulæ* V. initium ducitur. Is priusquam regno potitus esset, matrimonium cum *Eleonora* Ducissa Aquitaniæ & Comitissa Pictonum, cui Rex Franciæ Ludovicus VII. post XV. annorum contubernium repudium remiserat, contraxit, cumque ea dictis ditionibus, iisque in Gallia amplissimis auctus fuit magno quidem Angliæ non minus quam Galliæ malo: inde enim natum principium diuturni & crudelis belli inter utramque gentem plurimo hominum urbiumque excidio, misera vicissitudine gesti. Initia regiminis *Henrici* II. bene se habuisse referunt scriptores, collaudantque ejus prudentiam in deligendo consiliarios viros graves & cordatos, præterea curam salutis & tranquillitatis publicæ in pellendo è regno prædones & demoliendo castra, quæ nobiles connivente Stephano extruxerant, quibusque haud rarò in seditionem abusi erant, porrò justitiam in restaurando & emendando leges vitium passas, & denique dexteritatem in subigendo sine sanguine & ditionibus suis adjiciendo Hiberniam. Censuram

(a) *Armoiries des Connetables, &c.*

Tertullus sive Terculfus Comes Andegavensis creatus a R. Fr. Carolo Calvo.

Ingelgerus I. Com. Andegavensis, ViceComes & Præfectus Aureliani † 888. vel 889.

Fulco I. cogn. Ruber Com. Andegav. † 938. Ux.

Ingelgerus, occisus in conflictu quodam prope *Charolles* a. 935. | Guido *Episcopus Suession.* electus 937.

Godofredus I. cogn. *Grisgonella* Com. Andeg. Senescallus Fr. † 21. Jul. 987. *Adelais de Vermandois, Roberti C. de Troyes f.*

Fulco III. cogn. Niger C. Andeg. † 25. Jun. 1040. 1. *Elisabetha Buchardi I. C. Vindoc. f. & har.* 2. *Hildegardis.* | Mauritius † an. 1012. | Ermengardis nupta *Conano I. C. Britanniæ* 970.

1. Adela Com. Vindocini nupta *Bodoni de Nevers.* | 2. Godofredus II. cogn. Martel n. 13. Oct. 1006. † an. 14. Nov. 1060. *Agnes de Burgundia Wilhelmi V. D. Aquit. vid.* 1032.

Godofredus III. cogn. Barbatus Com. Andegavensis ex hæreditate avunculi † in vinculis 1097.

1. Ermengardis nup. 1. *Wilhelmo D. Aquitan.* 2. *Alano III. C. Britann.* | 2. Godofredus occ. in juv. a. 1106.

1. Helias C. Meduan. † 1151. *Philippina de Rohou f. C. du Perche.* | 1. Godofredus V. C. Andium cogn. *Plantageneta* † 1150. *Mathildis Henrici I. R. Angl. f. Henrici V. Imp. vidua* 3 Apr. 1127. † 10. Sept. 1167. | 1. Sibylla nupta *Theoderico Alsato C. Flandriæ.*

Maria C. Meduan. nup. *Johanni I. Com. Alençonii.* | HENRICUS II. REX ANGL. vid. Tab. seq. | Godofredus C. Nanneti † m. Jul. 1157. | Wilhelmus † 30. Januar. 1163. | Hamelinus Plantageneta, *nothus*, Com. Varenniæ & Surriæ, per uxorem *Isabellam, Wilhelmi II. C. Var. & Surr. fil. & hær. quam viduam Wilhelmi C. Mortaniæ & Boloniæ* duxit. *Vid. inf. Tab. XVIII.*

ANDEGAVENSIS.

Petronella Conradi Sen. C. Paris. f.

Adelinda Domina de Busançois & de Chatillon.

Roscilla Dom. de Loches; Garnieri f.

Fulco II. cogn. Bonus, C. Andeg. † 958.
Gerberga.

Guido *Abbas de Cormery* post *Episc. du Puy.*	Dreux successit fratri in Episcopatu *du Puy.*	Ælips nupta *Stephano C. de Gevaudan.*

Adela al. Blanca uxor *Wilhelmi I. C. Provinciæ.*	Gerberga nup. *Wilhelmo II. C. Enculismensi.*

2. Ermengardis uxor *Godefredi cogn. Ferole Com. de Gastinois.*

Fulco IV. cogn. Rechinus & Rudis C. Andegavi post fratrem † 14. Apr. 1106. 1. *Ildegardis.* 2. *Ermengardis Archambaldi IV. Dn. Borbonii f.* 3. *Bertrada, Almerici C. Montfortii f.* 4. *Aurengardis, Concubina, Isenberti de Castillon. f.*

Fulco V. C. Andeg. & Rex Hierosolymorum IV. † 1143.
1. *Guiburga seu Eremburga, Heliæ C. Meduan. f. & hær.*
2. *Melisenda, Balduini II. du Bourg R. Hieros. III. f.*

1. Mathildis despons. *Wilhelmo filio Henrici V. R. Angl.* postea que Abbatissa ad Fontem Evraldi.	2. Balduin. III. R. Hier. V. † veneno 1163. *Theodora Isaaci Sebastocratoris f.*	Almericus C. Joppensis & Ascalonit post R. Hieros. VI. † 1173. 1. *Agnes de Courtenay repudiata.* 2. *Maria seu Pollina, Emanuelis Imp. Constantinop. f.*
1. Balduinus IV. cogn. Leprosus Rex Hierosol. † 1174.	1. Sibylla nup. 1. *Wilhelmo Longaspatha M. Montiferrati.* 2. *Guidoni de Lusignan R. Hierosol. IX.*	2. Isabella nup. 1. *Hunfredo Toronio,* deinde à *Conrado M. Montiferrati* rapta 3. nup. *Henrico C. Campan.* 4. *Almerico de Lusignan, R. Hieros. X. & ultimo.*

FAMILIÆ REGIÆ PLANTAGENETICÆ
quo etiam LANCASTRENSIS PRIOR DOMUS

HENRICUS II. cogn. *Fitz-Empress* REX ANGLIÆ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ Comes Andium, n.a. 1133. coron. 19. Dec. 1155. † 7. Jul. 1189.

Wilhelmus Dux Norman. n.m. Aug. 1152 † 1156.	Henricus D. Norm. C. And. & Meduan n. 28. Febr. 1155. coron. Rex 15. Jul. 1170. † 11. Jun. 1182 *Margarita Ludovici VII. R. Fr. f.* 1173.	Mathildis n. 1156. nup. *Henr. Leoni D. Bavar. & Sax.* 1168. † 1189.	RICHARDUS I. REX ANGL. D. Norm. & Aquit. C. And. n. m. Sept. 1157. coron. 3. Sept. 1189. † 6. Apr. 1199. *Berengaria Sanctii VII. R. Nav. f.* 1191.	Godofredus n. 1158 Com. Britan. Armor. per ux. *Constantiam Conanis parvi Comitis fil. & her.* ille obiit 19. Aug. 1186.

Eleonora † innupta 1241.	Arturus D. Britan. Armor. n. 1186 † 1200	2. HENRICUS III. REX ANGL. Dn. Hiberniæ. D. Norman. & Aq. C. And n. 1. Oct. 1206. cor. 28. Oct. 1216. † 16. Nov. 1272. *Eleonora Reim. Bereng. C. Provinc. f.* 14. Jan. 1236 † 25. Jun. 1291.	Richardus Com. Pict. & Cornub. n. 1209. elect. Rex Rom. & cor. 27. Maji 1257. † 1271. 1. *Isabella Wilhelmi Marshal C. Pembroc. f. Gilberti de Clare C. Gloc. vid.* 1230. 2. *Sanchia Reim. Bereng. C. Prov. f.* 1243. † 1261. 3. *Beatrix Conradi de Hohnstetten. Archiep. Colon. neptis* 1267.	Johanna uxor prima *Alexandri II. R. Scot.* 25. Jun. 1221. † 4. Mart. 1238

EDUARDUS I. REX ANGLIÆ. *Vid. Tab. seq. VI.*	Edmundus cogn. *Crouchback* Com. LANCASTRIÆ, Leicest. & Darbiæ Dn. Monmout n. 16. Jan. 1245. † 1296. 1. *Avelina Wilhelmi de Fortibus C. Albem. f.* 1269. 2. *Blanca de Artesia Henrici C. Campan. R. Navar. vid.* 1276. † 1302.	Richardus † in juventa.	Johannes † inf.	Wilhelm. † juv. 1256	Henricus † in fans.	Margarita n. 1241. uxor prima Alexandri III. R. Scotiæ 1251. † 1273.	Beatrix n. 25. Jun. 1242. nup. *Joh. de Dreux D. Britan. Arm.* 1259. † 1272. al. 1277.	Catharina n. 25. Nov. 1253. † in juv.

2. Thomas C. Lancastr. Leicestr. Darb. & Lincoln. Stuartus Angliæ *decollatus* 1321. *Alisa, Henrici de Lacy C. Lincoln. fil. & her.*	Henricus de Lancastria Baro Montmuthii, de in Com. Leicestr. Lancastr. Darb. & Provinciæ Stuart. Angl. † 1345. *Mathildis Patricii de Cadurcis B. de Kidwelly fil. & her.*

Henricus cogn. *Tortcol* seu *Grismond.* Dux Lancastr. C. Leicestr. Darb. & Lincoln. † 1361 *Isabella, Henr. Bar. Beaumont f.*	Blanca nupta *Thomæ Barwake de Lydell.*	Mathildis nupta 1. *Wilhelmo de Burgh C. ab Ulster.* 2. *Radulpho Stafford.*	Johanna uxor *Johan. Movvbray B. ab Axolme.*	Isabella, *Abbatissa Ambresburiens.*

Mathildis de Lancastria n. 1339. nup. *Wilhelmo V. Duci Bavar. C. Hannon. Holland, Seeland & Fris.* † sine lib.	Blanca uxor *Johannis de Gandavo Ducis Lancastriæ, satoris stirpis Regiæ Lancastr.* ducta 1359. † 1369.

SCHEMA I.

continetur.

Eleonora Wilhelmi V. Ducis Aquitaniæ fil. & hær. à Rege Galliæ Ludovico VII. repudiata, ducta a. 1151. † 26. Jun. 1202.

Eleonora n. 13. Octob. 1162. nup. *Alphonſ. IX R. Caſtil. 1117.* †	Johanna n. m. Oct. 1164. nupt. *Wilhelmo II. R. Sicil. 1176. 2. Raimundo IV. C. Toloſ.* † 4. *Sept. 1195.*	JOHANNES cogn. SINE TERRA REX ANGL. D. Norm. & Aq. C. And. n. 1166. cor. 25. Maji 1199. † 19. Oct. 1216. 1. *Iſabella Wilhelmi C. Gloceſtr. f. 2. Iſabella, Aimari C. Engoliſm. f. & h.*	Wilhelmus cogn. *Longeſpée, nothus*, C. de Salisbury & Roſmar. † 1226. *Ela Wilhelmi Fitz-Patrik C. Saliſbur. f. & h.* † 1233.	Godofredus *nothus Cancellar. Angl. Archi-Epiſc. Eborac* 1191 † *1213.*

Eleonora nup. 1. *Wilhelmo Marſhal Jun. C. Pembroc. 2. Simoni de Montf. C. Leiceſtriæ* 7. Jan. 1238. †

Iſabella n. 1214. uxor ſexta *Imperat. Friderici II.* ducta 20. Jul. 1235. † 1. Dec. 1241.

Richardi de Cornubiæ f. & h. ☉

Ela nupta *Wilhelmo de Odingſelles.*

Ida uxor *Walteri Fitz-Roberti.*

Ela nup. 1. *Thomæ VII. C. Warwic.* 2. *Philippo Baſſet.* † *1297.*

Iſabella ux. prima *Wilhelmi Bar. Veſey.*

Nicolaus *Epiſc. Saliſbury* † *1297.*

Stephanus Com. Ultoniæ per uxorem *Emmelinam.* ☾

Richardus *Canon. Saliſbury.*

Wilhelmus *Longeſpée* C. Saliſbur. occub. in Palæſtina 1249. *Idonia Richardi de Camvile* ...

Ela uxor *Rogeri de la Zouche.*

Ela nupta *Jacobo Bar. Audley.*

Edmundus *Longeſpée.*

Wilhelm. III. *Longeſpée* . *Mathildis Walteri Bar. Cliſfard. f.*

2. Richardus occ. in oppugn. Barwici 1296.

2. Edmund. de Alemannia C. Corn. † circ. 1300. *Margarita Richardi de Clare C. Gloceſtr. f.*

1. Nicolaus † poſt baptiſmum.

1. Richard. † cœlebs

1. Henricus n. 1235. occ. 1271. ſponſus *Conſtantiæ Gaſtonis Viceom. Bearniæ f.*

1. Iſabella n. 1233. † 1234.

1. Johannes † juv. 1232.

Johannes de Lancaſtria Baro de *Beaufort* & *Nogent-Larcauld* in Gallia † cœlebs.

Margarita *Longeſpée* nupta *Henrico de Lacy Com. Lincolniæ.*

Eleonora nup. 1. *Johan. de Bellomonte. 2. Richardo Fitz-Alan C. Arundeliæ* † *1375.*	Maria ux. *Henrici Percy Bar. ab Alnwyck.*	Edmundus de Lacy merſus undis vivo patre.	Johannes Aliſa nup. 1. *Thomæ C.* tante pa- *Lancaſtr. 2. Ebuloni* trem. *Bar. Strange. 3. Hugoni de Frenes* † ſterilis.

☽

1. Eliſabetha nupta *Lionello C. Ulſteriæ poſtea Duci Clarentiæ* 1352. † 1363.

autem eorundem incurrit iniquitate sua in fratrem *Godofredum*, cui Andium Comitatum, quem ipsi concessurum patri fidem interposito juramento dederat, impetrata à Pontifice Romano sacramenti absolutione, eripuit, maximè verò indulgentia, qua filium *cognominem* in Regni consortium adscivit, eumque sollemni ritu in Regem iterata vice inaugurari curavit; cujus quidem consilii sera pœnitentia illum subiit. Acceperat HENRICUS filius ex pacto, quod inter parentem ejus & Ludovicum VII. Franciæ Regem componendo bello propter Tolosanum Comitatum cœpto initum fuit, uxorem *Margaritam* filiam Ludovici. Is generum crebro suggillans, & ignaviam appellans, quod patrem parem in regno pateretur, atque adeo nomine duntaxat Rex audiret, juvenilem animum vastis desideriis facilè inflammavit, neque destitit, donec eum ad apertum odium bellumque adversus genitorem perpelleret; accessit Reginæ *Eleonoræ* invidia, è nimio Regis in pellicem *Rosamundam* affectu orta, cujus stimulis agitata, cæteros etiam filios suos, *Richardum* nempe & *Godofredum* instigavit, ut fratris natu majoris partibus adversus communem parentem se applicarent. Exempto etiam rebus humanis in flore ætatis Henrico, *Richardus* impulsu matris bellum contra genitorem redintegravit, sumpta obtentui dilatione nuptiarum cum *Alisa*, altera Ludovici gnata, sibi desponsa, & *Joannem* etiam fratrem natu minimum in partes suas pertraxit. Conturbatus hac liberorum suorum impietate & rebellione, nec non morte *Rosamundæ*, insidiis reginæ è medio sublatæ (quod factum illa carcere luit) in mœrorem indeque in morbum lethalem denique incidit, atque ex eo decessit. Regnante ipso *Thomas Beketus* Archiepiscopus Cantuariensis trucidatus fuit, cujus cædis autor atque impulsor apud Clerum audiit: erat quippe Regi Thomas invisus infestusque, quod contra mandatum ejus, quo Magistratui seculari Clerum subditum esse jubebat, omni quod ajunt pede staret, in exilium ea propter pulsus, sed Pontificis Romani nec non Regis Galliæ intercessionibus in integrum restitutus. Patuit tamen inscio rege à bene de ipso mereri cupientibus facinus illud perpetratum fuisse; Thomas verò in cœtum numerumque sanctorum Martyrum relatus est, proinde quasi non causa, sed passio & pœna Martyrem faciant. Cæterum *Henricus* II. in scuto suo primus *tribus leonibus* usus est, cum antecessores ejus indeà Wilhelmo Conquestore *duos* tantum deferre consuevissent, addiditque *tertium* postquam *Aquitaniæ* Dux fuit: hujus enim prisci Duces *leonem aureum in solo rubeo* tesseræ loco gestabant. Sepultus est in monasterio ad *Fontem Ebraldi* in Andibus, tumuloque ejus in memoriam dicti, quod frequenter in ore habuisse fertur, scilicet, *non sufficere magnanimi Principis cupiditati universum Orbem*, hoc Epigramma inscriptum fuit: (a)

Rex HENRICUS *eram, mihi plurima Regna subegi,*
multiplicique modo Duxque Comesque fui.
Cui satis ad votum non essent omnia terræ
Climata, terra modo sufficit octo pedum.
Qui legis hæc, pensa discrimina mortis, & in me
humanæ speculum conditionis habe.
Sufficit hic tumulus, cui non suffecerat orbis,
res brevis ampla mihi, cui fuit ampla brevis.

RICHARDUS, cui cognomentum *Cor Leonis* animi magnitudo peperit, post soluta paterno funeri apud Andes justa, hosque & Normannos in fidem suam sacramento adactos, ad regni gubernacula accessit, matreque è carcere, in quem ob Rosamundæ cædem à parente conjecta fuerat, liberata, & prope in societatem regiminis assumta, diadema sollemni more Westmonasterii ab Archiepiscopo Cantuariensi Balduino accepit. *Alisam* sponsam suam, cujus ergò rebellionem adversus genitorem cœptaverat, cum potiri jam ea posset, defloratam ab isto suspicatus, in Galliam cum donis remisit, pactus in ejus locum nuptias cum *Berengaria* Navarræ Regis filia, quas postea in insula Cypro, cum eam in Palæstinam iter faciens è Sicilia, quo ipsius jussu venerat, illuc deduxisset, peregit. Antequam bellum sacrum inita cum Rege Galliæ Philippo II. nec non Duce Austriæ Leopoldo societate susciperet, regni administrationem viris cordatis ac sapientibus, quos inter eminebat *Wilhelmus Longocampus* Cancellarius, Gallicarum verò provinciarum procurationem Roberto Comiti Leycestriæ demandavit, *Arturum* verò è fratre suo *Godofredo* natum successorem nuncupavit, si quid sibi humanitus contigisset. Delatus in Siciliam ibidemque regis Tancredi insidiis peritus, Messanam urbem impetu cepit, magnam civibus illaturus stragem, nisi Tancredus pecunia & sponsalibus inter suam ipsius filiam, & *Arturum* modo dictum stipulatis, iratum placasset. Ad Cypri litora deinde adverso vento adpulsus, cum ab incolis à terra arceretur, insulam armata manu invasit, eamque in potestatem suam redegit, quam postea titulo permutationis Guidoni Lusiniano tradidit, accepta vicissim ab illo Urbe Tyro, cum jure ejus in Hierosolymas. Fructus autem victoriarum, quas in Palæ-

stina

(a) *Sandfort. L.2. c.1.*

stina capta Ptolemaide aliisque oppidis de Barbaris reportavit, corrupere invidia & simultates inter ipsum Gallumque & Austriacum ortæ, queis factum, ut istis ad lares suos reversis, pacem à Saladino iniquis & indignis conditionibus redimere necesse haberet, classemque cum uxore vela retrò in Angliam vertere juberet. Ipse terrestre iter ingressus cum per Thraciam Dalmatiamque in Germaniam dissimulata persona venisset, Viennæ à Leopoldo sibi infenso agnitus & detentus, tandemque roganti Imperatori Henrico VI. missus, neque ab hoc nisi interveniente gravi lytro, libertati redditus fuit. Reversus denique postquam quadriennii spatio abfuisset, in regnum, perturbatum id *Longocampi* insolentia, & *Johannis* fratris sui ambitione offendit, quare illo exauctorato, hocque possessionibus multato coronari se vice secunda Vincestriæ curavit, quod factum d. 17. Apr. a. 1194. Ad extremum acri cum Rege Galliæ Philippo II bello haud improsperè perfunctus, dum quosdam è Pictonum proceribus in ordinem cogere nititur, & *Chaluzium* in Lemovicibus oppugnat, sagitta in brachio à *Bertrando de Guerdon*, patris fratrumque cædes ulcum eunte, percussus ex eo vulnere post aliquot dies expiravit, juxta parentem in Andibus tumulatus. Ex uxore sua prolem nullam, è *Concubina* verò filium unicum *Philippum*, castro *Cuinac* à se donatum sustulit, nisi (quod *Sandfordius* subjicit (*a*) *tres* annumerentur *filiæ*, quas Fulco Sacerdos Normanniæ illi coràm tribuisse fertur; videlicet *superbiam*, *avaritiam* & *luxuriam*: has Rex ita se elocaturum extemplo respondisse narratur, ut superbiam *Templariis*, quippe qui Luciferum fastu superarent, avaritiam *Monachis albis Cistertiensis Ordinis*, qui Diabolum & omnia concupiscerent, luxuriam denique *Sacerdotibus & Prælatis*, qui in ea felicitatis suæ summam collocarent, nuptui daret.

GODOFREDO parens Rex Henricus II. amplissimas nuptias hæredis Comitatus Britanniæ Armoricæ conciliavit; ille verò bene merenti male retulit gratiam: cum enim opera ipsius pater in bello domestico adversus Richardum uteretur, usque adeò perfide egit, ut appellationem *Filii perditionis* promeruerit; neque multo post Lutetiæ Parisiorum in hastiludio equi sui pedibus conculcatus miserè periit, relicta uxore gravida, quæ mensibus expletis ARTURUM peperit, illum ipsum, quem Rex Richardus in Palæstinam profecturus successorem designasse, & postea Regis Siciliæ Tancredi filiæ despondisse dictus est. Verum cum post Richardi obitum regnum, à patruo suo Johanne sibi præreptum, armis vindicatum iret, captus ab illo Mirebelli in Normannia & Rothomagum deductus fuit, ubi sive inedia aut alio violentæ mortis genere enectus, sive cum elabi conaretur, flumine mersus interiit. *Constantia* verò ejus soror post quadraginta demum & amplius annos in carcere contabuit. (*b*)

JOHANNES cognomenti sui SINE TERRA autor ipsemet fuisse traditur, eo quod fratribus suis amplas à parente possessiones collatas, sui verò nullam habitam fuisse rationem queri solitus esset. Tenuisse tamen eum *Mortaniæ* Comitatum è titulo quo initio usus fuit, colligitur; postea à patre in Hiberniam ab ipso subactam cum regia potestate missus, eoque nomine à Romano Pontifice corona è plumis & auro contexta donatus, *Dominum Hiberniæ*, à regio titulo sibi temperans, se dixit; sed re parum ex sententia patris ibi gesta domum rediit. A fratre Richardo opibus possessionibusque locupletatus majora concupivit, ejusdemque absentiam & captivitatem in Germania in suum commodum convertere summamque rerum ad se pertrahere tentavit. Illo etiam vivis exempto regnum rapuit, & juvante clero Westmonasterii festo Ascensionis inauguratus est, majore (*Sandfordii* verbo) *trepidatione*, quam lætitia. Haud verò contentus regno *Arturum* spoliasse, Normanniæ etiam Ducatu eum exuit; quas injurias ille exorata Regis Galliæ Philippi II. ope armis ultum ivit, rebusque suis in Andibus firmatis Normanniam invasit. *Johannes* trajecto mari inducias primo, & paulo post pacem à Gallis probrosis conditionibus redemit. Recruduit tamen exiguo temporis spatio interjecto bellum, postquam *Johannes* repudiata *Isabella* Glocestriæ Comite, filiam Engolismensis Comitis, Hugoni Com. Marchiæ desponsatam, uxorem sumsisset. Hugo enim iniquo animo id ferens Arturo sese adjunxit, utroque iterum in societatem Rege Philippo novi belli autor exstitit; sed infausti: namque post magnam à *Johanne* acceptam cladem in victoris potestatem *Hugo* pariter & *Arturus* devenere; versa tamen postea fortuna victus vicissim ille à Gallis & maxima ditionum suarum in Gallia parte mulctatus fuit. Hanc calamitatem excepere intestini motus; cum enim subditorum suorum odia omni violentiæ & oppressionis genere sibi attraxisset, cœptarunt illi rebellionem, quæ Romano Pontifice facem subjiciente usque adeò exarsit, ut Ludovicus Galliæ Regis filius in auxilium evocaretur, eidemque cum sexcentarum navium classe in Angliam delato homagium præstaretur, *Johanne* interea à cunctis suorum deserto cum vagabundorum tumultuaria manu agros populante; istorum verò magnam partem cum in transitu fluminum gurgitibus haustam amisisset, resque ejus ad triarios redactæ essent, incidit in ægritudinem, indeque in febrim, ex qua intra paucos dies decessit, Vigorniæ sepultus. In rebus Ecclesiasticis graves ei natæ

(*a*) L. 2. c. 2. (*b*) Sandford. L. 1. c. 5.

civitatæ sunt contentiones cum Papa Innocentio propter electionem novi Archi-Episcopi Cantuariensis, quibus post sexennii & trium mensium interdictum Pontifex superior, Angliæ Regem beneficiarium & tributarium sibi fecit. Præter liberos legitimos in *tabulis* notatos, etiam *naturales* habuit, videlicet *Richardum* patrem ex *Robesia*, Fulberti de Dover filia & hærede, *Lora* Wilhelmi Marmion de Bleswart & *Isabella* Davidis de Arabolgy Com. Atholiæ uxorum, porro *Godofredum* Rupellis in Gallia mortuum, *Johannem*, cui cognomen *Courcy* fuit, Comitem Ulvestriæ in Hibernia, *Osbertum* cogn. *Gifford*, *Oliverium*, & denique *Johannam* Lewellerio Principi Nortwalliæ nuptam. (a)

HENRICUS III. paucis post parentis mortem diebus Glocestriæ ab Episcopis Vintoniæ & Bathoniæ magna pompa coronatus fuit, cumque ob ætatem moli regiminis par nondum esset, Wilhelmum Marshal Comitem Pembrociæ virum strenuum & prudentem tutorem accepit, cujus dexteritate ac virtute non solum plerique Procerum, qui in verba Ludovici juraverant, ad *Henrici* obsequium reducti sunt, sed etiam ille post multiplicem suorum stragem Anglia excedere, omnique in eam jure, acceptis tamen XVM marcis, se abdicare, præterea que fidem suam de impetranda à parente Philippo restitutione provinciarum Gallicarum, quæ Anglici juris erant, interponere coactus est. Tantum verò abest, ut fidem liberaverit Ludovicus, ut potius postquam ipse per patris sui obitum ad regnum pervenisset, *Henricum*, qui itidem interea è tutela egressus & sui juris factus est, sed injuste violenter & superbè imperando, populum expilando, imprimis autem peregrinos, qui cum regina advenerant, extollendo & indigenis anteferendo, subditorum suorum odium incurrit, eo redegerit, ut is jus omne in Normanniam, Pictaviam & Andes accepta pecuniæ summa cederet, ne ille cum Angliæ proceribus, res novas molientibus, arma sociaret. Nihilotamen minus intestinis subditorum suorum motibus continuo exercitus fuit *Henricus*, usque adeo ut ad manus sæpius veniretur, tandemque justo prælio in Sussexia decertaretur, quo victis & profligatis regiis, ipse Rex cum filio *Eduardo*, fratre *Richardo*, hujusque gnato *Henrico* & suorum primoribus à Simone Montfortio Comite Leycestriæ, sororio suo, captus, & per sesquiennium detentus fuit, usque dum elapsus è custodia *Eduardus* Comitem Glocestriæ à Montfortii partibus abstraheret, huncque eo ipso debilitatum [illegible] & in desperationem conjectum, ad tentandam inæqualis pugnæ aleam adigeret, qua is fortiter pugnando cum plerisque factiosorum occubuit. Reddita ita parenti libertate & quiete à turbis domesticis *Eduardus* sacro bello nomen dedit, inque Palæstinam abiit. *Henricus* verò dum suo periculo ad meliorem mentem perductus, parta bello damna resarcire studet, morbo implicitus, vitam *Westmonasterii* finivit, ibidem in Abbatia à se restaurata, terræ mandatus. (b)

RICHARDUS à fratre *Comes Pictaviæ & Cornubiæ* creatus, præterea possessionibus, quas Reginaldus Dammartinus Comes Bononiæ in Anglia tenuerat, locupletatus fuit. Erat per illud ævi spatium diuturnum illud & celebre in Germania interregnum, quo inde ab excessu Imperatoris Friderici II. Imperii cives secum ipsi discordes intestina flagrabant invidia, & peregrinum quærebant dominum: hinc exempto vivis Wilhelmo Comite Hollandiæ ab aliquot procerum *Richardus* in *Regem Romanorum* electus, & misso Archiepiscopo Coloniensi evocatus, postquam cum in Germaniam splendide magnificeque venisset, ab eodem Aquisgrani d. 27. Maji an. 1257. coronatus est. Verum cum metu potius quam benevolentia imperium sibi firmatum iret, & importunis oppressionibus ac vindictis insolesceret, brevi exauctoratus, in Angliam remigravit Imperator pauperrimus, è quæ ditissimus Comes abierat. Concessit fatis post fidelem fratri in civilibus bellis navatam operam in castro *Berkamsted* in Herefordia, aliquot post se relictis liberis masculis, qui tamen omnes progenie caruere. Ex his HENRICUS ab expeditione in Palæstinam revertens, Viterbii in Italia in æde S. Laurentii, dum sacris vacaret, à Simonis Montfortii C. Leycestriæ filiis Guidone & Simone trucidatus est. EDMUNDUS *Cornubiæ Comes*, penes quem post Regis Henrici III. mortem, dum Eduardus abesset, regni administratio erat, è morbo decessit. RICHARDUS denique in oppugnatione Barwici clava ferrea in capite percussus occubuit. Habuit etiam *Imp. Richardus* naturales liberos, *de Cornubia* cognominatos, videlicet *Richardum*, satorem familiæ equestris *Cornubiorum*, qui nunc *Barones de Burford* audiunt, *Walterum* & *Isabellam* elocatam Mauritio *Lord Berkley*, à quo omnem Barclajorum stirpem solis Dursleiis exceptis, defluxisse *Sandfordius* (c) refert. *Insignium* loco Richardus *unico* tantum *leone*, coquilerubeo & auro coronato in campo argenteo, Pictonensi scilicet tessera, usus esse eidem autori traditur, ita tamen ut eum cingeret *margine nummis Byzantinis nigris distincto*, designando Cornubiæ Comitatui.

EDMUNDUS Regis Henrici III. filius secundo genitus (cui cognomentum *Crouch-bak* fuit vel à gibbo, vel à signo Crucis, quod in dorso recepto more deferebat; quia Cruciatæ nomen dederat) à parente initio Comitatu Leycestriæ, in fiscum post Simonis Montfortii interitum

(a) Sandford. L. 2. c. 3. (b) Pol. Verg. Lib. 6. Sandford. L. 4. c. 4. (c) L. 2. c. 5. p. 99.

tum redacto, nec non dignitate Senescalli sive *Stuarti* Angliæ auctus fuit: accessit deinde Lancastrensis Comitatus & denique Darbiensis cum Dynastia Monmuthiæ, Roberto *de Ferrers* perduelli ademtus. *Lancastrensem* verò titulum cæteris prætulisse videtur *Edmundus*, indito ab eo cognomine propagini suæ: ab ipsius etiam persona originem traxere famosæ inter Lancast. ensem & Eboracensem domum contentiones: Vitam finivit Bajonæ in Vasconia, quo cum exercitu à Rege Eduardo I. fratre suo missus fuerat, cadaver ejus in Angliam devectum *Westmonasterii* tumulatum est. In scuto suo regia quidem insignia *tres* scilicet *leones* gessit, sed distincta *fasciola* sive *lambella cærulea trium aut quinque segmentorum*, quorum singulis *lilia tria aurea* inscripta. Ex ejus filiis natura & successione potior THOMAS jussu regis Eduardi II. securi percussus est, eo quod factiosis adversus Petrum *Gaveston* & Hugonem *le Despencer* juniorem, qui regia gratia florebant & superbiebant, ducem se præbuisset, & post impetratam cædis in priore commissæ veniam, posterioris odio intestinos motus renovasset: Vir cæteroquin haud malus & strenuus, eaque existimatione, ut defuncti effigies in æde S. Pauli suspensa divinis ferme honoribus à plebe afficeretur; ab ipso etiam Rege sæpius deinde desideratum serio fuisse memorant. Prole destituti successionem adiit frater natu proximus HENRICUS Baro Monmuthius antea dictus; huic Rex Eduardus III. cujus rebellionem erga parentem manu consilioque fulserat, dignitatem *Stuarti Angliæ* hæreditariam fecit, eamque Comitatui Leicestriæ annexuit; porro Comitatum Provinciæ in Gallia, quam *Eleonora* ejus hæres præcipua, Regis Henrici III. vidua in Lancastrios nepotes suos transtulerat, corroboratiorem eidem reddidit. Filius ejus unicus ejusque *cognominis*, & à loco natali *Grismond*, vel à vitio colli *Tort-col* appellatus, Comitis Darbiæ titulum initio gessit, postquam verò in paternas facultates ac dignitates successisset, axiomate *Ducis Lancastriæ* à Rege Eduardo III. regni anno XXV. qui seculi XIV. primus supra quinquagesimum fuit, auctus est, cum biennio abhinc Comitatu Lincolnensi, in quem ab uxore patrui sui Thomæ jus ipsi natū erat, locupletatus fuisset. In bellis Gallicis magna ejus fuisse opera prædicatur, multaque in rebus apud Santones Pictonesque gestis felicitas. Ob Johannem Wiclefium, cujus doctrinam vitæque integritatem suspiciebat, graves cum Ecclesiasticis, præcipue cum Londinensium Præsule, subiit contentiones. Supremum diem Leicestriæ explevit, mascula prole nulla post se relicta, sed tantum fœminea; ex ea natu minorem & cohæredem superstes in regiam ubique cognatam domum collocavit, novamque his nuptiis Lancastrensium condidit familiam, quemadmodum inferius dicetur. (a)

Comitum *Salisburiæ*, qui in hoc Schemate secundo exhibentur, satorem WILHELMUM *Longespée* à gladio prælongo, quo utebatur, cognominatum, Rex *Henricus* II. è pellice sua *Rosamunda*, formosissima fœminarum ævi illius, sustulit. Erat ea filia Walteri Baronis *Clifford*, & custodiebatur à Rege adversus Reginæ Zelotypiam Woodstockii in loco quodam Dædaleo artificio constructo, ad quem tamen viam aditumque ista reperit filo ad exemplum Ariadnes usa, & *Rosamundæ* venenum, ceu creditur, dedit: neque enim diu huic visitationi superfuit. *Wilhelmus* ex ea, prout dictum fuit, natus cum *Elam* hæredem Comitis Salisburiensis uxorem accepisset, titulo soceri à Rege Richardo I. insignitus est, illiusque insignia, *sex* nempe *leones aureos in campo cæruleo* ascivit. Porrò ab eodem Rege Comitatu *Rosmar* in Normannia, quem Elæ majores tenuerant, auctus fuit. An. 1226. cum Richardo Com. Cornubiæ in Galliam profectus, recuperati Augustoriti Pictonum decus retulit, sed eodem adhuc anno ab Huberto de Burgo Cantii Comite veneno interceptus. Mascula ejus propago in Nepote *Wilhelmo* III, qui à Rege Henrico III, Comitatu Salisburiensi exutus est, exaruit. (b)

De insignibus Regum Principumque Tabula V. enumeratorum jam dicta quædam sparsim sunt; qualia verò priscis Andium Comitibus in usu fuerint, haud æque liquet: Sandfordius *Godefredo Plantagenet* scutum tribuit quod in tabula ænea Parti huic præfixa conspicitur, atque affine est illi, quod à Morello Godofredo Grisgonellæ dari dictum est, nempè *rubeum*, cui *carbunculus* [illegible] *sphærulis & floribus distinctos emittens* inscriptus, *cum cephalo argenteo.*

(a) Sandford [illegible] (b) Sandford [illegible]



CAPUT IV.

CONTINUATIO REGIÆ PLANTAGENETARUM LINEÆ.



Llo tempore quo Rex Henricus III. supremum obiit diem filiorum ejus natu maximus EDUARDUS in Palæstina agebat, sacro intentus bello & gravi ibidem discrimine perfunctus ob inflictum sibi à percussore vulnus telo venenato, sed mira uxoris venenum suopte ore exsugentis pietate neci ereptus. Accepto de obitu patris nuncio ad reditum se accinxit, & terrestri itinere in Aquitaniam pervenit, ubi firmandis rebus suis aliquandiu commoratus, tandem in Angliam appulit, & *VVestmonasterii* à Cantuariensi Archiepiscopo Roberto solemni pompa inauguratus est. Prima & præcipua cura ei fuit, ut Clerum ex opulentia insolescentem coerceret, eidemque pœnas inderet; postea ad Cambricum bellum animum appulit, quo *Leolinum* Wallorum Ducem, ejusque fratrem *Davidem* sæpius rebelles justo prælio a. 1283. vicit, atque ad internecionem delevit. *Leolino* inter pugnandum cæso, *Davide* vero capto & capite truncato. Hoc pacto *Cambria* sive *Wallia* Anglicæ ditionis facta investitus ea à Rege fuit filius ejus cognominis tunc inter superstites natu maximus, quod in consuetudinem deinceps abiit, ita ut plerique *Regum Angliæ filii primogeniti Principes Walliæ* essent & vocitarentur. Per illud ævi spatium Rex Scotiæ *Alexander* III. postquam liberis suis propè continuatis funeribus orbatus fuisset, vita excessit, regnumque competitorum æmulationibus expositum reliquit. Hos inter eminebant *Johannes Balliolus* & *Robertus Brussius*, ambo à propatruo defuncti regis, *Davide* nempe *Huntindoniæ Comite*, jus genusq; derivantes: namq; *Balliolus neptem* Davidis è filia natu maxima *Dornagillam* in Gallovidiam matrem habebat, *Brussius* autem *ex secunda* Huntindoniæ Comitis *filia* prognatus erat. Hanc controversiam cum dijudicare proceres aut non possent, aut non sustinerent, quod ob partium potentiam in factiones totum regnum discessisset; *Eduardo* Angliæ Regi arbitrium delatum est. Is itaque in Boreales regni sui partes profectus ex illo Scotorum dissidio suum comparaturus commodum Brussium primus convenit, quem utpote jure inferiorem facile in sententiam suam discessurum putabat, eidemque regnum Scotiæ promisit, si se in clientelam Regum Angliæ dare vellet; eo autem id detrectante, & libertatem patriæ honore suo potiorem se habere sine tergiversatione dictitante, ad Balliolum se convertit, qui regni quam famæ avidior conditionem oblatam lubens arripuit, mox tamen facti pœniturus. Cum enim ob datam percussori Fifæ Comitis impunitatem ab *Eduardo* ad tribunal suum citatus, & causam ipsemet orare compulsus esset, sensit, obnoxio Rex liber quid intersit, adeoque hac ignominia commotus est, ut domum reversus obsequium Anglo renunciaret, & societatem cum Gallis bellum adversus Anglos tum gerentibus coiret. *Eduardus* autem ob ectis Gallorum Regi Comitibus Flandriæ & Barri, quos affinitatis vinculo sibi sociaverat, cum expedita manu Scotiam invasit, maximamque ejus partem & ipsum Johannem Balliolum in potestatem suam redegit, huncque relictis in Scotia Vicariis Londinum secum deductum in custodiam tradidit, attamen paulo post deprecante Romano Pontifice & spondente nihil eum turbarum amplius daturum in Galliam dimisit. Verum Scoti in libertatem se vindicare cupidi, dum *Eduardus* bello Gallico se occuparet, duce Wilhelmo Vallâ, homine nobili, nullis opibus sed magna vi animi atque corporis arma ceperunt, & licet immani ad Vrvikium clade ab Anglis attriti, mox tamen *Roberto Brussio*, illius qui cum Balliolo regnum affectaverat, filio, à rege creato, animos resumserunt, atque *Eduardo*, dum viveret, negotium exhibuerunt: neque is bellum hoc confecit, sed cum ultima adversus Scotos experiri constituisset, & Carlioli hyemasset, contracta dysenteria mortalitate *Burgosandis* interceptus est. Exuviæ ejus *VVestmonasterium* devectæ in Abbatia hujus loci reconditæ sunt, tumulo ejus nullius ornatus hæc tantum verba inscripta leguntur: EDWARDUS PRIMUS SCOTORUM MALLEUS HIC EST: 1308. PACTUM SERVA. (*a*) Statura fuisse memoratur procera, ab Anglis ea ratione *Longshanks* cognominatus, colore subnigro, corpore valido ac minime pingui, facie venusta, oculis nigricantibus, qui dum ira inflammabatur, subito ruborem contrahebant, ita ut ignem emittere viderentur, capillo nigro ac crispo, valetudine prospera, animo magno, ingenio præclaro. (*b*)

EDUARDO II à patre moribundo in mandatis postremis tria præcipuè data fuisse narrantur (*c*) nimirum ut ossa sua circumferret per Scotiam usque dum eam domuisset, ut triginta librarum millia à se in sacri belli usus secreta eò impenderet, ne *Petro Gavestonio* Vasconi, sartori satorique scelerum, cuique regno interdixerat, redeundi facultatem daret; hæc ille pro

(*a*) *Sandford. L. 3. c. 1.* (*b*) *Polyd. Verg. Lib. 17.* (*c*) *Sandford. L. 3. c. 2.*

pro animo quo erat omisso insuper habendo & genio suo indulgendo se regnumque in magnas induit calamitates. Scilicet belli Scotici cura abjecta Gavestonium protinus revocavit, & ad intimam familiaritatem adscitum omni illo argento, quod in sacram expeditionem erogandum erat, donavit. Offensi ea propter optimates sollemnia coronationis Regi detrectarunt, nisi protervum & invisum hominem abigeret, quibus assentiri ille visus regno inauguratus est. Tantum verò abest, ut procerum expectationi Rex satisfecerit, ut potius amplioribus Gavestonium honoribus cumularet, & ex ejus voluntate cuncta ageret: quare Parlamento conscripto sancitum inter alia fuit, ut peregrini omnes muneribus suis moverentur, & Gavestonius Anglia ejiceretur. Abiit is itaque in Hiberniam, mox à Rege revocandus, neque in pristinum gratiæ ac autoritatis locum restituendus solum, sed etiam titulo Comitis Cornubiæ prætereaque matrimonio neptis regiæ (erat ea *Margarita de Clare*, è sorore Regis *Johanna* & Gilberto C. Glocestriæ nata) augendus. Quo facto cum vehementer incensi Proceres universalem minitarentur defectionem, regno fa essere denuo coactus est; posteaquam verò clam in Angliam rediisset, atque à conscio Rege castrum egregiè munitum domicilii loco accepisset, obsessus in eo fuit à proceribus, inter quos familiam ducebant Thomas Lancastriæ, & Guido Warwici Comites, & facta deditione securi percussus; succedente in locum gratiæ, qua apud Regem valuit, *Hugone Spensero juniore*, ejusdem furfuris homine, cui ob ductam in uxorem *Eleonoram de Clare*, Margaritæ sororem natu majorem, titulus Comitis Glocestriæ collatus est. Hujus ergò non minus tumultuatum fuit à Baronibus regni, complurium tamen exitiis, sed & ipsius denique Regis & Spenseri exitio. Interea Rex Scotiæ *Robertus Brussius* ignavia *Eduardi* & turbis subditorum ejus intestinis excitus, totam repente Scotiam fugatis Anglis in potestatem suam redegit, posteaque Angliæ fines adortus ferro & flamma obvia quæque vastavit, atque objectum sibi ab Eduardo tumultuarium Exercitum centum millium virorum haud ita magna manu apud oppidum *Bannokshorough* fudit, & gravi clade prostravit. Inde *Eduardus Brussius*, Roberti frater, Hiberniam invasit, magnaque ejus parte subacta, ab incolis certatim ad eum deficientibus *Rex* salutatus est; vix autem triennii spatio interjecto ab Armagensi Primate & Berningamo supremo Hiberniæ judice cæsis ipsius copiis captus & decollatus. Quo facto ad rabiem evibratus Robertus irruptionem in Angliæ fines fecit, atque ad Eboracum usque infesta populatione venit, & Berwico expugnato Regem Eduardum domesticis tumultibus occupatum ad rogandas biennii inducias adegit. Acre quippe bellum ille adversus Nobiles susceperat, inde ortum, quod Regina cum iter Cantuariam faceret & in castro *Leedes* pernoctare cuperet, à Barone Badlesmerio eo exclusa & aliorsum se convertere jussa esset, de qua re apud maritum conquesta indignatum perpulit, ut arcem illam vi armata aggrederetur, eaque capta præfectum in furcam ageret, Badlesmerium cum uxore liberisque in vincula conjiceret; qui successus ad persequendum proceres sibi infensos animum Regis intenderunt, ita ut oppressis vel dissipatis eorum copiis benè multos in potestatem suam dilapsos, instinctu Spenseri ad supplicium raperet, ne quidem patrueli suo *Lancastriæ Comiti* parcens. Jam verò extrema calamitas *Eduardum* II. manebat: monitus fuerat à Rege Galliæ, ut homagium sibi Aquitaniæ nomine præstaret, cumque id neglexisset, ille armata manu provincias, quæ Anglici juris erant, invasit, missa idcirco in Galliam Regina id ægre à fratre impetravit, ut Aquitaniæ Ducatus & Pontivensis Comitatus filio suo natu majori Eduardo, qui cum ea erat, beneficiaria lege concederentur. Cæterum abierat cum Regina *Rogerus Baro Mortimerius*, quem in intima admissione & eximiè charum habere cœpit, quod ubi Regi Eduardo innotuit, jussit eam in Angliam sine mora cum Principe filio reverti, cunctanti vero regno interdixit. Illa eo audito ad Hannoniæ Comitem se recepit, & pacta inter ejus gnatam filiumque suum matrimonium pecuniaque & militibus instructa in Angliam trajecit. Facta Harwici exscensione, multi procerum ad partes ejus se applicuerunt, quorum copiis viribusque aucta adversus Regem movit, huncque territum & latibula quærentem tandem in Nethensi cœnobio deprehendit, & Leicestriæ Comiti in custodiam tradidit, in nobiles vero Regis partes secutos, in primis in Spenseros patrem ac filium, omni crudelitatis genere, instigante Mortimerio, sæviit. Coacto deinde Londinum Parlamento de *Eduardo* II. exautorando filioque inaugurando egit, qui quidem, nisi sponte parens regnum abdicaret, id suscipere detrectabat: missi itaque sunt qui captivo id persuaderent, quibus ille effusis lacrymis respondisse fertur: *equidem dolere se, quod publicum in se derivaverit odium, ex eo tamen solatium aliquod reportare, quod filium suum, nec alium, Regem habere cuperent, quare quando aliter fieri non posset, se regno jam nuncium remittere.* Redactus hoc modo ad privatam conditionem brevi de vita periclitatus est: verita enim Regina, ne ansam à superstite arriperent factiosi ad res novandas, detonsum & deformatum huc atque illuc circumduci jussit, ne quis certo sciret, quo loco esset, denique verò in castrum *Berkeley* deportati vitæ vim inferre victu insalubri, fœtore cadaverum, veneno aliisque modis frustra tentavit: donec Herifordensis Episcopi Adami Torleton, impii consultoris, literis & verbis duplici interpretationi obnoxiis; *Eduardum occidere*

D 2 *nolite*

SCHEMA FAMILIÆ REGIÆ

EDUARDUS I. REX ANGLIÆ Dn. Hiberniæ & Dux Aquitaniæ Regis Henrici III. F.n. 17. Jun. 1239. coron. 19. Aug. 1274. †7. Jul. 1307.

1. Johannes † juv.	Henr. † infans.	Alphonsus †19. Augusti 1284. ætatis 11.	EDUARDUS II. REX ANGL. Dn. Hib. Dux Aq. n. 25. Apr. 1284. cor. 23. Febr. 1308. †25. Jan. 1327. *Isabella Philippi IV. R. Fr. f.* *28. Jan.* 1307. †22. Aug. 1357.	Eleonora n. 1266. ux. *Henrici C. Barri* 1294. †1298.	Johanna n. 1272. nup. 1. *Gilberto de Clare Com. Glocestr.* 1290. 2. *Radulfo de Montehermer* 1296 †10. Maji 1305.	Margarita n. 1275. uxor *Johannis II. D. Brabant.* 1290.

EDUARDUS III. REX ANGL. ET FRANC. Dn. Hib. n. 13. Nov. 1312. cor. 1. Febr. 1327. †21. Jun. 1377. *Philippa, Wilhelmi III. C. Hannon. f.* 1327. †15. *Aug.* 1369.	Johannes *ab Etham* C. Cornub. n. 15. Aug. 1315. †m. Oct. 1334. Sponsus *Mariæ de Hispania Ferdinandi Dn. de Lara f.*	Johanna nup. *Davidi Regi Scotiæ* 1329. †1357.	Eleonora uxor secunda *Reinaldi II. C. Geldriæ* 1332.

Eduardus *de Woodstock*, cogn. *Niger* Pr. Aq. & Wall. Dux Cornub. C. Cestr. n. 15. Jun. 1330. †8. Jul. 1376. *Johanna Edmundi de Woodstock C. Cantii f. Thomæ Holand vidua* 1361. †8. *Jul.* 1385.	Isabella, nupta *Ingelramo de Coucy C. Bedfordiæ.*	Johanna n. 1335. †1348. Sponsa *Alphonsi R. Castiliæ.*	Wilhelm. n. 1336. †inf.	Blanca †1340	Lionell. *de Antver.* Dux Clar. C. Ulton. n. 29. Nov. 1338. †17. Oct. 1368. 1. *Elisabetha de Burgo Wilhelmi C. Ulton. f. & h.* 1352. †1363. 2. *Jolantha Galeacii II. D. Mediol. f.* 1368. 25. *Apr.*

Eduardus n. 1365 †a. æt. 7	RICHARDUS II. REX ANGL. & FR. Dn. Hib. n. 1366. cor. 16. Jul. 1377. †1399. ux. 1. *Anna Caroli IV. Imper. & R. Boh. f.* 1382. †1394. 2. *Isabella, Caroli VI. R. Fr. f.* 28. *Oct.* 1396.	Johannes Sounder nothus.	Rogerus de Clarendon nothus.	1. Philippa de Clarencia n. 16. Aug. 1355. nup. *Edmundo Mortimer Comiti Marchiæ* 1368. †

Rogerus *Mortimer* C. Marchiæ & Ultoniæ, Locumtenens Hiberniæ occ. 23. Oct. 1405. *Eleonora Holand, Thomæ C. Cantii f.*	Edmundus *Mortimer*, Eques. *N. Owveni Glendour f.*

Edmundus *Mortimer* C. March & Ulton. †19. Jan. 1424. ux. *Anna Edmundi Com. Stafford. f.*	Rogerus *Mortimer* C. Marchiæ † juv.

PLANTAGENETICÆ II.

Ux. 1. *Eleonora Ferdinandi III. R. Castil. fil.* 1254. †27. *Novemb.* 1290.
2. *Margarita Philippi Audacis R. Franc. f.* 8. *Sept.* 1299. † 1317.

Berengeria †inf.	Alisa †infans	Maria, n. 22. April. 1279. monialis ad Fontē-Ebraldi	Elisabet. n. 1284. nup. 1. *Johanni I. C. Holland & Sel.* 1298. 2. *Humphredo de Bohun Heref. & Essex. Com.*	Beatrix & Blanca ††infantes.	2. Thomas *de Brotherton* C. Norfolciæ, Marescc. Angl. n. 1. Jun. 1300. †1338. 1. *Alisa Rogeri Halys f.* 2. *Maria Wilbel. B. Roos f. Wilbel. Bar. Brevves vid.*	Edmundus *de Woodstock* C. Cantii n. 5. Aug. 1301. *decoll.* 1329. *Margarita Johannis Bar. Wake f.*	Eleonora †infans.

1. Eduardus Plantageneta †ante patrem.	Margarita Marshal. Duc. Norfolc. nup. 1. *Johanni B. Segrave.* 2. *Waltero B. Manny* † 24. Mart. 1399.	Alisa nup. *Eduardo Mountague.*	Edmundus Plantageneta Com Cantii † 1332. cælebs.	Johannes Plantageneta C. Cantii † 1352. *Elisabetha f. Ducis Juliac.*	Johanna nupta 1. *Wilbel. II. Mountague. C. Salisbur.* 2. *Thomæ Holand C. Cant.* 3. *Eduardo Nigro Pr. VValliæ* †8. Jul. 1385.

Johannes *de Gandavo* Dux LANCASTRIÆ. *Vid. Tab. sequ. VII.*	Edmundus *de Langley* Dux EBORACI. *Vid. Tab. VIII.*	Wilhel. † infans.	Maria uxor *Joh. Montfortii Duc. Brit. Armor.*	Margarita ux. prima *Johannis Hastings C. Pembroc.* n. 30. Jul. 1346.	Thomas *de Woodstock* Dux Glocestriæ, C. Buckinghamiæ n. 7. Jan. 1355. † 8. Sep. 1397. *Eleonora de Bohun Humphredi Com. Heriford. Essex. & Northampton. f. & cohær.* † 30. *Oct.* 1399.

Humphredus Plantageneta Com. Buckinghamiæ † cælebs.	Anna nup. 1. *Edmundo V. C. de Stafford.* 1402. 2. *Wilbelmo Bourchier C. d' Eu* 1419. † 1440.	Johanna uxor *Gilberti B. Talbot de Goderick.*	Isabella monialis.	Philippa †inf.

Johannes *Mortimer* Eques occ. 1424.	Elisabetha uxor *Henrici B. Percy.*	Philippa nup. 1. *Johanni Hastings C. Pembroc.* 2. *Richardo Fiz-Alan C. Arundel.* 3. *Johanni Poynings B. S. Johannis.*

Anna *Mortimer* uxor *Richardi de Conningsborrow* C. *Cantabrigiæ Ducis Eboraci.*	Eleonora nupta *Eduardo Courtney C. Devoniæ.*

Richardus DUX EBORACI *de quo Tab. VIII.*

nolite timere bonum est, permoti custodes transmisso in ejus anum per fistulam ferro candenti & adustis intestinis miserum magnos inter cruciatus interficerent, quod atrox facinus haud equidem impunè tulerunt. Corpus nulla funebri pompa Glocestriam delatum in S. Petri cœnobio sepultum est. Fuisse memoratur *Polydoro (a)* statura pæne justa, corpore valido, neque animi dotibus caruisse, si bonis quam pravis familiaribus & suasoribus uti maluisset. A loco natali cognomentum *Carnarvonio* fuit.

EDUARDUS III. lucem primitus *Windsorii* aspexit ea propter more recepto *Windsoriensis* cognominatus. Post abdicationem patris Cal. Febr. a. 1326. ab Archiepiscopo Cantuariensi Waltero coronatus est, sed quod ob ætatem moli regiminis par nondum esset, administratio regni penes duodecim Optimates fuit, regina tamen matre ejusque amasio Rogero Mortimerio præcipuam autoritatem sibi arrogantibus. Grandior & patiens militiæ factus Roberto Brussio Regi Scotiæ, impune in Angliæ finibus aliquamdiu grassato, bellum inferre decrevit, exercitumque ex Anglis & Hannonibus conscriptum adversus eum duxit, verum ob ortam inter milites diversi generis discordiam, & proditionem transfugarum re infecta Londinum rediit, neque ita multo post pacem parum sibi honorificam cum Scotis iniit, pactus etiam matrimonium inter Regem eorum *Davidem Brussium*, qui interea Roberto patri in regnum successerat, & sororem suam *Johannam* admodum tunc impuberes. Ipse eodem temporis tractu nuptias cum desponsata sibi antehac filia Comitis Hannoniæ Eboraci peregit. In Parlamento Vintoniæ a. 1329. habito, passus est instinctu matris suæ, ut EDMUNDUS *Cantii Comes*, qui de Eduardo II. cujus frater erat, in regnum restituendo consilia agitasse delatus fuit, securi percuteretur; sequenti verò anno Nottingamiam Senatu regni evocato matri autoritatem omnem, quod abusam ea perspiceret, abrogavit, reditusque ejus immensos ad libras mille annuas contraxit, præterea *Mortimerium*, multorum criminum, imprimis adulterii cum illa convictum, ad restim damnavit. Extincta ea tempestate Regiæ Gallorum stirpis linea recta, cum ad collateralem regnum transiisset, & *Philippus Valesius* eo potitus *Eduardum* ad homagium sibi ratione ditionum ejus in Gallia præstandum compulisset, ille obsequii hujus mox pœnitens, idque in contumeliam trahens, jus, quod sibi è postremorum Galliæ Regum sorore nato in regnum illud competere arbitrabatur, armis vindicare statuit, acuente indignationem ejus quibuscunque irritamentis poterat Roberto Artesiense, qui contracto adversus Philippum Valesium odio ex caussis alibi à nobis recensitis in Angliam secesserat. Itaque restitutis prius rebus suis in Scotia, eaque occasione belli, ab Eduardo Balliolo Johannis filio cœpti, ad pristinum obsequium reducta, *titulum insigniaque Regis Franciæ* cum avitis conjunxit, & icto cum Geldriæ, Juliaci, Cliviæ, Hannoniæ & Brabantiæ Ducibus Comitibusve fœdere cruenti ac diuturni belli cum Gallis initium a. 1339. fecit, quo in prima quidem expeditione nihil memorabile gessit, in reliquis verò secunda fortuna usus classem Gallorum CC. navium in Slusensi portu delevit, illorumque ad XXX. millia neci dedit, deinde Philippum Valesium ad *Creciacum* justo prælio cum magna clade fusum fugatumque castris exuit, quæ victoria in d. 26. Aug. a. 1346. incidit. Sequenti anno Caletum ad deditionem adegit, & Philippo triennio abhinc fatis functo, bellum cum ejus gnato & successore Johanne pari vi ac fortuna continuavit: hunc enim & exercitum ejus per filium suum natu maximum *Eduardum* in Pictonibus d. 19. Sept. a. 1356. immani strage affecit, captumque in prælio vere proximo in Angliam deduci jussit. Humaniter ibi & splendidè excepto habitoque durum initio statuit lytrum; namque præter magnam argenti vim id etiam postulavit, ut homagium sibi præstaret, & regnum Galliæ Coronæ Anglicæ clientelare agnosceret. Hanc conditionem tanquam se indignam cum ipse filiusque ejus Carolus Delphinus aspernati fuissent, Rex *Eduardus* retento illo in custodia & regni cura *Thomæ* juniori gnato concredita novam in Galliam expeditionem cum ingenti classe & exercitu suscepit, & ad Lutetiam usque perrupit, ubi prælii copiam à Delphino, qui intra mœnia se defendere satius duxit, frustra opertus, retro in Carnutes movit, quo in itinere gravissima tempestate perculsus votum fecit pacem cum Gallis æquis conditionibus ineundi idque exsolvit: neque enim multo post, d. 15. Maji a. 1360. pax Carnuti sancita est, his legibus, ut Anglus Aquitaniam & Pictaviam cum adjacente tractu *supremo jure*, abolita clientela, teneret, Gallus verò Caletum, Pontivium, Guinam aliaque loca maritima cum ditionibus adjunctis reciperet, & tricies centena millia aureorum Regi Angliæ penderet, isque vicissim juri suo in Normanniam renunciaret. Recruduit nihilominus post Johannis, haud diu liberationi suæ superstitis, obitum bellum inter Anglos & Gallos, quo versis vicibus Rex Gallorum Carolus V. magnam ditionum Anglicarum partem recuperavit. Sed R. *Eduardus* inter externa hæc bella rerum suarum in Scotia haud fuit negligens, verum postquam *Eduardum Balliolum*, in fide ipsius & clientela se fore pollicitum, *Regem Scotiæ* creasset, proceres hujus regni in ordinem cogere sategit, deindeque *Davidem Brussium* è Gallia, quo, cum Balliolus regnum occupasset, ab optimatibus securitatis ergô, dum in æta-

(a) *L. 18.*

ætatem veniret, missus fuerat, reversum, & Angliam infestare ausum, per duces suos eodem, quo Creciacensem victoriam obtinuit anno, collatis signis fudit, & in potestatem suam redegit, post undecim uni demum annum in libertatem & regnum restituturum. Cæterum illas inter expeditiones victoriasque Regis Eduardi III. ortum cepit illustris *Equitum aureæ Periscelidis ordo*, de cujus institutione ejusque causis variant sententiæ: vulgus scriptorum originem ejus tribuit *ligaculo* de crure fœminæ cujusdam in pavimentum, dum choreæ ducerentur, delapso, atque à Rege, qui suo ordine in id impegit, sublato, feminamque eam *Comitissam Salisburiensem* ab illo tunc deamatam fuisse ajunt. Verum enimvero pervulgatam hanc traditionem in fabulæ dulcedinem compositam & quoad Salisburiensem Comitissam anachronismis laborare, præter alios emunctæ naris auctores insigniter demonstravit Vir Nobilis & in studiis elegantium literarum præcellens, *Elias Ashmolius*, in exquisito & augusto de Historia ordinis hujus commentario, vernacula sua lingua a. 1672. edito, veramque institutionis collegii hujus equestris causam eam fuisse planum fecit, quod Rex Eduardus III. jus suum in regnum Galliæ persecuturus, cum strenuis bellatoribus ad id opus haberet, *mensam rotundam* à fortissimo Britonum Rege *Arturo* seculo sexto, alendo absque proëdriæ contentionibus globo virorum gloria militari illustrium & aliquo societatis vinculo ab ipso conglutinatorum, instructam, restaurare constituerit, eumque in finem sollemnia hastiludia & gymnica certamina *Windsorii* celebranda edixerit, missis per omnem Europam literis invitatoriis, & structa in eorum qui adventuri essent victum quotidianum *mensa rotunda* ducentorum pedum. Cum verò Rex Galliæ Philippus Valesius retrahendo fortium virorum in Angliam confluxui institutum illud æmulatus esset, prætereaque Eduardus animadvertisset, hunc extraneorum bellatorum sine ulla distinctione receptorum convictum late nimis se diffundere, nec vinculum satis firmum ad eos sibi devinciendos & mutuo colligandos offerre, particulariorem societatem meditari cœpit, in quam adsciti arctiore fidelitatis nexu sibi adstringerentur; & quoniam in felici apud *Creciacum* prælio *periscelide* sua *tesseræ militaris* loco usus erat, ansam inde arripuit *ordinem equestrem* fundandi, cujus inter insignia *periscelis* primas teneret, *Patronus* verò *S. Georgius* esset tanquam bellatorum præses, hinc in eum cooptati *Equites aureæ periscelidis* sive *S. Georgii* indigitantur. Numerum eorum *senarium supra viginti* constituit, quorum *Princeps* sive superior *Rex Angliæ* jure perpetuo esset; jussit præterea ut annuatim diem festum *Georgii* solemni pompa celebrarent, induti veste trabeata, & ornati insignibus Ordinis in lævo pallii humero, in pectore & in crure. In humero enim gestari voluit parmulam argenteam, quam *Crux rubea* permeat & cingit *periscelis* cum lemmate: *Hony soit qui mal y pense*; in pectore verò imaginem *Georgii* equitantis & Draconem interficientis ex auro opere encaustico conflatam & gemmis distinctam, eamque dependentem à torque aurea; in crure denique iterum *periscelidem* verbis modo dictis inscriptam. His verò muneta voluisse Regem *Ashmolius* infert, in sinum ipsius dedecus ac opprobrium eorum lacessiturum, quisquis expeditionem ejus in Galliam sequius interpretari ausus fuerit, tantumque ei fiduciæ & præsidii esse in illis, quos Ordinis hujus insignibus dignaturus sit, ut malevolos omnes eorundem ope confundere sustineat. Facta est hæc fundatio in castro *Windsor* anno regiminis Eduardi III. tertio & vicesimo qui seculi XIV. nonus supra quadragesimum fuit. Explevit ille denique naturæ debitum in prædio suo *Sheene*, quod nunc *Richmond* audit, in Surria sito, consumptus ægritudine, quam è præmatura filii sui natu maximi morte contraxit, & spoliatus ac desertus à domesticis omnibus, atque ab ipsa etiam Concubina sua *Alisa Pierce*; omnium Angliæ Regum fortissimus, forma conspicuus, ingenio providus, perspicax & mitis, & omnis magni vitii expers. (a)

EDUARDUS *Woodstokii* natus & *Niger* cognominatus, vulgari sermone *The black Prince*, brevitatem vitæ magnitudine rerum gestarum pensavit. A patre suo Rege Eduardo III. initio *Comitis Cestriæ* titulum accepit, deinde anno ætatis septimo *Dux Cornubiæ* creatus est, atque adeò *primus* in Anglia *Ducalem dignitatem* gessit, postquam verò duodecimum annum attigisset, de Principatu Walliæ solemni ritu investitus *Princeps Walliæ* dici cœpit: atque duo hi tituli processu temporum penes Regum primogenitos permanserunt, ut *jure nativitatis Duces Cornubiæ*, creatione verò & *investitura Principes Walliæ* audierint. Decimo sexto ætatis anno in castris paternis militiæ tyrocinium fecit, & ante annos animum curamque virilem gerens *Creciacensis victoriæ* magna pars fuit, atque interfecti sua manu Regis Bohemiæ Johannis Lucemburgici decus retulit. Maximè verò virtus ejus ac prudentia militaris in *Pictonensi pugna* enituit, ubi post actas per Aquitanos, Septimanos, Narbonenses & Bituriges prædas, in casses Regis Galliæ Johannis ingenti exercitu armati illapsus, & numero longe inferior, versa in virtutem necessitate, & jaculatoribus suis inter vineta & senticeta, ne ab equitibus pessum darentur, dispositis, memorabilem obtinuit victoriam, Regemque captum in Aquitaniam hyematum atque inde in Angliam duxit,

(a) *Polyd. Virg. lib. 19. Sandfort. L. 3. c. 3.*

duxit. Post pacem Carnutensem à patre Aquitaniæ cæterarumque provinciarum, quæ in Anglorum ditionem concessere, Principatu donatus, Petrum Castiliæ Regem, à fratre notho Henrico regno exutum, postquam hunc magno apud *Nazarum* prælio d. 3. Apr. a. 1367. vicisset, in id restituit, exiguam quidem illo gratiam pro tanto beneficio referente, & Eduardi militibus stipendia merita denegante; unde isti cum ab illo indignato in Aquitaniam reducti fuissent, victum argentumque latrociniis quæritarunt; de quo cum apud Regem Galliæ Carolum V. Aquitanorum & Vasconum proceres conquesti essent, ausus est ille *Eduardo* diem dicere ad rationem insolentiæ illius reddendam. Recepit hic se venturum sed LX. millibus militum stipatum, novumque adeo bellum cum Gallis gerere occepit, cui post aliquot haud improsperos successus ex morbo in expeditione Hispanica contracto immortuus est, tristi sui desiderio apud patrem Anglosque omnes relicto; adhæsisse enim personæ ejus *Angliæ felicitas* videbatur, quippe quæ *Sandfordis* (a) verbis *ipso salvo floruit, ægrotante languit, moriente expiravit.* Uxor ejus JOHANNA Cantii Comitissa è propatruo ipsius nata, quam suo genio obsecundans, impetrata tamen à Pontifice Romano venia, duxit, ob formæ venustatem pulcra puella Cantiana *(the fair Maid of Kent)* appellari solebat, eademque fabularum architectis fuisse fertur, cujus amore parens illius Rex Eduardus III, Ordinem *aureæ Periscelidis* instituerit: vixit enim illa aliquandiu in conjugio Wilhelmi *Montague* II. C. Salisburiæ; sed postquam Thomas Holand Eques probasset, intercessisse sibi cum Johanna, antequam isti se absente nuberet, pactum & copulam matrimonialem, jussu Papæ divortium cum illo fecit, & in alterius contubernium transiit, aliquot liberorum mater ex eo facta, à quibus Comites Cantii & Huntingdoniæ, nec non Duces Surriæ & Exoniæ provenere; post excessum demum Thomæ Holand *Johanna* Principi *Eduardo* in manum convenit.


RICHARDUS II. avo suo Eduardo III. in regnum successit, *Burdegalæ* in lucem editus, & patre superstite *Comes Cestriæ*, eoque defuncto *Princeps Walliæ* dictus. Cum in Regem inaugurararetur, peragente solemnia Archiepiscopo Cantuariense *Simone Sudbury*, undecimum ætatis annum agebat, quare admoti ei sunt *tutores*, videlicet *Johannes Dux Lancastriæ*, & *Edmundus Comes Cantabrigiæ* ipsius patrui. Quale verò Regnum Richardo futurum esset, ipsa statim principia ostendebant, quæ turbida & domi forisque infesta fuere: Galli enim & Scoti ex juventute Regis opportunitatem rei feliciter gerendæ aucupantes, bellum magna alacritate capessiverunt, & facta in fines ac litora Angliæ eruptione prædas agere & agros vicosque vastare atque exurere cœperunt: adversus quos dum vario & ancipite Marte pugnabatur, domestici tumultus à Cantianis, Essexianis, Suffolciensibus, Cantabrigiensibus aliisque civitatibus conciti sunt, classicum canente *Johanne Ball*, qui seditiosis concionibus multitudinem adversus Nobilitatem & Clerum inflammabat; hi postquam magno conflato exercitu igni ferroque Nobilium, Præsulum & Monachorum vitas fortunasque vexassent & afflixissent, Archiepiscopum Cantuariensem nec non Regni Thesaurarium & alios complures securi percussissent; & Londinum usque progressi marius ab ipsa Regis matre non temperassent, tandem virtute & industria *Wilhelmi Walworth*, qui tunc in urbe Prætoris munus obibat; nec non Henrici Spenseri Episcopi Norricensis sublatis è medio eorum ductoribus Tylero & Littestero oppressi & ad officium redacti sunt. Graviores autem turbas dedit dissidium Parlamentum inter & Regem his ex causis ortum, quod is Robertum *de Vere* Oxoniæ Comitem & Michaelem *de la Pole*, è mercatore natum, quorum nulla de Republica erant merita, ad summas opes ac dignitates evexisse, & priorem Dublini Marchionem (quod axioma nemo Anglorum hucusque gesserat) & Hiberniæ Ducem, posteriorem verò Suffolciæ Comitem creasset, egregiorum ex adverso virorum rationem nullam haberet, neque Comitibus Arundeliæ & Nottingamiæ, ob captas centum naves Gallicas & Brestum obsidione liberatum bene de regno meritis, condignam referret gratiam; crevitque in immensum procerum erga gratiosos illos odium, postquam rescivissent, structas ab illis esse insidias vitæ Ducis Glocestriæ aliorumque qui Regis postulatis in solemni Senatu assentiri detrectaverant. Hinc ad arma jam concurrebatur, cum Rex Comitis Northamptonii consilio usus proceres rogavit, ad se ut venirent, & post aliquam tergiversationem ex diffidentia ortam ad ipsum profectos benigne excepit & delinivit: gratiosi verò illi ab aula sua sponte digressi in Henrici Lancastrii Comitis Derbiæ copias incidere, & manum conserere nequaquam ausi ægre trans mare evasere. Parta hoc pacto utcunque quiete domi, foris etiam pax sancita, & postquam à Regibus Richardo & Carolo in congressum colloquiumque Ardeam inter & Gisnam in Morinis ventum esset, desponsata *Richardo*, viduo biennio abhinc facto, fuit *Isabella de Francia* Caroli filia, octo annorum puella, eaque ab illo Caleti solemni ritu ducta, nulla tamen, ceu creditum est, secuta carnali copula ob tenellam nuptæ ætatem. Verum enimverò ad breve tempus illa duravit tranquillitas, intestinis turbis cito recrudescentibus; namque THO-

(a) *Lib. III. c. 4.*

THOMAS *Dux Glocestriæ* cum Regem verbis mordacibus suggillare & ignaviam appellare ausus esset, quod is Brestum maritimum oppidum Duci Britanniæ Armoricæ cessisset, posteaque illius iram, quam eo ipso in se derivaverat, veritus, ab aula se subduxisset, conspirationem iniit, qua evulgata in suo ipsius castro *Plesshey* in Essexia inopinato Regis adventu interceptus & Caletum missus, ibidem à Thoma *Mowbray* Comite Marescallo elisa laqueo cervice sui ferè interemtus est. Arundeliæ quoque Comes & alii conjurationis consortes in carcerem conjecti sunt, illeque deinde coram Parlamento capitis postulatus & damnatus fuit. Sed Henrico *Lancastrio* Darbiæ Comiti & Thomæ *Mowbray* modo dicto, quos Rex novis titulis Ducum Herefordiæ & Norfolciæ auxerat, quique se invicem sine teste proditionis insimulaverant, certamen singulare concessum, ad quod ineundum dum in procinctu stabant, discedere ex arena & diversis in locis exulare jussi sunt. Norfolciensis itaque in Italiam abiit, Herefordiensis autem in Galliam trajecit, unde hic ex instinctu Cantuariensis Archiepiscopi ob dictam conjurationem extorris, clam domum rediit, redemptione patrimonii sui, quod patre ipsius Lancastriæ Duce mortuo Rex fisco addixerat, obtentui sumta, reapse vero ut associata sibi procerum manu Regem, insolentius se, prout ipsi videbatur, gerentem, in ordinem cogeret, auctus etiam confluxu multorum omnis generis virorum, urbes quasdam intercepit, & in regis consiliarios capitali supplicio animadvertit. *Richardus* in Hibernia tunc erat perdomandis rebellibus intentus, cumque nuncium mortuum illorum accepisset, perturbatus quidem est, nec tamen in Angliam reverti, & præsentia sua venienti occurrere malo properavit, sed præmisso Comite Salisburiense tum demum venit, cum ingentes jam tractus ad Lancastrium defecissent, & copiæ quæ ad dictum Comitem pro Rege militaturæ confluxerant, rumore mortis ejus è mora orto iterum diffluxissent: hinc animum protinus despondit, & illis quoque qui remanserant dimissis, & rebus secundioribus se servare jussis, ad Conviense castellum una cum Ducibus Surriæ & Exoniæ confugit. Inde à Comite Northumbriæ cui à Lancastrio ad se misso dixerat, paratum se esse regnum illi relinquere, dummodo reliquum ætatis sibi quiete ne: tenuiter transigere liceret, Flintium abductus & post breve cum Lancasterio colloquium Londinum celeriter pergere atque in Turri [illegible] sic dicta mansitare coactus est. Parlamentum deinde jussu Lancastrii sub ementito Regis nomine conscriptum, in quo *Richardus* prolixo libello ex XXXIII. articulis conflato regiminis male gesti accusatus, Regioq; honore & titulo indignus judicatus fuit, quo cognito ille meticulosior factus spontanea abdicatione regnum in *Henricum Lancastrium* patruelem suum transtulit, quod factum d. 29. Sept. a. 1399. & publico diplomate confirmatum ac divulgatum. *Richardus* deinde in Pontifractense castellum deductus eodem adhuc anno mortem obiit, quam aliqui spontaneam & abstinentia contractam, plures violentam fuisse memoriæ prodidere, atque illatam à *Petro* quodam Exoniense Equite, qui cum novum Regem quodam die audivisset ingemiscentem; ecquis me inviso illo homine liberabit? statim cum octo aliis Pontifractum profectus, & *Richardum* cum forte prandentem armata manu adortus est; is verò propere exurgens percussorum cuidam securi extorta, quatuor ad internecionem mulctavit, & tandem ab ipso Petro bipenni in capite ictus & prostratus est. Corpus mortui ad Langleium Prædicatorum cœnobium delatum, ibidemque terræ mandatum, sed jussu Regis Henrici IV. erutum & *Westmonasterii* majorum tumulo illatum est. (a) Fuit in eo, *Polydori* (b) verbis, formæ gratia, animus non vilis, quem consociorum perversitas, improbitas, insulsitas extinxit; fuit item summa infelicitas, ut qui in talem inciderit calamitatem, ut in maximi beneficii partem acciperet, abdicare se imperio, pro quo mortales solent cætera omnia projicere.

LIONELLI, *ab Antverpia*, ubi in lucem prodiit, cognominati, quem Rex Edwardus III. ipsius pater primo *Ultoniæ Comitem* in Hibernia jure uxorio, postea *Ducem Clarentiæ* in Suffolcia creavit, progeniem, ex ejus filia unica PHILIPPA & *Edmundo Mortimerio* Comite Marchiæ ortam, subjunctam exhibet Schema sextum, ut pateſcat, qua via Richardus Dux Eboraci ab illo descenderit, quoque jure is ejusque propago sibi prærogativam in regnum adversus Lancastrios quæsitum iverit, unde famosa illa inter *rosam rubeam & albam* sive Lancastrios & Eboracenses dissidia, de quibus inferius dicetur, orta sunt. Enimverò liceat id unum prælibare; contendebant posteriores secundum consuetudinem in Anglia receptam, qua defuncti hæreditatem proximior nulla sexus habita ratione adiret, non debuisse quemquam è Lancastrica stirpe in regnum succedere, dum *Lionelli*, utpote natu potioris fratre Johanne Lancastrio, progenies superesset; id quod etiam Rex Richardus II. agnovisse visus est, cum spe sobolis frustratus, a. 1387. ROGERUM MORTIMERUM, Lionelli è filia nepotem, hæredem *apparentem* Coronæ Anglicæ declararet; quam tamen successionem ei fatorum malignitas invidit, utpote superstite Richardo ab Hibernis, quos vicaria potestate regebat, apud Kenlisum trucidato: dumque cædem ejus Rex ulcum ibat Henricus, Lancastrius regnum eo quo dictum est modo rapuit,

(a) Sandford. L. III. c. 3. (b) Lib. 20.



& deinde EDMUNDUM *Mortimerum*, Rogeri filium, suspectum sibi & formidolosum, gravibus periculis objecit, tandemque sempiternæ custodiæ tradidit, in qua post vicesimum demum annum contabuit, nulla post se prole relicta; qua tempestate patruus quoque ejus JOHANNES *Mortimerus* à Rege Henrico VI. in vincula conjectus & proditionis delatus cruculentum subiit supplicium. Quoniam de cætero ultimam *Mortimeriæ* stirpis propaginem tabula exhibet, haud intempestive priorem hic subtexturi videmur. Originem ejus *Wilhelmus Dugdalius* (a) ad *Radulphum Mortimerum* sive *de Mortuo mari*, refert, qui ætate Wilhelmi Conquestoris vixit, eidemque ad occupandum Angliæ regnum strenuam commodavit operam, & pater extitit *Hugonis*; is a. 1156. fato functus post se reliquit *Rogerum*, quo & *Isabella de Ferrers* natus *Radulphus* è *Gladusa*, Leolini Principis Walliæ filia, genuit *Robertum*, Mathildæ de *Braose Brekonk* maritum & ex ea patrem *Edmundi*. Hoc & *Margarita de Fendles* satus præter alios *Rogerus* titulum *Comitis Marchiæ* primus gessit, idemque fuit de cujus familiaritate cum Regina Isabella de Francia, Eduardi II. uxore, & supplicio quo a. 1330. affectus est, superius diximus. E conjuge sua *Johanna* Petri *de Genevill* Hiberni filia, complures suscepit liberos, quos inter natu maximus *Edmundus Marchiæ Comes*, in flore ætatis a. 1331. mortuus, viduam post se reliquit *Elisabetham Badlesemeriam*, eamque matrem *Rogerii II. Comitis Marchiæ*; is a. 1360. ad plures abiit, postquam ex uxore *Philippa de Montacuto*, Wilhelmi Com. Salisburiensis filia, genuisset EDMUNDUM *Mortimerum C. Marchiæ*, huncque generum Lionelli Clarentiæ Ducis, *Rogerum* in pueritia mortuum, & *Margaritas duas*, quarum natu major Roberto *de Vere* Comiti Oxoniensi, altera Baroni *Audley* nupsit.

Circa *clypeos* Regum Principumque in Schemate VI. enumeratorum notatum jam est, Regem *Eduardum* III. *lilia Gallica cum leonibus Anglicis quadripartitim conjuncta* in scuto suo ostentasse, cui postea Richardus II. *telamones* primus addidit, *angelos* nempe *duos*. *Thomas Norfolciæ Comes* R. Eduardi I. filius scutum regium, è *solis Leonibus* tunc constans, *lambello trifido* distinxit, *Edmundus* autem *Cantii Comes* ejus frater *limbo argenteo*. Simili huic discriminiculo usus est *Johannes Cornubiæ Comes*, Eduardi II. F. *limbo* scilicet, sed *cæruleo liliis aureis ornato*. Inter Eduardi III. filios natu maximus *Walliæ Princeps* clypeo, ex Anglicis & Gallicis insignibus quadripartito, *lambellum trifidum argenteum* imposuit, cujus segmenta *Lionellus Dux Clarenciæ plinthidibus* distinxit; *Thomas* vero *Glocestriæ Dux limbo argenteo* illud circumdedit. *Mortimeri* denique usi sunt scuto *sexies auro & cyano fasciato, cum parmula argentea in meditullio*, nec non *capite scutarii aureo, palis tribus & duabus normis cæruleis* distincto.

CAPUT V.

DE FAMILIA REGIA LANCASTRICA.



OHANNES, *Gandavi* in Flandria in lucem susceptus *Richmondiæ Comitis* axioma gessit initio, donec in titulos ac dignitates soceri sui Henrici Ducis Lancastriæ succederet; ejus quippe hæreditatem post defunctam sine prole Mathilden Bavariæ Ducissam, quæ soror erat natu major *Blancæ*, primæ ipsius conjugis, ex asse crevit, atque ex illo tempore *Lancastriæ Dux* appellari cœpit. Posteaquam vero *Constantiam*, Petri Regis Castiliæ & Legionis filiam natu maximam, eamque regnorum illorum hæredem, in matrimonium duxisset, Regium axioma adscivit; quod tamen iterum abdicavit, & Ducis Lancastriæ titulum resumsit. Nimirum cum juri suo in dicta regna adversus Johannem Henrici Trastamari, qui Petri frater naturalis erat, filium eorumque usurpatorem vindicando, exercitu & classe à Rege Richardo II. instructus, expeditionem in Hispaniam suscepisset, post aliquas exigui momenti in Castiliam excursiones pacem cum Johanne iniit, eique regna cessit, pactus sibi uxorique viginti millia librarum annuatim dum viverent persolvenda, filiæ vero suæ *Catharinæ*, quam unicam è *Constantia* suscepit, matrimonium cum Henrico Asturgorum Principe, Johannis gnato. Hæc expeditio majore strepitu quam successu suscepta congruebat cum prioribus ipsius actis, quæ ut plurimum adversa fœdaque evenerunt: namque patre superstite exercitum pulchre instructum & sibi concreditum inter Arverniæ montes amiserat, & regnante Richardo in Gallia pariter & Scotia rem male gesserat; neque tamen æquo animo in secundo se continens gradu. Postquam ex Hispania in Angliam rediit in Parlamento a. 1395. habito postulavit, ut filius ipsius *Henricus Bullingbrocensis* hæres Coronæ Anglicæ declararetur, quippe qui genus maternum referret ad Edmundum primum Lancastriæ Comitem, quem fratrem Regis Eduardi

(a) *Baronage T. 1. p. 138.*

Eduardi I. natu majorem, sed ob vitium corporis in regno isti posthabitum fuisse assertum ibat, adversarium verò & confutatorem hujus sententiæ nactus Rogerum Mortimerum Marchiæ Comitem, Lionelli Ducis Clarentiæ, fratris sui natu majoris, è filia nepotem. Haud ita multo post cunctis admirationi fuit, cum qui immoderata & nimis alta semper concupiverat, usq; adeò animum demitteret, ut postquam abhinc biennio Constantiam de Castilia uxorem suam secundam amisisset, *Catharinam* Ottonis *Swynford* viri equestris loci viduam, eamque filiam Fecialis cujusdam, cui nomen erat *Payn Roet*, sollemni nuptu in matrimonium duceret. Erat ipsi cum illa stupri vetus consuetudo, eaque haud infœcunda; aliquot enim ex ea sustulerat liberos, quibus *Bellafortii* in Andibus, (quod castrum Blança de Artesia Edmundo Comiti Lancastriæ marito suo attulit) natis, cognomentum *Beaufort* indidit, atque impetravit, ut in Parlamento a. 1396. habito jure natalium donarentur. Explevitq; denique Johannes Lancastrius mortalitatem sexagenario proximus, sepultusque est Londini in æde Paulina. (a)

HENRICUS cognomen *de Bullingbrook* à castro Linicolniæ, in quo lucem primitus aspexit, & titulum *Comitis Darbiæ* à R. Richardo II. accepit, hujusque nominis famam præclaris factis extendit, suscepta in Prussiam Livoniamque peregrinatione, & strenua Crucigeris adversus Lithuanos ac Polonos opera navata. Postea *Herefordiæ Ducis* axiomate ab eodem Rege auctus est, non ita multo ante quam in fatalem cum *Thoma Mowbray* contentionem veniret: hunc enim proditionis publicè postulavit, ab illo vicissim ejusdem criminis insimulatus. Cum verò utrique idonei testes deficerent, statuit Rex duelli sortilegio experiri, uter sons aut insons esset. Itaque indicto die & loco in arenam coram omni populo armati & equis vecti descendere, erectisque lanceis coitionis signum avide expectarunt, cum Rex mutato repente animo per fecialem ambos sistere gradum, atque armis exutos facessere ac solum vertere jussit. Norfolcius in Italiam abiit; *Herefordius* in Galliam; illum ex ægritudine mors ibidem consecuta est, hic verò post breve temporis spatium instinctu Thomæ Arundelii, Archiepiscopi Cantuariensis itidem extorris, in Angliam remigravit, atque ex absentia Regis, quem tunc vindicta cædis Rogeri Mortimeri in Hibernia distinebat, opportunitatem rebus suis consulendi nactus, ea potentiæ incrementa cepit, ut Richardum in Angliam post festum reducem factum, ad deponendum & sibi tradendum coronam adigeret, quemadmodum in exegesi vitæ ipsius dictum est. Inauguratus in *Regem Henricus* à Præsule supra memorato atque exilii socio, regnum vi partum beneficiis constabilire contendit, acceptarum injuriarum memoriam abolevit, Comitem Warvicensem captivum & Arundelium extorrem in integrum restituit; autores verò necis Ducis Glocestriæ patrui sua mala mulctavit morte; neque tamen cavere & providere valuit, quo minus qui per turbas ad regale solium grassatus fuerat, perpetuis divexaretur tumultibus. Initium eorum à magna procerum parte factum, quos inter familiam ducebant Cantii, Huntingdoniæ & Rutlandiæ Comites; hi conjurationem iniere interficiendi *Henricum*, Oxoniam eum in finem ad hastiludium invitatum, illa verò Rutlandii levitate detecta, cæteri quod dolo nequiverant, bello aperto perficere conati sunt, sacerdotem quendam, cui nomen erat *Magdalen*, æqualem Richardo tunc adhuc superstiti, atque haud disparem habitu oris & corporis, veste regia exornatum, pro Rege exauctorato circumferentes, huncque se restitutum ire dictitantes; sed cum ipsorum copiæ dilapsæ partim, partim cæsæ essent, autores capti supplicium subiere. Has turbas excepere Wallorum motus & Scotorum excursiones, quibus tum suapte tum victoriorum suorum virtute ac felicitate *Henricus* superior factus, mox cum acerrima Perciorum rebellione conflictari necesse habuit: namq; *Thomas* & *Henricus Percii*, ille Vigorniæ Comes & Moderator pueritiæ filii regii, hic Comitis Northumbriæ gnatus, rebus novis studentes, occasione belli Scotici militem conscripsere, sesequè cum *Owveno Glendour*, qui Wallos ad rebellionem concitaverat, conjungere, & Salopiam sibi peropportunam intercipere tentarunt, sumpta obtentui cura publicæ privatæque salutis, quam *Henricus* eversum iret, revera autem eo tendentes, ut Edmundi Mortimeri, affinitate sibi juncti, prætensioni velificarentur, & *Henricum* regno vitaque exuerent, illud ita jam inter se dispertiti, ut *Mortimerus* Angliæ partem Australem, *Percii* Borealem, *Owvenus* autem Walliam, quæ trans *Sabrinam* est, haberent. Rex de his certior factus, celeritate utendum ratus est, & contracto exercitu Salopiam advolavit, atque ut primum ab adversariis pugnæ copia data fuit, strenue congressus, inclinatam jam Wallorum perfidia suorum aciem sua ipsius filiique cognominis fortitudine restituit, victoriamque hostibus post cæsum à gregario milite *Henricum Percium* eripuit; *Vigorniæ Comes* captus seditionem capite luit: incidit hæc pugna in diem 21. Jul. a. 1403. Post biennium novas dedere turbas *Thomas Mowbray* Comes Marescallus, Norfolciæ Ducis, in exilio Italico mortui filius, nec non *Richardus Scroope* Archiepiscopus Eboracensis, accessitque eorum conjurationi Northumbriæ Comes, verum illis à Radulpho Nevil Comite Westmorlandiæ interceptis atque ad capitale supplicium abstractis, posteaque Northumbriæ Comite acie exuto & in fugam acto finem tandem bellis

(a) Sandford. L. 4. c. 1.

FAMILIÆ REGIÆ PLANTA- quo LANCASTRICA LINEA

Johannes Plantageneta, cogn. *de Gaunt*, Rex Castiliæ & Legionis, DUX LANCASTRIÆ & Comes Richmondiæ, Darbiæ, Lincolniæ & Leycestriæ, Senescallus Angliæ, Regis Eduardi III. F. n. 1340. † 1399.

1. HENRICUS IV. REX ANGL. ET FR. Dn. Hiberniæ cogn. *de Bullingbrook* n. 1366. coron. 13. Oct. 1399. † 20. Martii 1413. 1. *Maria de Bohun, Humphredi C. Hereford. Essex. & Northampton. fil. & cohær. 1380. † 1394.* 2. *Johanna, Caroli II. Regis Navarræ f. Johannis D. Britan. vid. 1403. † 10. Jul. 1437.*

1. HENRICUS V. REX ANGL. ET FR. Dn. Hib. n. 1388. cor. 13. Apr. 1413. † 31. Aug. 1422. *Catharina Caroli VI. R. Gall. f. 3. Jun. 1420.*

Blanca nupta *Ludov. Barbato Elect. Palat. 1402.*

Thomas Dux Clarentiæ C. Albemarlæ, occ. in pr. Baugiac. 1421. *Margarita Holand, Thomæ Com. Cantii f. Johannis C. Somerset. vid. † 31. Dec. 1440.*

HENRICUS VI. REX ANGL. ET FR. Dn. Hib. cogn. *de Windsoor* n. 6. Dec. 1421. cor. 6. Nov. 1429. exautoratus 1461. † 11. Maji 1472. *Margarita Renati D. Andium Regis Neapol. f. 22. Apr. 1445.*

Johannes de Clarentia *nothus.*

Eduardus de Lancastria Dux Cornubiæ, Pr. Walliæ, C. Cestriæ n. 13. Oct. 1453.

JOHANNIS *de Gaunt* D. LANCASTRIÆ

Johannes *Beaufort* C. de Somerset † 21. *April. 1410. Margarita Holand. Thomæ C. Cantii f.*

Henricus *Beaufort* Episc. Lincoln. 1397. Vinton. 1426. *Cardinalis S. Eusebii* 1426. † 11. Apr. 1447. ⊙

Henricus *Beaufort* C. de Somers. baptiz. 16. Octobr. 1401. † 1404.

Johannes *Beaufort* Dux & Com. de Somers. Eq. Peris. † 27. Maii 1444. *Margarita Beauchamp Oliverii S. John Eq. vid.*

Edmundus *Beaufort* Dux Somers. M. Dorset. Eq. Perisc. occ. in pr. S. Alban. 22. Maji 1455. *Eleonora Beauchamp Richardi C. Warwic. f. & cohær. † 12. Mart. 1467.*

Margarita nupta 1. *Edmundo Tudor C. Richmond.* 2. *Henrico Stafford.* 3. *Thomæ Stanley C. Darbiæ † 27. Jun. 1509.*

Henricus *Beaufort* D. Somers. *decoll.* 3. Apr. 1463. *Johanna Hill, sive de la Montaigne.*

Edmundus *Beaufort* D. Somerset. *decoll.* 1471. 6. Maji cœlebs

Johannes *Beaufort* occ. in pr. Tewkesbur. 4. Maji 1471.

1. HENRICUS VII. REX ANGL. & FRANC. *Vid. Tab. IX.*

Carolus Somerset *nothus* COMES WIGORNIÆ, &c. *Vid. Tab. XIV.*

GENETICÆ SCHEMA III.

POSTERIOR recensetur,

Ux. 1. *Blanca Henrici D. Lancastriæ fil. & cohær. 17. Maji 1359.* † *1369.* 2. *Constantia Petri R. Castil. & Leg. f. 1372.* † *1394.* 3. *Catharina Roet, Ottonis Swynford Equitis vidua* † *10. Maji 1403.*

1. Philippa uxor *Johan. I. R. Lusit.* 1387. † 1415. | 1. Elisabetha nup. 1. *Johanni Holand Com. Huntingdon D. Exon.* 2. *Johanni Cornwal B. Fanhope de Milbrook* † *1425.* | 2. Catharina nup. *Henrico Pr. Asturgor. post R. Castil. & Leg.* *

Johannes Dux Bedford, And. & Alenc. C. Meduan, Richm. & Candal. † 14. Sept. 1435. 1. *Anna Johannis D. Burg. 1423.* † *14 Nov. 1432.* 2. *Jacobina de Luxemburg Petri Com. S. Pauli fil.* † *30. Maji 1472.* | Philippa ux. *Erici Regis Dan, Suec. & Norvv. Ducis Pomerania. 1405.* | Humphredus Dux Glocestriæ C. Pembroch, occ. 1446. 1. *Jacobina de Bavaria C. Holland, Seel. & Hannon,* 2. *Eleonora Cobham Reginaldi Bar. de Sterborough f.*

Antigona, *notha* uxor *Henrici Grey C. de Tanquerville B. Powis.*

occ. 13. Maji 1471. *ux.* *Anna Nevil Richardi Com. Warwic. fil. & cohær. 1470.*

è CATHARINA SWYNFORDIA PROGENIES.

Thomas *Beaufort* Dux Exoniæ C. Dorset, & Harcourt Cancell. Angl. *Eq. Perisc.* † 27 Dec. 1424. Margarita Thomæ Nevil. *f.* | Johanna *Beaufort* nup. 1. Roberto Ferrers. 2. Radulpho Nevil. C. Westmorland † 13. Nov. 1440. *

Thomas *Beauf.* | Johanna nupta 1. *Jacobo I. R. Scot. 1423.* 2. *Jacobo Stuarto* † *15. Jul. 1445.* | Margarita Uxor *Thomæ Courtney C. de Devon.* | Johanna, *notha*, nup. Eduardo Stradling Equ.

Thomas *Beaufort* † juv. | Eleonora nup. 1. *Jac. Butler Com. Ormond.* 2. *Roberto Spencer.* | Johanna nup. 1. *Baroni Hoth in Hib.* 2. *Roberto Fry Eq.* | Anna Uxor *Wilhel. Paston de Norfolk.* | Margarita nup. 1. *Humphr. C. Stafford.* 2. *Richardo Darrel.* | Elisabetha Uxor *Henrici Lewis Eq.*

civilibus *Henricus* imposuit. Parta quiete expiando sanguini quem profuderat profectionem in Palæstinam, *Cruciatam* vocare solebant, adornavit, sed rebus ad eam necessariis parandis intentum mors occupavit; apoplexia enim correptus est in æde Westmonasteriana, cumque se in conclave quoddam, cui Hierosolymitanum nomen inditum erat, deportatum esset, in omen id traxit, mortemque sibi instans præsensit, filium suum hortatus, ut regium diadema, ad quod capessendum parum sibi juris fuisse jam agnoscebat, sedula justitiæ administratione firmare aut potius corrigere anniteretur. Corpus defuncti *Cantuariam* delatum, ibidemque in templo Christi juxta Eduardi Nigri sepulchrum reconditum est. (a) Fuisse *Polydoro Virgilio* (b) fertur honesta statura & justa, membris gracilibus ac animo magno.

HENRICI V. *Monmuthii*, quod in finibus Walliæ meridionalis situm est, nati, vitia ineuntis adolescentiæ magnis sunt emendata virtutibus; egressus enim ex ephebis liberius vivebat, multaque se indigna agebat, sentiens verò parentem ea propter animo esse abalienato, sua sponte ad meliorem frugem rediit, inventaque suæ corruptores missos fecit. Cum sextum & decimum annum ageret, prima militiæ rudimenta in bello intestino adversus Percios rebelles dedit, & in memorabili ad Salopiam prælio, juvenis imperterriti atque ad pericula impigri nomen cum honorifico in facie vulnere retulit. Inauguratus in Regem post patris obitum ab Archiep. Cantuariensi Th. Arundelio, ne deside cura virilis animus langueſceret, impulsu procerum suorum mentem ad vindicationem juris sui in regnum Galliæ appulit, & missis fecialibus coronam à Rege Carolo VI. repetiit, injecta mentione conjugii cum nata ipsius Catharina contrahendi; repulsa verò & ludibrio læsus exercitum classemque comparavit. Accincto ad expeditionem moram injecit conjuratio forte detecta, quam comprehensis & supplicio affectis autoribus, videlicet Richardo Comite Cantabrigiæ, Regii sanguinis Principe, Henrico Bar. Scroope & Thoma Grey, postquam oppressisset, idoneum ventum nactus, classem CLX. navium solvit litorique Gallico appulsus facta exscensione Harflæum sub potestatem suam redegit, atque ulterius progressus cum Somam trajicere tentaret, hostem cum magno exercitu obvium habuit; reperto tamen vado eoque superato, sed copiis ipsius fame morbisque attritis, misso oratore pacem & securitatem abeundi à Gallis petiit. Hi trepidationem id interpretati ludibrio internuncium habuere, & triumphum ante victoriam canentes, currum, quo Henricum captivum ducerent pararunt, magnaque confidentia adversus Anglos moverunt. Ille itaque necessitate in virtutem versa ad pugnam se suosque celeriter accinxit, & prælium ea fortitudine atque arte iniit, ut post diuturnum certamen & magnam stragem in fugam tandem Gallos conjiceret; ipsemet hostibus immixtus Alenconii Ducem suapte manu prostravit & gregario militi conficiendum reliquit. Hæc apud *Azincurtium* d. 24. Oct. a. 1415. contigit victoria, cæde & captivitate bene multorum Galliæ procerum maximè insignis, qua tam moderate usus esse *Henricus* memoratur, ut sub capitis supplicio interdixerit, ne quis suorum sarcasmis aut petulantibus cantilenis Gallorum adversitati insultaret, sed potius sacris hymnis Divini nominis gloriam prædicarent atque extollerent. Cum deinde mediante Imperatore Sigismundo, qui è Gallia in Angliam trajecerat, pacis mentio inter utramque gentem injiceretur, neque Henricus ab ea alienus esset, cœpere Galli Harflæum oppugnare, quo audito ille pacificationem abrupit, fratremque suum JOHANNEM *Bedfordiæ Ducem* cum ducentis navibus emisit. Is classem Gallorum in Harflæano portu adortus, quingentas eorum naves mersit, oppidumque obsidione liberavit. Haud meliore fortuna usi sunt Galli, cum postea conductis Genuensium aliquot prægrandibus navigiis Harflæenses commeatu intercludere tentarent, à Comite Huntingdonio dispersi & fugati. *Henricus* deinceps nova in Galliam expeditione suscepta brevi tota potitus est Normannia, & multis prosperis successibus eo tandem Gallos redegit, ut instituto in Tricassiorum civitate conventu Henrico *Catharinam* Caroli VI. filiam natu minimam & eximia forma præditam nuptui collocarent, cumque *regentem & heredem regni Franciæ* declararent. Eas in conditiones cum Delphinus consentire detrectaret, bellum adversus ipsum continuatum, & post varia oppida, quæ ejus partes fovebant, expugnata dies ipsi dicta fuit, qua ante marmoream mensam Lutetiæ se sisteret; neutiquam verò comparentem Henricus proscripsit, prætereaque sua auctoritate usus monetam cudit, cui *salutis* nomen indidit, Gallicis Anglicisque insignibus mixtam. Postea fratre suo THOMA *Clarentiæ Duce* Franciæ & Neustriæ vicaria potestate imposito in Angliam remigravit. Ille verò brevi temporis spatio interjecto cum in Andes excursionem fecisset, & præda gravis reverteretur, in insidias ab Alenconio sibi structas proditione exploratoris sui incidit, vitamque post acre certamen cum præcipuis suorum amisit. Ejus cædem ulturus Rex cum ingenti exercitu in Galliam denuò trajecit, & Carnuto ab oppugnatione Delphini liberato, eundem omnibus, quæ in Francia & Campania interceperat, locis exuit; verum dum Conensibus in Burgundia ab illo obsessis auxilio advolat, febrim ex animi corporisque vehementiore commotione contraxit, ob quam subsistere coactus per

(a) *Sandford. L. IV. c. 2.* (b) *Lib. XXI.*

per Ducem Bedfordiæ fratrem suum destinata executioni mandavit, & Delphinum ad Bituriges abegit, qui exinde in ludibrium *Rex Bituriguus* indigitatus est. Ingravescente autem morbo è ventris profluvio, quod accesserat, ad Vincennense nemus delatus est, ubi JOHANNE *Bedfordiæ Duce* Neustriæ & Franciæ, titulo regentis, præfecto, HUMPHREDO autem *Glocestriæ Duce* Angliæ præposito, intra paucos dies decessit, in summo ætatis & gloriæ flore, tristi sui desiderio subditis relicto. Exuviæ ejus in Angliam transvectæ *Westmonasterii* ad pedes R. Edvardi Confessoris tumulatæ sunt, hac addita epigraphe:

Dux Normannorum, verus Conquestor eorum
Verus Francorum decessit, & Hector eorum. (a)

Fuit referente *Polydoro Vergilio* (b) statura corporis, quæ justam excederet, corpore gracili, membris æqualibus, & validis, facie decora, collo oblongo.

HENRICI VI. *Vindsoriæ* in lucem suscepti fatum parens ipsius præsensit ac prædixit, cum accepto de nativitate ejus nuncio in hæc erumperet verba: *Mihi Henrico Monmuthiensi perbrevis erit vita regnique usura, magnis vero victoriis & imperii mei incrementis pensanda; sed Vindsoriensi longe diuturnior, cuncta tamen perdituro: fiat autem Divina voluntas.* Equidem principia regni illius haud male se dabant, & prævalebant tunc secunda adversis, Gallis duplici prælio ad *Crevantium* primo posteaque ad *Vernolium* virtute bigæ fortium virorum *Thomæ Montague C. Salisburiensis* & *Johannis B. Talbot* superatis & cæsis; postquam vero prior ex his in oppugnatione Aureliani occisus, alterque eodem anno qui 1428. fuit à Gallis captus fuisset, restare Anglis odiosius fortuna cœpit, atque excitata famosa illa *puella Aurelianensi* & discordia inter Duces Burgundiæ & BEDFORDIÆ sata, atque adeo illo ad Gallorum partes abstracto, hoc autem intempestiva morte viventium numero exempto, rebus Anglicis in Gallia plurimum detrimenti attulit; qua tempestate die sc. 17. Nov. a. 1431. *Henricus* Lutetiæ Parisiorum in *Regem Franciæ* solemni pompa, præsente & homagium ipsi præstante maxima Gallicæ Nobilitatis parte ab Henrico Cardinale S. Eusebii propatruo suo coronatus fuit, postquam abhinc biennio in *Regem Angliæ* ab Archiep. Cantuariensi *Henrico Chichley* Westmonasterii inauguratus esset. Opportunissima cæteroquin Carolo Delphino ad res suas restaurandas se præbuere dissidia, inter primores Angliæ orta: primum enim HUMPHREDUS *Dux Glocestriæ* regni Protector & *Henricus Cardinalis* paulo ante memoratus discordare, & sibi invicem invidere cœperunt, ita ut ille alterum ambitus, protervíæ atque impietatis in Regem accusaret, hic vicissim prioris conjugem veneficii, quodque magicis artibus Regis vitæ insidiata fuisset, deferret, & perficeret, ut perpetuo in insula Man carcere plecteretur. Erat ea *Eleonora Cobham* secunda Humphredi uxor, quam is post dimissam Jacobam de Bavaria, Hollandiæ, Selandiæ & Hannoniæ Comitissam, ad priorem maritum Johannem Brabantiæ Ducem, à quo ipsam avellerat, jugali vinculo sibi sociavit. Postmodum cum Rex instinctu *Wilhelmi de la Pole* Com. Suffolciæ, ingratiis verò primatum regni, Margaritam Andegavensem in matrimonium duxisset, non quievere illa & Suffolciensis, donec perficerent, ut *Glocestrius*, qui regnum XXV. annorum spatio summa laude probitatis & justitiæ administraverat, & *Boni* nec non *Patris patriæ* encomium promeruerat, loco moveretur, atque à Parlamento ab ipsis Rege inscio coacto, proditionis postulatus in carcerem conjiceretur, in quo paucos post dies strangulatus est, sparso rumore ac si apoplexia subito mortuus esset. (c) Eorundem pravis artibus factum quoque est, ut *Richardus Dux Eboracensis* de munere Proregis Franciæ, quod inde à Bedfordii decessu haud male obierat, deturbaretur, atque *Edmundus Somersetensis* ad id eveheretur, quo ipso gliscens inter illos æmulatio in Vatinianum exarsit odium; quod tamen Eboracensis sub pectore recondidit, donec morte Henrici Cardinalis S. Eusebii, qui Somersetensis patruus erat, dignatione atque opulentia præpollens, prætereaque invidia publica, qua iste nec non Suffolciensis laborare cœperunt, culpa etiam amissæ cum Normannia totius Franciæ solo Caleto excepto, onerati, opportunitatem illos supplantandi nactus est. Itaque postquam Parlamentum extimulasset ut Suffolcio in jus vocato exilii pœna irrogaretur, isque dum vela in Galliam faceret, à nonnullis interceptus & securi percussus esset, ut Somersetensem etiam pessundaret, Hibernos, apud quos tunc occasione motuum illic à turbonibus quibusdam concitatorum agebat, sibi conciliare studuit, devinctisque eorum animis jus suum in regnum ostentare & verbis extollere cœpit, quod scilicet sibi, à Lionello Clarentiæ Duce, qui Lancastrii frater natu major erat, maternum genus ducenti, regnum merito competeret, reperitque facile asseclas, eo quod Rex ob væcordiam, primores verò ejus ob res in Gallia pessimè gestas, male vulgo audirent. Inter Angliæ incolas Cantianos suas in partes traxit: hi duce *Jacobo Cade*, qui annuente Eboracensi *Mortimeri* nomen assumsit, magno atque instructo exercitu Londinum moverunt, & cæsis regiis copiis earumque ductoribus Humphredo & Wilhelmo Staffordiis urbem occuparunt, qua tamen paulò post iterum ejecti sunt,

Pseudo-

(a) *Sandford. L. IV. c. 3.* (b) *L. XXII.* (c) *Sandford. L. IV. c. 7.*

Pseudo-Mortimero in fuga trucidato. Venit deinde Eboracensis Londinum, specie querelarum contra adversarios suos, inprimis Somersetensem exhibendarum; revera ut socios sibi acquireret; hinc post conciliatos sibi Norfolciæ Ducem & Sarisburiæ ac Devoniæ Comites in Walliam profectus exercitum celeriter conscripsit, cui cum alium Rex objecisset, pax composita est, conjecto ad speciem in carcerem *Somersetense*; verum eodem mox libertati reddito, & viceversa *Eboracense* captivi instar ante Regem ducto, Londinum discessum, ibique actis inter utrumque Ducem disceptatio coram Parlamento agitata est, altero alteri proditionis crimen impingente; res denique eò rediit, ut *Eboracensis* fidem suam Regi solemni sacramento obstringere & Wigmorum castrum suum abire juberetur: namque rumor percrebuerat, filium ejus *Eduardum Comitem Marchiæ* instructo cum exercitu advenire. Ille verò stimulis clandestinis perfecit tandem, ut *Somersetensis* in ipso Reginæ conclavi sisteretur, & custodiæ mandaretur, quem tamen Rex Londinum licet æger profectus in libertatem restituit, & Caleto præfecit. Quare irritatus *Eboracensis* cum sociis copiisque Londinum advolavit, & conserta cum regiis manu apud *Albani fanum* d. 22. Maii a. 1451. superior discessit, cæsis eorum quinque millibus una cum ipso Duce *Somersetense* & Comitibus Northumbriæ ac Staffordiæ. Rex ipse, qui in rusticum tugurium se receperat, in victorum potestatem devenit, à quo tamen isti submissis genibus veniam orarunt, sibi jam morte adversarii plane satisfactum esse asseverantes. Deducto itaque Londinum Rege & Parlamento convocato, *Eboracensis* Protector regni constitutus, Comes Sarisburiæ Richardus Nevil Magnus Cancellarius creatus, hujusque filius cognominis Warwici Comes Caleto præfectus est. At Regina *trium virorum* horum auctoritatem non ferens, & vi & dolo eos è medio tollere molita est, quibus consiliis detectis cum denuo ad bellum res spectaret, nova pax atque amnestia, opera Præsulis Cantuariensis Londini sancita fuit; quæ tamen haud diu duravit, sed è levi occasione rixæ, inter domesticum quendam Comitis Warwicensis & Regis famulitium ortæ, rupta est; cum enim dictum Comitem regina custodiæ tradere jussisset, ille prævisо discrimine citatis equis ad Ducem Eboracensem, patremque Sarisburiensem Comitem abiit, indicioque rei eis facto Caletum trajecit: Sarisburiensis contracto sine mora exercitu quinque millium virorum viam Londinum affectavit, exponendæ Regi injuriæ à Reginæ filio illatæ, cumque in itinere in copias ab illa obviam sibi ductore Jacobo *Toucher* B. Audleo missas incidisset, signis collatis eas profligavit, quod a. 1458. factum, *Eboracensis* etiam haud exigua militum manu collecta, & adscito Warwicensi cum Sarisburiensi se conjunxit, mox tamen à plerisque gregariorum ob promulgatam à Rege impunitatem & discedendi securitatem desertus, & coactus se recipere cum filio natu minimo Rutlandiæ Comite in Walliam porroque in Hiberniam, Marchiæ verò Comes Sarisburiensis & Warwicensis Caletum profugere: à Parlamento omnes & singuli perduellionis postulati & damnati. Restitutæ autem res eorum sunt prælio *Northamtonio*, quod a. 1460. commisso Warwicensis regias copias post pertinax certamen fudit & fugavit, cæsis Humphredo Duce Buckingamiæ & Johanne Salopiæ Comite, Rege verò capto & Londinum in turrim misso. Hujus victoriæ nuncium cum *Eboracensis* in Hibernia accepisset, trajecto sinu citatis equis Londinum advolavit; & convocato Regis nomine Parlamento thronum occupavit, suique juris in regnum titulos ac prærogativam, Lancastriorum verò usurpationes exaggeravit; conclusum itaque est, ut *Henricus* VI. regnum dum viveret teneret; *Eboracensis* verò *heres Coronæ* proclamaretur; si autem Rex quidquam infirmando huic Senatus consulto moliretur, protinus regia dignitate excideret, eaque in Eboracensem transferretur: Regina nihilominus contractis in Scotia copiis Angliam continuò invasit, quibus *Eboracensis* cum filio juniore *Rutlandiæ Comite* nec non Sarisburiense obviam profectus, cum pugnæ aleam, nequicquam hortantibus amicis ut senioris filii C. *Marchiæ* adventum expectaret, tentasset, cæsus est cum gnato & plerisque suorum, Sarisburiensi aliisque captis, & ad supplicium abstractis; incidit hæc pugna in diem ultimum Decembris a. 1460. *Marchiæ Comes* audito parentis fratrisque & amicorum exitio ultima experiri certus exercitum XXIII. millium militum comparavit, Pembrochiæ Ormondiæque Comites fudit, atque Owenum *Tudor* Regis vitricum captum securi subjecit; cum interea Regina morte Ducis Eboracensis exultans Londinum tenderet & fugatis copiis Ducis Norfolciæ & Comitis Warwici Regem in potestatem suam reciperet, urbe tamen à civibus prohibita, qui Eduardum Marchiæ Comitem accersitum & prospere ad sedem latum communi ordinum consensu Regem proclamarunt; quo pacto *Henricus* VI. *exauctoratus* regni sui periodum, & fatale parentis præsagium implevit, tristi humanarum rerum inconstantiæ & vicissitudinis in omnem posteritatem exemplo: nam quem puerum duorum maximorum regnorum arbitrum omnes venerati erant, hunc senem avito etiam imperio pertinax fatorum malignitas exuit. Quamvis enim in Scotiam cum regina profugus ad recuperandum regnum nullum non movisset lapidem; & denique Warwicensem Comitem, quo infensissimo hoste antea usus fuerat, in partes suas pertraxisset, hujusque opera quodammodo in regnum restitutus esset, actutum tamen à fortuna iterum desertus &

post

post cladem ad *Barnetum* d. 13. Apr. 1471. acceptam, atque apud *Tevvkesburium* die quarto mensis sequentis repetitam, ad incitas redactus est, amisso in priore pugna Comite Warwvici, & in posteriore filio unico EDUARDO Walliæ Principe; is enim una cum regina eo in prælio captus, atque ab Eduardo Rege interrogatus, quei ausus esset regnum suum armis invadere, cum responsum generositate & *majestate* plenum edidisset, ille adeò accensus indignatione est, ut chirotheca os ejus percuteret; *Richardus* verò *Glocestriæ Dux* Regis frater iræ magis impotens stricto pugione transfixit ipsum & vita privavit: Ejusdem sævitia *Henricus* quoque captus & Londini in custodia habitus crudelem in modum interemptus est; regina verò à Rege Galliæ Ludovico XI. L millibus scutatorum redempta & ad lares suos remissa. (*a*) Fuit *Henricus*, si *Polydoro Vergilio* (*b*) fides, statura procera, corpore gracili, cui membra per omnia respondebant, facie decora, animo bonus & virtutum Christianarum oppido studiosus.

Ad Lancastriam domum referendi etiam sunt *Bellofortii*, quos *Johannem de Gandavo* Ducem Lancastriæ è *Catharina Swynfordia*, antequam eam legitimæ uxoris loco haberet, genuisse, & cognomento *Beaufort* à loco eorum natali in Andibus mutuato, à reliqua prole sua distinxisse dictum est. Defectum verò natalium, quo laborabant, cum Johannes emendatum iret matrimonio, quod post Constantiæ de Castilia uxoris suæ secundæ obitum cum Swynfordia contraxit, id insuper obtinuit, ut illis à R. Richardo II. & Parlamento literæ *legitimationis* d. 9. Febr. a. 1396. datæ, concederentur, quas postea R. Henricus IV. novo diplomate confirmavit, & corroboratiores reddidit. Mares tres fuere, quorum natu maximo JOHANNI R. Richardus II. titulos *Comitis de Somerset* nec non *Marchionis de Dorset* impertiit; sed posteriorem R. Henricus IV. tanquam insolentem apud Anglos antiquavit, eumque illi munere Camerarii Angliæ & Præfecti Caleti pensavit. (*c*) HENRICUS fratrum suorum ætatibus medius interjectus, libidinosam adolescentiam, in qua *Alisa*, Richardi *Fitz-Alan* Com. Arundeliæ gnatæ, vitium obtulit, unde *Johanna* nata, adultior factus severiore vitæ genere correxit, & studia literarum ac juris civilis sectatus, adeò profecit, ut ab Aquisgranensi Academia domum reversus Episcopatu Lincolniense dignus deputaretur, qui ei post septennium cum Vintoniense commutatus est. Eodem temporis tractu à Papa Martino V. *Cardinalis* Tit: *S. Eusebii* creatus, galerum Caleti sollemni accepit cerimonia. Frugalitate sua ad immensas pervenisse divitias, iisque necessitatibus R. Henrici V. exhausto bellis Gallicis ærario subvenisse memoratur. Decessit septuagenario major *Vintoniæ* sepultus. (*d*) THOMAS fratrum suorum natu minimus à R. Henrico IV. dignitatibus Admiralis Angliæ & Magni Cancellarii & titulo *Comitis Dorsetensis* ornatus, atque in regium *Periscelidis* ordinem cooptatus est. Rex Henricus V. eundem *Ducis Exoniæ* axiomate auxit, & explorata ejus fide ac fortitudine cum alibi tum imprimis in prælio Azincurtiano, moriens filii sui pueritiæ moderatorem designavit. Prole orbatus hæredem scripsit nepotem ex fratre JOHANNEM *Somerseti Comitem*. Hujus à R. Henrico V. ordine *periscelidis*, atque ab Henrico VI. *Ducali* titulo decorati virtus in Baugicensi cumprimis prælio, quo Clarentiæ Dux cecidit, enituisse prædicatur, licet numero hostium superatus libertatem in eo amiserit, quam magno redimere lytro necesse habuit. Mortuo fine mare successit in titulum *Ducis Somersetii* frater EDMUNDUS, qui antea axioma *Comitis* post *Marchionis Dorsetensis* beneficio R. Henrici VI. gesserat. Hunc gloria militaris, magis tamen æmulatio cum Duce Eboracensi nobilitavit, quæ tandem vitæ ipsius finem attulit, in primo ad *fanum Albani* adversus illum prælio cæso. Filii ejus HENRICUS, EDMUNDUS & JOHANNES cum cæde parentis domusque suæ injurias magno animo ultum irent, fortunæ Eboracensium succubuere, & postquam primus in *Exhamense*, secundus *Tevvkesburiense* prælio, quo de summa rerum inter *rubeam albamq; rosam* decertatum fuit, in victoria R. Eduardi IV. potestatem devenissent, indigna, sed inter Angliæ proceres haud insolenti nece affecti, & securi percussi sunt, tertius spiritum supplicio præreptum in posteriore prælio reddidit. (*e*)

Insignia *Lancastricæ domus secundæ* à regiis *lambella trifida* distinguebantur, cujus segmenta *maculis*, quales *mus Ponticus* habere dicitur, respersa erant; id discerniculum *Johannes Gandavensis* eam ob causam asciville *Sandfordio* (*f*) videtur, quod in locum Johannis *de Dreux* Ducis Britanniæ & Comitis Richmondiæ, simili tessera usi, Comes Richmondiæ creatus fuerit. Idem Symboli loco *rosam rubeam* gessisse memoratur, fraterque ejus Edmundus D. Eboraci *candidam*, quibus tanquam notis postea orto inter utramque domum Lancastricam nempe & Eboracensem funesto dissidio partium fautores uti consueverunt. *Rex Henricus* IV. cum corona scutum quoque R. Richardi II. usurpavit, idque ad filium nepotemque cognomines & in regno successores transmisit, in eo tantum ab his mutatum, quod *lilia Francica* ad numerum *ternarium* exemplo regum Galliæ reduxerint. *Thomas D. Clarentiæ* segmentis lambellæ Lancastrici clypei singu-

 las

(*a*) Sandford. L. IV. c. 4. (*b*) Lib. XXIII. (*c*) Sandford. L. IV. c. 8. (*d*) Ibid. c. 1. (*e*) Idem L. IV. c. 9. 10. 11. & 12.
(*f*) Sandford. d. l. Marginal. ad C. 1.

las addidit *plinthides*, quales etiam propatruus ejus *Lionellus*, eodem titulo insignitus, adhibuerat.
Johannes D. Bedfordiæ *lambellam quinque segmentorum* adscivit, quorum prioribus duobus *macu-*
las muris Pontici, reliquis *lilia* inscripsit, origini suæ ab utraque Lancastrica domo denotandæ.
Humphredus D. Glocestriæ scutum è Francicis Anglicisque insignibus quadripartitum *margine*
cinxit, *argenteis & nigris tessellis* distincto. Simili denique *Bellofortii* sunt usi, *margine ex argento*
& cyano tessellato paternum clypeum circumdantes.

CAPUT VI.

DE FAMILIA REGIA EBORACENSI.



DMUNDUS *Plantageneta* in prædio paterno *Langley*, quod in Herfor-
dia situm est, lucem primitus vidit, & titulum *Comitis Cantabrigiæ* à ge-
nitore R. Eduardo III. accepit, huncque gessit, donec à R. Richardo II.
a. 1385. axiomate *Ducis Eboraci* anctus est. Celebratur ejus virtus ac pru-
dentia foris in expeditione Hispanica, eadem cum fratre *Johanne* fini sus-
cepta, & domi in administratione regni, dum Richardus minorennis aut
absens esset, exserta: Postquam Henricus Lancastrius regnum rapuit,
aula relicta in natalem locum se recepit, ibidemque supremum vitæ
tempus exegit; licet verò illum haud amaret, ea tamen fuit probitate,
ut cum filius ejus EDUARDUS conjurationi quorundam procerum adversus Regem nomen
dedisset, idque ipsi patefecisset, seria eum objurgatione ad officium redegerit. Iste, initio Co-
mes Rutlandiæ, postea *Dux Albamarlæ* à R. Richardo II. creatus, Henrico Lancastrio ad regnum
anhelanti clam favisse, & dicto Regi autor fuisse memoratur moræ, quam magno rerum sua-
rum detrimento in Hibernia nexit, otio illi ad firmandam suam in Anglia potentiam concesso.
Deinde vel poenitentia ductus vel odio Henrici correptus, conspirationem adversus eum una
cum aliis inivit; qua cum parente, ceu dictum est, communicata, loco assensus, quem spera-
verat, tam acriter reprehensus ab eo fuit, ut delationem veritus illico ad Regem se conferret,
eique rem omnem detegeret; à quo veniam quidem delicti obtinuit, sed axiomate Ducis Albæ-
marlæ nec non munere Comestabilis Angliæ, quo gavisus erat, multatus fuit. Ducalem titulum
post parentis obitum recuperavit, *Dux Eboraci* ab eo tempore dictus, cumque multis documen-
tis fidem suam R. Henrico IV. probasset, & præteritorum memoriam delevisset, in munus eti-
am pristinum restitutus fuit. Denique Regi Henrico V. sanguinem vitamque impendit, atque
in celebri apud *Azincurtinum* prælio strenue dimicando occubuit. (a)

RICHARDO, Edmundi D. Eboraci filio natu minori, cui cognomentum fuit *de Conyns-*
burgh à loco natali, in Eboracensi Comitatu sito, Rex Henricus V. titulum C. *Cantabrigiæ* à paren-
te etiam ipsius gestum contulit, cujus honoris malam ille gratiam regi retulit, conjuratione cum
Henrico B. Scroop & Thoma Grey adversus eum facta, qua navigaturum in Galliam Sut-
hamptonii trucidare constitutum fuit. Ea autem evulgata comprehensus cum complicibus
delictum poena capitali expiavit. A prima ejus uxore jus natum est, quod RICHARDUS *Dux*
Eboraci ex ea susceptus in regnum sibi arrogavit, quodque armis adversus Regem Henricum
VI. vindicatum ivit, de qua contentione illiusque simultate cum Somersetiis è Lancastrica do-
mo prognatis, nec non morte, quam tandem in pugna Wakefeldensi oppetiit, superius in hi-
storia modo memorati Regis abunde dictum fuit. Eodem in prælio filius Richardi secundo ge-
nitus EDMUNDUS *Comes Rutlandiæ* puer duodecennis à Johanne B. Clifford occisus est, licet
mortem flexis genibus deprecatus esset. (b)

EDUARDUS *Marchiæ Comitis* titulum, à Mortimeris una cum jure in regnum deriva-
tum, parente superstite gessit, eoque vix cum Ducali Eboracensi commutato regium fastigi-
um ea qua supra dictum est via, invasit. Antequam verò inauguraretur prælio, adhuc decer-
tandum ipsi erat cum fautoribus partium R. Henrici VI. videlicet cum D. Somersetio, C. Nort-
humbrio, nec non B. Clifford, factum id in campo Towtonensi Dominica Palmarum a. 1461.
obtinuitq; Eduardus victoriam multo emtam sanguine, cæsis utrinque 35781. hominibus &
capto solo Comite Devoniensi, cui victor caput amputari, idque Eboracum delatum palo infi-
xum in vallo exponi, parentis verò amicorumque capita, in quæ pari inhumanitate regina Mar-
garita usa fuerat, demi eaque terræ mandari curavit. Inde Londinum reversus coronationis
solemnia *Westmonasterii* peregit, & convocato Parlamento acta Henrici adversus se suaque jura
rescidit, in Comitem Oxoniensem verò ejusque filium ac alios capitali supplicio animadvertit.
Henricus interea in fuga Barwico appulsus nova à Gallis Scotisque auxilia accepit, iisque fultus
bellum

(a) Sandford. L. V. c. 1. & 2. (b) Idem L. iii. c. 3. & 4.

bellum renovavit & Northumbriam invasit, sed à Marchione Montacuti, Comitis Warvvicensis fratre, apud Exhamum d. 15. Maji 1463. justa pugna fusus fugatusque est; Henricus Somersetius eo in conflictu captus supplicium cum aliis subiit. Afflictis ita Henrici rebus & parta aliqua quiete cum maritandum Regem primores suaderent, animo in *Bonam*, Ludovici D. Sabaudiæ filiam, quæ tunc apud reginam Galliæ sororem suam agebat, conjecto, missus est eò Comes Warvvicensis, ut illam Eduardo uxorem ambiret. Hoc officio dum ist haud improspero successu fungitur, cœpit Rex deamare fœminam mediocris loci, *Elisabetham* nempe, Johannis Graji Equitis filiam, in quam forte inter venandum inciderat, adeò efflictim ut cum aliis viis consuetudine ejus frui nequiret, nuptiis eam sibi adjungeret, regioque palatio induceret. Ad hujus rei nuncium fremuit Warvvicensis, qui pæne sui jam pæne compos factus erat, & delusum se esse pariterque alios imprudentem delusisse tam alte ad animum revocavit, ut inde ab illo tempore male Eduardo cuperet, atque in Angliam reversus cum fratribus Archiepiscopo Eboracensi & Marchione Montacuti clandestina conferret consilia de Henrico, qui vagus atque inops in Regis potestatem relapsus erat, in libertatem & regnum restituendo, prætereaque GEORGIUM *Clarentiæ Ducem* à fratre alienaret, data ei in matrimonium filia sua natu majore. Neque tamen animum Regi statim nudavit, sed dissimulatione aliquandiu usus, tempusque rei exequendæ idoneum præstolatus est; id ubi nactum se esse putavit, initium turbarum per fratres suos in Eboracensi Comitatu fecit, ad quarum famam cum Rex Wilhelmum Herbertum Pembrochiæ Comitem copiis instructum illuc misisset, profligatus is est ad Hedgecotium a. 1468. captusque una cum fratre & securi percussus; eodem mortis genere à rebellibus affecti etiam sunt socer Regis Comes Riverii ejusque filius Johannes *Widevile*, postquam in eorum potestatem incidissent. Sed Warvvicensis cum se illis adjunxisset, & Regem magno exercitu stipatum adversus se tendere comperisset, pacis mentionem injecit, eaque illum securum redditum noctu ex improviso adortus est, captumque Middelhamum in custodiam misit; ex qua haud ita multo post elapsus Eboracum, indeque collectis Hastyngii opera copiis Londinum pervenit. Tentata deinde incassum cum rebellibus pacifi actione bellum contra eos redintegravit, & exercitum, cui Robertus *Welles* illorum nomine præerat, fudit fugavitque ductore capto & capite truncato, cum prius parentem ejus Richardum & affinem Thomam Demoke, quod illum ut ab armis discederet permovere nequiverint, seditionis cætera exsortes, ad idem supplicium dedidisset. Post hanc cladem Clarentius ac Warvvicensis consilii inopes Caletum trajecere, eo verò exclusi ad R. Galliæ Ludovicum XI. se contulere, quò etiam Exregina Margarita cum filio Eduardo venit. Sociatis itaque consiliis armisque & gnata Warvvicensis minore Eduardo desponsata, rediit ille cum classe & exercitu in Angliam, Londinumque movens *R. Eduardum* imparatum ad capessendam in Flandriam fugam adegit: regina verò *Elisabetha* partui vicina in asylum Westmonasteriense se recepit, ibidemque filium patri cognominem enixa est. Warvvicensis cum nemo resisteret urbe facili potitus est negotio, & protinus Henricum è carcere liberavit, atque indutum veste regia in ædem S. Pauli deduxit, actisque Deo gratiis in thronum restituit; habitis deinde comitiis Parlamentariis acta *Eduardi* omnia rescissa, ipse usurpator & frater ejus *Dux Glocestriæ* proditor declaratus fuis. Verum *Eduardus* viris, navibus ac pecunia à Duce Burgundiæ sororio suo instructus post breve intervallum in Angliam redit, primumque Eboracensium animos solicitavit, blandis eos rogans verbis, ut veteri domino, de regno haud quaquam, sed de recuperando avito principatu tantum solicito, operam ferrent, utque id eis persuaderet, dejeravit ad exemplum patris sui nihil se contra Henricum moliturum, huncque Regio titulo honestavit, & plumam struthionis, qualem olim privatus gerere solitus erat, resumsit. Pertractis hac arte in partes suas bene multis, ipsoque Clarentiæ Duce secum reconciliato magna confidentia Londinum profectus, à civibus, quos ob Clarentii defectionem magna trepidatio invaserat, multa cum acclamatione exceptus & Rex salutatus, Henricus autem à suis derelictus captus & pristinæ custodiæ redditus est. Warvvicensis interea cum valido exercitu ad fanum Albani venit, & cognito quid Londini contigerit, *Barnetum* perrexit, ibidemque cum Eduardo obviam sibi profecto pugnam inivit, ipso Paschatis festo, (quod a. 1471. in diem XIII. Apr. incidit) maxima contentione pugnatam; inclinante verò ad illum victoria densa subito nebula orta est, quæ sic omnia confudit, ut Comitis Oxoniensis à partibus Henrici stantis copiæ, quæ stella grandioribus radiis expressa tesseræ loco utebantur, à Warvvicensibus pro regiis, solem gerentibus, habitæ sagittis infestarentur, quod ille destinato fieri arbitratus, cum suis ex prælio discessit; debilitatus hoc pacto Warvvicensis atque ab ingenti spe in desperationem conjectus mediis se hostibus intulit, & una cum fratre suo M. Montacuti strenuam oppetiit mortem, victoria Eduardo relicta. Fuit ea instrumentum sequentis apud *Tevvkesburium* de reginæ Margaritæ copiis reportatæ, quæ illi regnum asseruit, & Lancastricæ domui pæne exitium attulit. Namque Johannes Bellofortius in prælio cecidit, de Edmundo D. Somersetiæ ejus

FAMILIÆ PLANTA-
quo EBORACENSIS

Edmundus Plantageneta cogn. *de Langley*, DUX EBORACI, Comes Cantabrigiæ, Baro Tindalii, *Eques Periscel.* Regis Eduardi III. F. n. 1341. † 1. Aug. 1402.

Eduardus Plantagenata Dux Eboraci Com. Rutland. Comest. Angliæ *Eq. Periscel.* occ. in pr. Azincurt. 25. Oct. 1415. *Philippa, Johannis B. Mohun de Dunster f.*

1. Richardus D. Eboraci C. Cantabrig. Ulton. Marchiæ & Rutlandiæ B. de Wigmore & Clare Prorex Franciæ, Eq. Perisc. occ. in pr. Wakefeld. 31. Dec. 1460. *Cecilia Nevil. Radulphi C. Westmorland. f.* † 31. *Maji* 1495.

Henric, † inf.	EDUARDUS IV. REX ANGL. & FR. Dn. Hib. n. 29. Apr. 1441. cor. 29. Jun. 1461. † 9. Apr. 1483. *Elisab. Widevile Richar. C. Rivers f. Joh. Grey vid.* 1464. †	Edmundus C. Rutlan. occ. in pr. Wakefeld † 1. Dec. 1460.	Wilhelm, † inf.	Johan. † inf.	Anna nup. 1. *Henr. Holand D. Exon.* 2. *Thomæ S. Leger Equiti* † 14. Jan. 1476.	Elisabetha Ux. *Johannis de la Pole D. uc de Suffolk.*

EDUARDUS V. REX ANGL. & FR. Dn. Hib. n. 4. Novemb. 1470. occ. 23. Maji 1483.	Richard. D. Eborac. & Norf. n. 28. Maji 1474. occ. 23. Maji 1483. sponsus *Annæ Mowbray Johannis D. Norf. f. & her.*	Georg. D. Bedford † inf.	Elisabetha n. 11. Febr. 1467. Ux. HENRICI VII. REX Angl. *de quo Tab. seq. IX.*	Cecilia nup. 1. *Johan Vicec. Wells.* 2. *N. Kyme.*	Anna Uxor *Thomæ Hovv. D. Norfolk.*	Brigita *monialis* † 1517.	Maria † 1482.	Margarita n. & † 1472.

Henricus Polus B. Mountague *decoll.* 9. Jan. 1538. *Johanna Nevil, Georgii B. d' Abergavenny f.*

Ursula nup. *Henrico B. Stafford.*

Catharina nup. *Francisco Hastings C. Huntingdon.*

Winfridis nup. 1. *Thomæ Hastings Eq.* 2. *Thomæ Barrington. Eq.*

Regis EDUARDI IV. soboles *naturalis*

Arturus Plantageneta creatus ViceComes Lisle respectu Uxoris suæ *Elisabethæ, Grajæ Johannis Vicec. Lisle sororis & heredis* †. ille 3. Mart. 1541.

Brigita Uxor *Wilhelmi Carden Equitis.*

Francisca nup. 1. *Johanni Basset ab Umberley* 2. *Thomæ Monk de Potheridge.*

GENETICÆ SCHEMA IV.

DOMUS exhibetur.

1. *Isabella*, *Petri Crudelis R. Castil & Leg. fil.* 1372. † 1394. 2. *Johanna Holand Thomæ Com. Cantii fil.*

Richardus de Yorck cogn. *de Conyngsburgh* Com. Cantabrig. *decoll.* 1415. 1. *Anna Mortimera Rogeri C. Marchiæ f.* 2. *Mathildis Thomæ B. Clifford. f.*

Constantia, amasia *Edmundi Holand* C. *Cantii*, dein Uxor *Thomæ le Despenser C. Glocestriæ.* † 1417.

Isabella nupta *Henrico Bourchier C. Essexiæ.*

Margarita Ux. tertia *Caroli Pugnacis D. Burgund.* 9. *Jul.* 1468. † 1503.	Ursula.	Georgius D. Clarentiæ C. Warwic & Sarisb. occ. 18. Febr. 1477. *Isabella Nevil, Richardi C. Warwic f. & h.* 1469. † 1476.	Thomas † juv.	RICHARDUS Dux Glocestr. post REX ANGL. & FR. cor. 7 Jul. 1483. occ. in pr. Boswort. 22. Aug. 1485. *Anna Nevil, Richardi C. Warwic. f. Eduardi de Lancastr. Pr. Wall. vid.* † 1484.

Catharina nup. *Wilhel. Courtney C. Devon.* † 15. *Novemb.* 1527.	Eduardus Plantagenetarum postremus Com. Warwici *decoll.* 28. *Nov.* 1499.	Richardus † inf.	Margarita C. Sarisb. ux. *Richardi Pole Eq. decoll.* 27. *Maji* 1541.	Eduardus Pr. Wall. C. Cestr. & Sarisb. n. 1473. † ante patrem.	Catharina *notha* ux. *Wilhel. C. Hundington.*

Godofredus Polus *Constantia Edmundi Pakenham f.*	Arturus Polus Ux. N.	Reginaldus Polus Rom. Eccl. *Cardin.* cr. 22. Maji 1536. Archiepisc. Cant. 1555. † 17. Nov. 1558.

Catharina.	Maria.	Margarita Uxor *Thomæ FitzHerbert.*	Maria nupta *Johanni Stanney* Eq.

ex *Elisabetha Lucy* genita.

Elisabetha nupta *Thomæ Lumley* Eq.

Elisabetha uxor *Francisci Jobson Equitis.*

fratre capto supplicium sumptum. Eduardus autem Henrici VI regis filius unicus iisdem una cum matre sua in Regis potestatem delapsus à Richardo Duce Glocestriæ interfectus ejusdemque truculentia ipse Henricus non ita multo post luce privatus est, ita ut nemo ex illa stirpe superesset præter *Henricum Tudor Richemondiæ Comitem* è Margarita Belloforria prognatum. Ab hoc igitur sibi metuens Rex Eduardus petiit à Duce Britanniæ Armoricæ, ad quem ille confugerat, ut sibi traderetur, idque jam impetraverat, cum Dux facti pœnitens fugæ copiam ipsi in itinere fieri jussit, data tamen *Eduardo* fide, curaturum se, ne quas ille ei turbas daret. Rex interea conjectis in carcerem Archiepiscopo Eboracensi & Comite Oxoniensi, sublatoque Falconbrigio, qui mari à Warwicensi præfectus piraticam faciebat, rebellionis reliquias sustulisse sibi visus, ne aliis turbonibus ad vicinos perfugium esset, cum Rege Scotiæ Jacobo inducias XX. annorum pepigit; orto autem inter R. Galliæ & D. Burgundiæ bello cum non posset non auxilio esse posteriori bene de se merito, huncque in finem classem & milites comparasset, aures tamen præbuit callidis Galli persuasionibus, & pacem cum eo hac lege iniit, ut loco impensarum LXXV. millia coronatorum prætereaque annuatim L. millia sibi penderentur, filia autem sua *Elisabetha* à Delphino in matrimonium duceretur. His verò pactis cum Gallus postea minus stetisset, & negata annua pensione etiam gnatum suum Delphinum Maximiliani Imp. filiæ despondisset, bellum ei inferre Eduardus decrevit, cujus apparatui intentus in febrim quartanam incidit, atque ex ea *Westmonasterii* mortuus, Windsoriam magna pompa tumulo illatus est. (a) Fuit verbis *Polydori Virgilii* (b) corpore procero ac eminenti, honesta facie, lætis oculis, patenti pectore, ingenio acri, animo magno, memoria tenacissima.

Exempto rebus humanis Eduardo IV. filiorum ejus natu major EDUARDUS V. undecimum agens annum Rex proclamatus est; nunquam tamen coronatus, ita ut id temporis, quod inter illius obitum hu usque cædem intercessit, *tyrannidem* potius *Richardi* III. quam regnum Eduardi V. appellandum esse *Sandfordius* (c) censeat. Agebat Princeps infelicissimus in Salopia inter matris suæ consanguineos, cum tristem de genitoris morte nuncium acciperet, quare Londinum sine mora se contulit, quo brevi tempore interjecto etiam patruus *Richardus Glocestriæ Dux* venit. Is lubidine maxima regni capiundi infectus, tractis in partes suas Duce Bukingamio nec non Barone Hastingio, primum agnatos Regis amoveri, missosque sub custodia in partes Boreales postea securi percuti curavit; erant illi Antonius Riverii Comes reginæ frater, Richardus *Grey* frater Regis uterinus, & Thomas *Vaughan*. Ita *Eduardo* consilio auxilioque propinquorum suorum orbato, & Glocestrii potestati relicto, non quievit is donec fratrem quoque illius RICHARDUM *Ducem Eboraci & Norfolciæ* à matre, quæ cum eo asylo Westmonasteriensi se incluserat, & dolo & vi avelleret, ambos postea magna in speciem pompa ad fatalem Turrim deduxit, nihilque exinde dum sibi regnum pararet, pensi habuit. Baronem Hastingium immane de illis è medio tollendis consilium aversatum ementiti criminis veneficii reum egit, atque à promtis in omne facinus militibus comprehensum, nec interrogatum nec convictum ad capitale supplicium rapuit. Plebi per subornatos concionatores persuadere nisus est, R. Eduardi IV. conjugium cum Elisabetha Graja haud fuisse legitimum, proptereaque liberos ex ea susceptos spuriorum loco habendos. suos verò natales, suasque virtutes & ætatem maturam moli regiminis parem extolli & commendari curavit. Porrò ad Senatum & Prætorem urbis Bukinghamium delegavit, qui composita oratione ad Richardum Regem agnoscendum exhortatus, tantum effecit, ut pars ei obsequium deferret, pars resistere non ausa tempori cederet; quare protinus ad Glocestrium se contulit, & miro omnium applausu in Regem electum ipsum fuisse assentatoria exaggeratione narravit; ille verò tergiversabatur, nec nisi invitus & prope coactus regni insignia accepisse videri voluit. Quoniam verò, ut est ingenium tyrannorum, Londinensibus diffidebat, cum lecta militum manu Eboracum proficisci statuit, utque turbarum ansam tolleret, executionem consilii, de interficiendis Eduardi IV. filiis antehac capti, Jacobo Tyrello in via demandavit; is duorum rusticorum ministerio usus misellos in lecto altum dormientes injectis culcitris suffocavit. Corpora eorum profundæ scrobi in Turri injecta & magna saxorum mole cooperta ante annos haud ita multos cum ædificia quædam dictæ Turris restauranda essent, detecta sunt, ea, aut potius ossium reliquias, Rex Carolus II. urnæ marmoreæ imponi & Westmonasterii inter tumbas regiæ familiæ recondi curavit, hoc addito Epitaphio:

H. S. S. *Reliquiæ Eduardi V. Regis Angliæ & Richardi Ducis Eboracensis. Hos fratres germanos Turri Londinensi conclusos, injectisque culcitris suffocatos abditè & inhonestè tumulari jussit patruus Richardus perfidus regni prædo; ossa desideratorum diu & multùm quæsita, post annos CXC. & I. scalarum in ruderibus (scalæ istæ ad sacellum Turris albæ nuper ducebant) altè defossa, indiciis certissimis sunt reperta, XVII. die Julii A. D. M DC LXXIV. Carolus II. Rex clementissimus, acerbam sortem miseratus*

(a) *Sandford. l. c. cap. 5.* (b) *Hist. Angl. L. 25.* (c) *Lib. cit. cap. 6.*

ratus inter avita monumenta Principibus infelicissimis justa persolvit, Anno Domini 1678. annoque regni sui 30.

RICHARDUS *Dux Glocestriæ* per tot parricidia (quinque omnino perpetraverat, atque ante binos Principes, de quibus modo dictum est, etiam fratrem suum Clarentiæ Ducem, prætereaque Regem Henricum VI. cum ipsius filio Eduardo Pr. Walliæ, atque hos suapte manu luce privaverat) ad regnum grassatus, diadema sibi uxorique *Annæ* sollemni ritu imponi curavit, utque nobilium animos sibi devinciret, multos eorum ad summos titulos & honores provexit, creatis etiam XVII. Equitibus Balnei; attamen nec quiete nec diu imperavit, primo omnium Duce Bukinghamio, quo consiliario atque administro hactenus usus fuerat, tumultuante: is enim sive immanitate illius seu alia ex causa alienatus, conspirationem iniit de exautorando ac extirpando *Richardo* regnoque in *Henricum Richmondiæ Comitem*, qui ad Lancastrios maternum referebat genus, transferendo, eidemque Elisabetham R. Eduardi IV. gnatam natu maximam nuptui collocando; atque hujus consilii illum in Britannia Armorica tunc exulantem certiorem reddidit. Quantumvis verò conjuratio ista Bukinghamio, postquam fusis copiis suis in Richardi potestatem delapsus esset, capite steterit, Henrico tamen prospere evenit; is enim adversitatibus, quæ ipsi objiciebantur, superatis in Angliam cum aliqua milium manu venit, & brevi magno nobilium gregariorumque ad ipsum convolantium numero auctus adeò fuit, ut decretoria cum Richardo confligere pugna sustineret. Ille interea anteversurus consilium Henrici fautorumque ejus viduam Eduardi IV. ad tradendas sibi filias minis promissisque adegerat, & secum constituerat, maximam natu ex illis Henrico, ceu dictum, destinatam, nuptiis sibi adjungere, creditusque est necata veneno *Anna* conjuge sua vacuam domum huic conjugio fecisse. Dum verò ad expugnandum sibique propitiandum virginis animum omnem movet lapidem, vim blanditiis addere certus, rumore de ingravescente Henrici factione ad bellicas curas avocatus, illoque negotio dilato obviam isti cum tumultuaria militum manu profectus est. Apud *Bosvvortum* castra metatus, cum hostes ad pugnam accinctos conspiceret, ipse aciem suorum instructam pleno gradu in illos induxit, & collatis signis strenuè ac fortiter pugnavit, signiferoque Henrici mactato ad illum ipsum usque penetravit; verum numero hostium, opportuno Stanlæi adventu auctorum, oppressus & cæsus victoriam regnumque Henrico reliquit. (a)

De GEORGIO *Duce Clarentiæ* dictum jam fuit, quod consilia armaque adversus R. Eduardum IV. fratrem suum cum Comite Warwicensi sociaverit, gnatamque hujus natu majorem & hæredem præcipuam uxorem in pignus amicitiæ acceperit. Causam aversi ipsius erga fratrem animi ex prava natam esse opinione vel suspicione referunt, quod videlicet sibi videretur ab illo negligi aut saltem minoris haberi quam ejus privigni, quos honoribus & splendidis matrimoniis auxerit, nulla ipsius ratione habita. Quantumvis verò, cum jam in acie novaculæ res Eduardi omnis sita esset, facti pœnitens Warwicenses deseruerit, & adductis fratri IVM militibus victoriæ ejus apud Barnetum haud leve momentum extiterit; in pretio proinde ab illo aliquandiu habitus & titulo *Com. Warvvici & Sarüberiæ*, nec non munere *supremi Cubicularii* decoratus; attamen novas postea diffidentiæ causas præbuit, ac tantùs, ut coram Duce Bukinghamiæ, qui tunc Senescalli munus obibat, perduellionis postularetur atque in Turrim conjiceretur, ubi reus à Parlamento peractus die quodam post peracta sacra in dolium vino Cretico repletum, præsentiam operamque commodante fratre ejus natu minore Glocestriæ Duce, detrusus & suffocatus est. Regem cædis haud ignarum sera subiit pœnitentia; consensisse verò in illam fertur ob vaticinium cujusdam, qui G post E regnaturum prædixerat; id enim de *Georgio* interpretatus est, quem majora cupere penitus sibi persuasit, postquam cognovisset ambire illum viduatum nuptias filiæ unicæ Caroli Ducis Burgundiæ; neque verò vaticinium illud eventu caruit, cum *Eduardo* vivis exempto *Glocestrius* regnum invaderet. (b) Filius *Georgii* unicus EDUARDUS *Comes Warvvici* quarta natus fuisse luna dicendus est; utpote toto vitæ spatio miser & captivus, tandemque cum tricenario proximus esset, adornatæ fugæ insimulatus, & jussu R. Henrici VII. securi percussus. Vera necis ejus causa hæc fuisse credita vulgo est, quod solus masculi generis è regia *Plantagenetarum* stirpe superesset, quodque Rex Hispaniarum Ferdinandus filiam suam *Catharinam* R. Henrici VII. gnato *Arturo* nuptui locare, dum ille tanto in regnum jure insignis inter mortales esset, tergiversaretur; idque postmodum à *Catharina* agnitum fuisse memorant, cum ab Henrico VIII. cui post Arturum præcoci fato abreptum in manum convenerat, repudiata dixit: *sibi quidem id præter meritum contingere, sed justo Dei judicio ita evenire, quandoquidem priores ipsius nuptiæ in sanguine fundatæ fuissent, intelligendo sanguinem Comitis Warvvici.* (c) MARGARITAM Comitis illius sororem unicam R. Henricus VII. mediocris loci viro, genere Wallo nuptui dedit, nempe *Richardo Polo*, huncque deinde filii Arturi cubiculo præfecit.

(a) *Sandford. L. V. c. 7. Polyd. Virg. Lib. XXVI.* (b) *Sandf. L. V. c. 8.* (c) *Verulam. Hist. Henr. VII.*

præfecit, & *periscelidis* ordine cohonestavit. Ipse à R. Henrico VIII. anno regni ejus quinto obtinuit, ut in titulum *Com. Sarisberiæ*, quem ipsius progenitores gesserant, restitueretur; provecta autem ætate invisa illi, in suspiciones & diffidentias jam prolapso, reddita est, cum ob peccatum originis, tum propter filios suos, qui rebus novis studere delati fuerant. Quare postquam eorum natu maximus HENRICUS *Polus* Baro *Mountague* dictus, eo quod ab *Alisa* Thomæ *Mountague* C. Salisb. filia ac hærede genus derivaret, capitali supplicio affectus, GODOFREDUS custodiæ mancipatus, REGINALDUS absens proscriptus fuisset, ipsaquoque perduellionis à Parlamento damnata & in carcerem conjecta, ibique per biennii spatium detenta, demum septuagenaria capite truncata est. (*a*) ARTURUS etiam tertio genitus ejus filius capitis discrimen subiit, cum regnante Elisabetha clandestina de Maria Scotiæ regina ad Angliæ regnum provehenda iniisset consilia: illis enim detectis comprehensus & ad mortem damnatus, sed ob regiam originem illius gratia supplicio ereptus & carceri addictus est. (*b*) Cæterum REGINALDO Henrici VIII. proscriptio gloriæ magis quam probro cessit: magnam ille probitatis, prudentiæ atque eruditionis famam jam assecutus, ob virtutes suas Regi quoque modo dicto carus, ejusque beneficio Decanatu Exoniensi locupletatus fuerat; postquam verò illi assentari, divortiumque ejus cum Catharina Hispana approbare detrectasset, imò ex Anglia in Italiam digressus, Regi licentiam & erga Romanum Pontificem inobedientiam scripto liberius exprobrasset, capitale ejus odium incurrit, haud dubie aliquid proscriptione atrocius in illum statutum, si in ipsius potestate fuisset. Auxit verò ea res magnopere *Poli* existimationem apud Italos, & eximii de sede Romana meriti loco habita est; hinc cooptatus à Paulo III. in collegium Cardinalium, cum is è vita migrasset, plurimorum suffragiis dignissimus Pontificio fastigio deputatus fuit; huic verò proximus, ita ut unico destitueretur calculo, æmulatione Gallorum & innata aulæ Romanæ præpostera ambitione de supremo hoc culmine decidit, utque hominum sermones oculosque vitaret, secessit urbe, & monasterio, quod est ad ripam Benaci lacus *Magazano* appellatum, se inclusit, ibique latuit, donec versis post R. Eduardi VI. ad superos excessum rerum in Anglia vicibus, à regina Maria, quæ Romanæ Ecclesiæ ritus autoritatemq; instauratum ibat, revocatus, atq; à Pontifice Legatione Britanniæ decoratus in Angliam rediit. Reverso regina non sacrorum modo, sed regni quoque arbitrium permisit, atque Archiepiscopatum Cantuariensem contulit; quoniam verò ab omni quoad religionem violentia abhorrebat, atque heterodoxos suavitate magis & emendatione abusuum malorumq; morum quam sævitia aut minis pelliciendos esse statuebat, factum est, ut quem consilia ipsius assensum apud reginam in rebus politicis facile reperiebant, in Ecclesiasticis amitterent, suspicante illa, nimium ipsum genio suo ad lenitatem & moderationem proclivi obsecundare. Quare cum Maria restitutionem Romanæ religionis in Anglia alia, ac ipse expedire putabat, via aggressa esset, in mœrorem ac languorem incidit, è quo eodem cum dicta regina die mortalitatem explevit. (*c*)

ARTURUS *Plantageneta*, quem R. *Eduardus* IV. è *Concubina*, cui *Elisabetha Lucy* nomen tribuitur, suscepit, à R. Henrico VIII. ob ductam in matrimonium sororem ac hæredem Johannis Graji *Vicecomitis Lisle*, hoc affinis sui titulo auctus, nec non aurea *periscelide* decoratus, prætereaque Caleto vicaria potestate impositus fuit. Postquam vero quidam ex ejus domesticis, quod Caletum Gallis prodere intendissent, delati & rei peracti essent, ipse quoque in suspicionem venit, atque in Turrim Londinensem conjectus est. Perspecta verò post multas inquisitiones ejus innocentia, Rex annulum digito suo detractum ipsi misit, verbaque benevolentiæ plenissima nunciari jussit, quibus perceptis, insperato gaudio adeo commotus est, ut angusto animo non ferente ejus intemperiem nocte proxima extingueretur, & locum faceret dicterio: *Regis Henrici VIII. gratiam æque fatalem esse ac ejus condemnationem.* (*d*)

Insignia Principum *Eboracensis* familiæ quod attinet, distinxisse memoratur *Edmundus*, ejus conditor, scutum regium *fasciola, tribus lemniscis* instructa, quibus singulis totidem *vitelli* sive *nummi Byzantini* inscripti erant. Eodem discerniculo filius ejus natu major uti cœpit, postquam in paternum successisset titulum; dum verò *Rutlandiæ Comes* audiret, segmenta lambellæ *castellis* in vitellorum vicem ornavit, denotandæ origini maternæ, quam à Regibus Castiliæ & Legionis derivabat; quo nomine etiam frater ejus *Richardus C. Cantabrigiæ* scutum paternum *limbo argenteo leunculis purpureis* distincto cinxit. Hujus gnatus cognominis Eboracensibus insignibus junxit nonnunquam digmata familiarum *Mortimer* & *Burgh*, à quibus maternum repetebat genus; prius superius cap. IV. descriptum fuit, hoc, *Burghense* scilicet, *crucem rubeam in solo argenteo* refert, addiditque *telamones* hinc *falconem nolis* instructum (quo caveæ incluso Eboracenses symboli loco uti consueverant, autore Edmundo, qui spem regnum consequendi sibi præcisam esse, postquam frater ejus Johannes Lancastrius id occupasset, illo innuere volebat) isthinc *Leonem* Comitibus Marchiæ familiarem. Hunc etiam Rex *Eduardus IV.* scuto regio subdidit,

(*a*) Sandford. L. V. c. 9. (*b*) Ib. p. 418. (*c*) Burnet. Hist. Reform. Eccl. Angl. Tom. II. L. 2. (*d*) Sandford. L. V. c. 10.

didit, falconem verò eum *tauro* commutavit, cujus vicem in R. Eduardi V. clypeo *cerva* sustinet; *Richardus* III. autem utrinque *aprum* substituit. *Georgius Clarentiæ Dux* lambellam trifidam *plinthidibus* distinxit, liberis verò ejus *Eduardo* C. Warwici & *Margaritæ* C. Sarisberiæ *fasciola ex argento & cyano tessellata* tribuitur. *Polorum*, in quorum familiam ista via matrimonii transiit, insignia *decussi denticulato* constabant, in area *ex auro & nigro bipartita* explicato, & *iisdem coloribus, sed alternis* tincto. *Arturus* denique *ViceComes Lisle* scuto, è regio *Mortimerio* & *Burghensi* digmate quadripartito *bacillum sinistrum cæruleum*, quo natalium vitium argui solet, imposuit. Cæterum familiaris tesseræ loco Eboracensibus *rosam candidam* fuisse, cum Lancastrici rubeam gererent, subfinem Capitis superioris dictum jam tum est: id verò memoratu adhuc dignum duco, quod *Sandfordius* (*a*) è Camdeno refert, nempe assumtionem tesseræ hujus *omen* præcessisse, cum in vico quodam Angliæ *Longleete* dicto *ex una eademque rosæ stirpe ramunculi duo* enascerentur, quorum alter *rubeum*, *alter candidum* florem, utrumque perelegantem, protulit.

CAPUT VII.
DE FAMILIA REGIA TUDORENSI.



Ova jam iterum, si virilem originem spectes, familia, quæ Angliæ CXX annorum spatio imperavit, sese nobis offert, *Tudor* appellata, ab OWENO *Merideth-Tudor*, qui licet à *Kenano*, Coëlis Regis Britonum filio, & Helenæ, quæ Constantini M. Imp. mater erat, fratre, paternum genus, (*b*) *Sandfordio* referente, derivarit, parentes in conditionem usque adeò tenuem redactos habuit, ut nec nomina eorum posteritati sint relicta. Ille verò rei familiaris mediocritatem formæ dignitate pensavit, ejusque beneficio ad lautiorem pertigit fortunam: eximia enim corporis specie & decore, facieque egregia præditum regina *Catharina*, R. Henrici V. vidua, deamare cœpit tanto ardore, ut ipsi denubere haud dubitaret. Mortuæ diu superfuit, tandemque cum pro partibus privigni sui R. Henrici VI. adversus Eboracenses pugnaret, in conflictu ad *Mortemari Crucem*, qui in festum Purificationis a. 1461. incidit, ab Eduardo Comite Marchiæ, postea Rege captus, atque Herefordiæ securi percussus est. Filios ejus EDMUNDUM & CASPAREM R. Henricus VI. a. 1452. Comites *per cincturam gladii sui* (Sandfordii verbis) creaverat, illum *Richmondiæ*, hunc *Pembrochiæ*, eosque proximum à Ducibus locum occupare jusserat. Prior dignitati huic haud diu superstes mansit, alter longissimè, sed multa fortunæ vicissitudine exercitus. Nam Henrico VI. ab Eduardo Eboracensi regno dejecto, ille perduellionis damnatus & Comitatu Pembrocensi exutus, isque in Wilhelmum Baronem *Herbert* translatus est. Postquam autem Henricus Comitis Warwicensis opera in regnum utcunque restitutus fuisset, ille quoque a. 1470. pristinum titulum recuperavit, quem tamen versis post Barnetense prælium rerum vicibus iterum amisit, Herberto redditum, posteaque ab eo in R. Eduardi IV. filium translatum. Verum *Henrico Richmondiæ Comite*, fratris sui filio, summam rerum indepto, non tantum dictum recepit axioma, sed etiam *Ducis Bedfordiæ* dignitate auctus, prætereaque in Coronatione reginæ Elisabethæ munere *Seneschalli*, deinde Hiberniæ legatione & denique officio *Comitis Marescalli* pro se & hæredibus suis masculis decoratus fuit: his autem & omni legitima prole destitutus ætate confecta naturæ debitum explevit. (*c*)

De HENRICO *Tudor Richmondiæ Comite*, Edmundi filio, adhuc puero & Collegii Eatumnensis discipulo, R. Henricum VI. prædivinatione quadam dixisse ferunt, quod is contentionem inter sese atque Eboracenses decisurus, eoque de quo ipsi disceptarent, potiturus esset. Equidem, postquam Eboracensis superior evasisset, excedere Anglia *Richmondius* atque una cum patruo suo *Pembrochiæ Comite* in Armoricam confugere necesse habuit, ubi Ducis provinciæ illius protectione usus se continuit, usque ad annum Richardi III. tertium, cujus usurpatio atque immanitas cum plerisque Anglorum tædio odioque esse cœpisset, Dux Bukinghamiæ & Episcopus Eliensis autores eis fuere, ut *Henricum Richmondium*, utpote unicum Lancastricæ domus hæredem, revocarent, eique filiam R. Eduardi IV. natu maximam & Eboracensis familiæ hæredem præcipuam uxorem darent, habituri hac *utriusque rosæ* fausta *conjunctione* titulum maximè justum & vincibilem Richardum tyrannum & parricidam exautorandi. Accepto hujus consilii nuncio *Richmondius* nihil cunctatus est, & contractis Ducis Britanniæ auxilio navibus militibusque vela in altum dedit, adverso verò vento Normanniæ litori appulsus, Galliæ etiam regis opem imploravit, qua impetrata sollemne de prosequendo bello, ducenda Elisa-

G betha

(*a*) *Sandford. L.V.c.1. ad marginem.* (*b*) *Lib.IV.c.3.p.278.* (*c*) *Ibid.p.284.*

betha, & Richardo deturbando votum fecit, nactusque idoneum ventum ad Walliæ litora cursum direxit, & facta Milfordii exscensione, paulo post cum Richardo apud *Bosvvorthum* in Leicestria d. 22. Aug. 1485. decretoriam inivit pugnam, in qua opportuno C. Pembrocensis cum aliqua militum manu adventu, nec non B. Stanlæi à regiis ad suas partes transfugio corroboratus, victoriam, regnum vitamque Richardo eripuit, ipseque festis militum acclamationibus. *Rex* salutatus est, imposita ei à Wilhelmo Stanlæo corona, non quidem imperiali, sed quam ornamenti & ominis causa Richardus secum in bellum attulerat, tunc forte inter spolia repertam. Anxius autem, quo titulo in capessendo regno uteretur, cùm tres haberet diversos, videlicet Lancastriæ, nuptiarum & armorum, proprio, nempè Lancastrico, uti decrevit, atque ipso adhuc prælii die, suo nomine, nulla facta sponsæ mentione, regnum assumsit. Peractis *Westmonasterii* inaugurationis sollemnibus per Archiep. Cantuariensem *Thomam Bourchier* comitia agitavit, in quibus bene de se meritis præmia honoresque rependit, regnumque sibi & hæredibus è corpore suo constabilivit. Tum nuptiis eum *Elisabetha Eboracensi* celebraris vetus inter *rubeam ac albam rosam* dissidium obliteravit; turbis intestinis nihilominus aliquandiu exagitatus, quas Margarita Burgundiæ Ducissa, reginæ amita, ex odio in Lancastricam domum conflavit aluitque. Erat sacrificulus quidam *Rychardus Symond* alumnum habens è furore natum, cui nomen *Lamberto Symnel*, hunc forma specieque *Eduardo C. Warvvicensi*, in Turrim Londinensem à Rege conjecto, haud plane absimilem ille induxit, ut ejus personam mentiretur, quasi è carcere elapsus esset; obsecutus nutricio puer in Hiberniam trajecit, fabulamque orsus se Regem appellari & coronari passus est, atque inde contractis copiis & auxiliaribus à Margarita Burgunda acceptis, cum quibus Comes Lincolniæ & Baro Lovellus se conjunxerant, in Angliam reversus eum R. Henrico VII. in Nottinghamia apud pagum *Stoke* d. 16. Jun. 1487. prælio congredi sustinuit, sed post acerrimum conflictum præcipuis suorum cæsis victus captusque est, ob juventam tamen delicti gratia ei facta, locusque inter pueros veru versorios initio, deinde inter Regis falconarios concessus est. Post triennium in Boreali Angliæ parte ob imperata tributa tumultuatum, & Præses regionis illius Comes Northumbriæ trucidatus fuit; verum disjecto mox à Surriæ Comite factiosorum globo, autores pœnam resti pependerunt. Jam ad bellum cum Gallis res spectabat, eo quod illi R. Henrici copiis Maximiliano Austriaco adversus Flandros rebelles auxilio missis vim, suo quidem malo, intulissent, sed Bononia jam ab Anglis oppugnata pacem Galli summa 745. millium Ducatorum, annuaque 25. millium Coronatorum pensione redemerunt. Aliqua exinde tranquillitate gaviso *Henrico* novus impostor magnas dedit turbas: is *Petrus* sive *Perkinus*, per diminutivum dictus, & vulgò *Warbeck* cognominatus, cum tamen esset filius *Joh. Osbeki*, Judæi conversi, à R. Eduardo IV. è sacro fonte susceptus, progenui no dicti Regis gnato, nempe *Richardo D. Eboraci*, quem una cum fratre in Turri Londinensi extinctum fuisse diximus, venditabatur, struente scenam Margarita D. Burgundiæ, à qua primò hoc nomine in Lusitaniam, porro in Hiberniam atque in Galliam missus, indeque ad eam reversus pro nepote palam agnitus & satellitio munitus fuit, indito ei cognomento *alba rosa Angliæ*, eo effectu, ut multi Angliæ procerum ipsum honoris gratia convenirent, & colerent, quod quidem Wilhelmus Stanlæus Supremus Cubicularius, de Rege cætera haud male meritus, aliique capite luerunt. *Perkinus* interea classe militumque manu instructus in Cantium, inde in Hiberniam & porrò in Scotiam navigavit, ibique Regi usque adeò fucum fecit, ut ab eo non tantum splendide aleretur, & *Catharinam Gordoniam* Alexandri C. Huntlæi filiam, venustissimam virginem, uxorem acciperet, sed etiam cum magno exercitu ad populandos Angliæ fines mitteretur. *Henricus* recognita Baronem Aubenejum copias contrahere, & adversus Scotos ducere jussit; is verò cum in Cornubia tumultu à Jacobo *Touchet* B. Audlæo tributorum ergò concitato, sed prospera pugna suppliecioque autorum sedato, detineretur, Surriæ Comes vices ejus explevit, & Scotos ab obsidione castri *Durnham* depulsos ad sua recedere coegit, eurante autē Rege Hispaniæ pax Anglos inter & Scotos sancita, & *Perkinus* Scotia excedere coactus est. In Hiberniam itaq; reversus, inde in Cornubiam à turbonibus ejus regionis evocatus trajecit collectisque sex millibus militum Exoniam oppugnavit, sed Aubeneji adventu territus noctu clam copiis suis aufugit, & Bellilocum se recepit, ubi cum in sanctuario tanquam in asylo aliquandiu delituisset, ultro se Regi dedidit, cujus jussu in Turrim Londinensem conjectus est. Inde paulo post elapsus, iterumque comprehensus, cum publicam imposturæ suæ confessionem edidisset, custodiæ redditus est, ubi cum denuo fugam ac turbas adornasset, tracto etiam in consiliorum suorum societatem *Eduardo C. Warvvicensi*, qui eodem in carcere agebat, suspendio affectus, iste autem, ceu superius dictum, securi percussus est. Per idem ævi spatium Rex filio suo primogenito ARTURO Walliæ Principi nuptias *Catharinæ Aragoniæ* conciliavit, gnatam verò *Margaritam* Regi Scotiæ *Jacobo* IV. elocavit, *Arturo* autem præmatura morte rebus humanis exempto, ne dote ac amicitia Regis Hispaniæ fraudaretur, *Catharinam*, ab illo ceu perhibebant intactam, *Henrico D. Eboraci* filio suo secundogenito uxorem, indulgente Papa, dedit,

dedit, sera quidem deinde consilii hujus pœnitentia ex aliquo conscientiæ scrupulo tactus. Postremum Henrico VII. negotium *Edmundus de la Pole Comes Suffolciæ* exhibuit, qui cædis in viro mediocris loci perpetratæ postulatus, & coram Banco regio comparere jussus in contumeliam id rapuit, atque in Flandriam profugus cum Margarita Burgunda matertera sua clandestina adversus Regem contulit consilia, quibus detectis, & consciis, quos inter Jacobus Tyrell parricidii Eduardi V. & Richardi fratrum administer erat, capitali supplicio affectis, Suffolcius vagus denique Philippi Austriaci tutelæ se commisit; à quo cum is ad occupandum Hispaniæ regnum iter ingressus atque in Angliam delatus esset, *Henrico* traditus fuit, ea quidem conditione, ne vitæ ejus vis inferretur, quod etiam Rex præstitit, ultione filio ac successori relicta. Extremo vitæ tempore judicium fiscale tanquam casses ad captandas locupletiorum opes instituit, eoque jam antea plerisque ob pecuniæ cupiditatem & aucta crebro tributa invisus, odium apud omnes adeptus est; tantas autem coacervasse traditur divitias, ut quæ in privatis scriniis reliquit, ad summam quinque millionum & dimidii aureorum ascenderent. Denique de iterando post octodecim annorum viduitatem matrimonio cogitantem mors *Richmondiæ* intercepit, cum ætatis annum tertium supra quinquagesimum ageret. Corpus funerali pompa *Westmonasterium* deportatum in sacello quod ipse condiderat, sepulturæ datum est. (a) *Corpore*, ceu *Fr. Baco Verulamius* (b) memoriæ tradidit, erat *decoro, statura justa paulò procerior, & erectus, & membrorum compage bona, sed gracili. Vultus erat talis, quæ reverentiam incuteret, & aspectum viri Ecclesiastici aliquantùm referret; & sicut minimè erat obscurus & supercilosus, ita neque blandus aut conciliator; sed serius ut plurimum & cogitabundus, quique secretas in animo suo observationes & curas foveret: hinc etiam commentariolos & Memorias manu propria scriptas præsto semper habebat. Animi* porrò erat *alti ac excelsi, propriæ sententiæ, proprii consilii amator, utpote qui se ipsum revereretur, & ex se revera regnare vellet. Salomon Anglorum* nuncupatus, tam ob *sapientiam*, quàm ob *exactiones*, quibus populo suo non secus ac illegravis fuit.

HENRICUS VIII. inter laudatissimos Principes communi scriptorum sententia referri meruisset, si quam principio regni sui ingressus est viam continuo pressisset tenore neque à rectis in vitia, à vitiis in prava, à pravis in præcipitia prolapsus esset. Maximis animi, ingenii & corporis dotibus præditus, & studiis religionis ac doctrinarum egregiè & prope supra conditionem Principis excultus, maturas ad regnum attulit curas, post persoluta parenti justa, & matrimonium cum *Catharina Hispana*, fratris sui vidua, à patre sibi, ceu dictum, desponsa, consummatum, sollemni pompa ab Archiep. Cantuariensi Wilhelmo Warham inauguratus. Ut amoliretur à se avaritiæ probrum, odiumque parenti inde enatum, immoderata tributa atque exactiones, quæ illo regnante invaluerant, protinus abolevit, de inventoribus earum atque extortoribus supplicium sumpsit, congiaria distribuit, spectacula edidit, ludos scenicos, equestres, & certamina gymnica instituit, neque liberalitatis neque magnificentiæ neque comitatis quidem exhibendæ ullam occasionem omisit, adeò ut modum prope excederet. Hoc pacto delinitis suorum animis, & in sui amorem ac venerationem raptis, foris etiam atque apud exteros brevi illustratus est. Potentia namque ipsius terrori, prudentia verò & in cognoscendis veris regni sui commodis ac rationibus solertia admirationi erat. Ipse id præcipuè operam dedit, ut inter Hispaniæ Galliæque Reges æqualem quasi teneret libram, quare omnibus eorum negociis pacis ac belli intervenit, arbitrum se præbuit, sua consilia ad utriusque statum ac fortunam attemperare gnarus. Bellum primum cum Rege Galliæ Ludovico XII. egregia gessit fama, copias ejus d. 24. Aug. 1513. justo vicit prælio, cui à fuga equitum Gallicorum effusissimis habenis & adhibitis continue calcaribus facta vocabulum *la journée des esperons* militaribus inditum fuit facetiis, Tarvennam interceptam mœnibus nudavit, Tornacum expugnavit, eodemque temporis tractu Regem Scotiæ Jacobum IV. Angliæ fines infestare ausum virtute Surriæ Comitis in campo Floddenensi d. 9. Sept. superavit, illoque cum magna procerum suorum parte cæso, exercitum Scotorum prope ad internecionem delevit. Nec etiam iterata cum Gallis Scotisque bella improspere *Henrico* evenere, gloriosa semper & salubri pace finem eis imponenti. Gladio verò in vaginam recondito calamum strinxit, & Theologiæ polemicæ gloriam quæsiturus librum adversus Martinum Lutherum edidit, quo judicium illius de Indulgentiis & Sacramentis reprehendit, sumto scribendi argumento ex libro de captivitate Babylonica, quam ob causam à Papa Leone X. *Defensoris Fidei* encomio affectus est, cujus quidem tituli aliqua vestigia in Archivis Eliensibus extare, ušumque eo fuisse è Regibus Anglo-Saxonicis Oswaldum *Becmannus* in *Notitia Dignitatum Illustrium* (c) ex *Registro Th. Arundel. Ep. El. & Hovel Tr. de Prac.* refert. Erupit illa tempestate vetus inter Ecclesiasticum & secularem in Anglia ordinem simultas occasione cujusdam *Richardi Hunn*, quem quod parochum pecuniæ suæ inhiantem in jus vocasset, Clerus hæreseos delatum in carcerem compingi, ibi elisis faucibus interfici, & denique interfecti cadaver publice cremari curavit: hujus facti indignitas ac sævi-

(a) Sandford. Lib. VI. c. 1. (b) Hist. regni Henr. VII. (c) Dissert. II. cap. 2. §. 8.

SCHEMA DOMUS

Owenus Merideth - Tudor, Cambro-Britannus, decollatus m. Febr. 1461.

Edmundus Tudor cogn. *de Hadham* Comes Richmondiæ † 1. Novemb. 1456.
Margarita Beaufort, Johannis D. Somerset. fil. & her.

HENRICUS VII. REX ANGL. & FRANC. Dn. Hibern. coron. 30. Oct. 1485. dictus antea Comes Richmondiæ, n. circa a. 1455. † 21. Apr. 1509.
Elisabetha Eboracensis, Eduardi IV. R. Angl. fil. & her. precipua ducta 18. Jan. 1486. coronata 25. Nov. 1487. † 2. Febr. 1503.

Arturus Tudor Pr. Walliæ n. 20. Sept. 1486. † 2. Apr. 1502 *Cathar. Ferdinandi Cathol. R. Hisp. f. 14 Nov. 1501.*	Margarita n. 29. Nov. 1489. nup. 1. *Jacobo IV. R. Scot. 1503. 2. Archambaldo Duglas C. de Anguisse 6. Aug. 1514. 3. Henrico Stuarto Dn. Meffeni † 1539.*	HENRICUS VIII. R. ANGL. FR. & HIB. DEFENSOR FIDEI n. 28. Jun. 1491. cor. 24. Jun. 1509. † 28. Jan. 1547. 1. *Catharina Aragonia, Arturi fratris vid. 3. Jun. 1509. repud. 1531. † 8. Jan. 1536.* 2. *Anna Ballen M. de Pembrock, Thomæ C. de Wiltshire f. 25. Jan. 1533. decoll. 19. Maji 1536. 3. Johanna Seimour Johannis f. 20. Maji 1536. † 14. Oct. 1537. 4. Anna, Wilhelmi D. Cliv. f. 6. Jan. 1540. repud. eod. an. † in Angl. 1557. 5. Catharina Hovvard, Edmundi f. 8. Aug. 1540. decoll. 13. Febr. 1541. 6. Catharina Parr Johannis Nevil B. Latimer vid. 12. Jul. 1543.*

1. Jacobus V. Rex Scot.	2. Margarita uxor *Matthæi Stuarti C. Lenox.*	1. Henricus Tudor n. 1. Jan. † 22 Febr. 1510.	Anonymus. m. Nov. 1514.	MARIA REG. ANGL. FR. & HIB. n. 8. Febr. 1516. cor. 30. Nov. 1553. nup. *Philippo II. R. Hisp. 25. Jul. 1554. † 17. Nov. 1558.*

Maria Regina Scotiæ - Henricus Stuartus C. Darlii.

JACOBUS REX MAGNÆ BRITANNIÆ.
Vid. Tab. XI.

REGIÆ TUDORENSIS.

Catharina de Francia Henrici V. Regis Angl. vidua † *3. Januar. 1438.*

Caſpar Tudor cogn. *de Hatfeild* Dux Bedford. C. Pembroc. † 21. Dec. 1495. *Cathar. Woodvile Richardi C. River f. Henr. Staff. D. Buking. vid.*	Owenus Tudor, *Monachus* Weſt-monaſt.	Filia in infantia extincta.

Helena, *notha*, Uxor *Wilhelmi Gardiner Armigeri*, & mater ex adultero *Stephani Gardineri Epiſcopi Vintonienſis famoſiſſimi.* *Vid. inf. Tab. LXXIII.*

Eliſabetha n. 2. Jul. 1492. † 14. Sept. 1495.	Edmundus Tudor n. 21. Febr. 1499. † eod. anno.	Maria n. 1498. nup. 1. *Ludovico XII. R. Gall. 9. Oct. 1514.* 2. *Carolo Brandon D. Suffolc. 1517.* † 25. Jun. 1533.	Catharina n. & † 1502.

2. ELISABETHA REG. ANGL. FR. & HIB. n. 7. Sep. 1533. cor. 15. Jan. 1559. † *Virgo* 24. Martii 1603.	Anonymus 29. Februarii 1536.	3. EDUARDUS VI. R. ANGL. FR. & HIB. n. 12. Oct. 1537 cor. 25. Febr. 1547. † 6. Jul. 1553.	Henricus *Fitz-Roy nothus* C. Nothing. D. Richm. & Somerſ. n. 1519. † *ār.* 24. Jul. 1536. *Maria Hovvard Thomæ D. Norf. f.*	2. Franciſca ux. *Johannis Grey D. Suffolc.*

Johanna Uxor *Guilfordi Dudlei.* Catharina.



tia uri Laicos omnes vehementer adversus Clericos incendit, ita Regem permovit, ut suopte decreto immunitati horum modum poneret, & licentiam, qua in omne flagitii genus, isti præcipuè, qui regulis votisque adstricti erant, impune ferebantur, coerceret. (a) Hanc Pontificiæ potestatis in Anglia convulsionem Romæ tunc dissimulatam longe gravior paulò post excepit, cum Rex, conjugii cum *Catharina* sive ob conscientiæ scrupulum, sive aliis de causis, pertæsus, divortii indulgentiam apud Papam Clementem VII. nullo obsequio autære, præponderante Imp. Caroli V. cujus matertera *Catharina* erat, felicitate ac potentia redimere posset: diu enim falsâ spe à Cardinalibus Wolsæo & Campegio, quibus Pontifex hoc negotium decidendum commiserat, lactatus & circumductus, suapte tandem autoritate divortium instituendum ratus est, atque abrogata Pontifici Romano omni in regnum Angliæ ejusque Clerum potestate, semetipsum esse *supremum caput Ecclesiæ in Anglia* non minus quàm Politiæ edixit, inque hunc titulum æque ac obsequium suum in sacris pariter atque profanis subditos omnes d. 7. Nov. a. 1533. sacramento adegit. Subsecuta est exautoratio *Thomæ Volsæi*: Hunc obscuro & sordido genere ortum, lanionis filium, Rex ad supremas in Anglia dignitates amplissimamque autoritatem provexerat, opulentissimis sacerdotiis & Episcopatibus auxerat, tandemque Eboracensis Ecclesiæ Archipræsulem & regni Cancellarium creaverat, à Pontifice insuper Cardinalitio Galero & Legati Sedis Apostolicæ axiomate decoratum, ad intimam familiaritatem & arcanorum arbitrium admiserat, & tantum non ad ejus nutum cuncta agere consueverat; qua fortunæ magnitudine, demissa ac prope servili adulatione sibi parta, postquam ille ad superbiam atque insolentiam abuti cœpisset, neque à luxu, mollitie & libidinibus sibi temperasset, publicum in se derivavit odium: hinc simul ac patuit, Regis animum alienatum ab eo esse, quod divortii veniam à Pontifice, prout largiter pollicitus erat, haud impetrasset, prætereaque amori ipsius erga Bullenam adversaretur, destinata illi in uxorem Margarita Valesia Alenconii Ducissa, non cessarunt aulici proceresque oleum, quod est in proverbio, adjicere camino, Regemque perpulerunt, ut invisum cunctis hominem, Cancellariatu exutum aula facessere, & in diœcesin Eboracensem secedere, posteaque læsæ Majestatis reum actum comprehendi & Londinum reduci juberet, quo in itinere ira ac dolore ferocem atque asperum animum inflammante in febrim incidit eaque ingravescente opportuna morte imminenti se præripuit supplicio; à quo sane illo melioribus non fuit temperatum, ne quidem *Johanni Fishero* Episcopo Ruffensi & *Thomæ Moro* spectatæ virtutis viris & solius pervicaciæ in improbando Regis divortio & defendendo Papæ primatu reis. Scilicet *Henricus* sui dissimilior videbatur fieri quotidiè; repudiata Catharina *Annam Bullenam*, quam deperibat, clam sibi copulavit, gravidamque ex se factam, *Marchionissæ Pembrochiæ* titulo ornavit, publiceque uxorem agnovit mox regiis insignibus *Westmonasterii* evinctam. Eandem tamen anno tertio vix exacto adulterii & incesti insimulatam atque à Paribus, quos inter patrem ejus Thomam Bullenum consedisse vulgo ferunt, *Burnetus* (b) certiora edoctus negat, condemnatam una cum fratre eius Barone *Rochford* capite plexit, ducta in matrimonium postridie *Johanna Seimora*, quæ intra anni spatium, & antequam Regis amor deflagrasset, post enixum *Eduardum* VI. fato functa est. Postmodum à Maria Lotharingica Ducis Guisii filia, nec non Christiana Danica Ducissa Mediolanensi, quas ambiverat, spretus, ægre *Annam Clivensem*, dum Protestantium in Germania amicitiæ se applicaret, in uxorem obtinuit, pronubo *Thoma Cromvvello* Custode Sigilli magni, Comite Essexiæ recens creato, quem verò, cum illam statim atque duxerat, tanquam forma Principe indigna præditam, aversatus exturbasset, perduellionis postulatum securi percussit. Repudium Clivensis amor acceleravit *Catharinæ Hovvarda*, quæ Ducis Norfolciæ neptis erat, & à Rege super inducta, anno autem vertente pudicitiæ & ante & post conjugium in propatulo habitæ rea obtruncata fuit. Denique *Catharinam Parram* in thorum adscivit, quæ religionis ergô in mortis discrimen adducta prudentia & humilitate evasit, illique superstes mansit. Enimverò is erat religionis status, ut in Pontificios æque ac protestantes sæviretur, in illos ob pertinaciam in asserenda Pontificia dignitate, in hos ex *lege*, quam vocarunt, *sex articulorum* lata contra eos, qui tradita Rom. Ecclesiæ de Transubstantiatione, Missa, confessione auriculari & alia hujus furfuris impugnabant. Extremis vitæ suæ annis *Henricus* ex intemperie corporis irritatior factus, postquam Scotos Angliæ confinia populatos graviter multasset, Gallo, quod Scotis subsidia miserat, bellum indixit, fœdere cum Imp. Carolo V. facto. Deinde trajecturus in Galliam regni Ordinibus in Comitiis proposuit, ut si *Eduardus* filius sine sobole diem obiret, primum *Maria*, & si eum quoque proles deficeret, *Elisabetha* in regnum succederent. E Gallia Bononia capta & ingenti pecunia profusa reversus, in Norfolcios egregie de se meritos ex levi affectati regni suspicione sævit, & denique dum Angliam (*Camdeni* (c) verba refero) *novis quotidie suborientibus opinionibus distractam ingemisceret, & ipsa Anglia opibus exhausta, pecunia ære intermixta depravata, monasteriis dirutis, Nobilium, Præsulum, Pontificiorum,*

(a) *Burnet. Hist. Ref. Eccl. Angl. T. 1 L. 2.* (b) *Addit. 1. ad Hist. Ref. Angl.* (c) *Appar. ad Annal. Elisab.*

ficiorum, Protestantium cruore promiscuè effuso, luctuosa suspiraret, supremum spiritum pinguedine diffluens ex virulenti herpetis in crure inflammatione exhalavit, & Windsoriæ sepultus est. Titulum *Regis Hiberniæ*, suffragantibus utriusque regni Ordinibus d. 23. Jan. a. 1541. adscivit. Præter liberos è dictis uxoribus genitos, nothum etiam habuit, ex *Elisabetha Blount* Gilberti *Tailbois* vidua susceptum & HENRICUM FIZROY cognominatum. Hunc sextum ætatis annum agentem aurea *periscelide* & titulo *Comitis Nottingamiæ* insignivit, postea *Ducem Richmondiæ* & *Somersetiæ* ac denique *Admiralem* regni creavit, ad ampliora evehendum, nisi mors fato propera ætate florentem rapuisset. (*a*)

EDUARDUS VI. à *Johanna Seimora* editus, neque, ceu vulgò ferebatur, utero excisus, patri Henrico VIII. in regnum decennis successit, tutores nactus XVI. quos inter primas tenebat *Eduardus Seimorus*, Johannæ frater, *Protector* nuncupatus, & *Dux Somersetiæ* creatus. Hujus auspiciis post inaugurationis sollemnia ab Archiepiscopo Cantuariensi Thomæ Cranmero peracta insignis victoria de Scotis ad *Museburgum* d. 10. Sept. 1547. reportata est, eum Angli pacti fœderis fidem de Maria Scotorum regina *Eduardo* desponsanda armis repeterent, & abrogatis legibus sex Articulorum aliisque ab Henrico VIII. contra Protestantes latis, religio Evangelica in plenum vigorem deduceretur. Qua quidem occasione magni motus in diversis regni locis excitati sunt, omnes tamen sublatis turbonibus intra biennii spatium sedati. Galli etiam in turbido piscaturi pace interrupta bellum Anglis intulere, & conducta classe insulas *Gernsey* & *Jersay* invasere, à *Thoma Seimoro* Admirali, Protectoris fratre, cum magno repulsi damno; pace deinde generali inter Cæsarem Regesque Angliæ & Franciæ sancita, matrimonium inter *Eduardum* & *Elisabetham*, Gallignatam, pactum, sed Bononia, & omnes arces in illo agro ab Anglis exstructæ, accepta pecunia, Gallis traditæ sunt. In aula verò cum æmulationes gliscerent, Protector mitior ingenio adversus *Dudlæi* Warwicensis Comitis, ambitiosi & sagacis hominis, casses incautus fratri sibique exitium accersivit, utroque feloniæ damnato & securi percusso. Quo confecto *Dudlæus* voti compos & novis Admiralis ac Ducis Northumbriæ dignitatibus elatus, fortunam sibi faventem urgere constituit, cumque Regem ex humore acri in pulmones destillante in dies confici & in hecticum paulatim evadere animadvertisset, morbumque lethalem nec spei quicquam reliquum esse à medicis resciviset, autor illi extitit, ut quandoquidem Evangelicam religionem tanta coluisset atque instaurasset pietate, ei sartæ tectæ servandæ supremis provideret tabulis, sororesque suas *Mariam* & *Elisabetham*, quæ quoad fidem haud sibi constarent, præterea que natalium vitio laborarent, à successione in regnum excluderet, eamque in *Johannam Grajam* amitinæ suæ, è *Maria* R. Henrici VII. sorore, & *Henrico D. Suffolciæ* prognatæ filiam, eamque *Guilfordo Dudlæo* filio ipsius quartogenito nuptam, transferret, atque huic, si sine prole decederet, sororem *Catharinam Grajam* substitueret. Hoc testamento in procerum consistorio lecto, & XXXIII. Senatorum assensu, demumque ab Archiep. Cantuar. *Thoma Cranmero*, licet reluctante, signato, *R. Eduardus* VI. supremum diem obiit, annos natus XVI. jamque in illa ætate magnis virtutis ac prudentiæ speciminibus editis, constantia animi, amore recti & studio literarum incredibili. Morti vicinus hæc ingemuisse memorantur verba, pietatis plena: *Domine exsolve me misera hac, & corrupta vita, atque in consortium electorum tuorum transfer, fiat autem voluntas tua, non mea! Domine in manus tuas commendo spiritum meum! Nosti Domine quanto satius mihi sit tecum esse, attamen in gratiam liberorum tuorum restitue me in vitam & sanitatem. Domine Deus benedic populo tuo & hæreditatem tuam tuere! Domine Deus protege regnum hoc contra Pontificios, veram in eo religionem sartam tectam serva, ut ego populusque meus celebremus sanctum nomen tuum per JEsum Christum.* Corpus defuncti *Westmonasterii* in sacello S. Petri reconditum fuit, structo monumento, quod fanaticorum furores sequenti tempestate everterunt. (*b*)

MARIA, Regis *Henrici* VIII. gnata è *Catharina Arragonia*, cum ineunte adolescentia unicæ hæredis loco haberetur, à multis expetita atque à parente initio *Delphino* destinata, postea verò *Imp. Carolo* V. condicta fuit. Is autem postquam Lusitaniæ Regis affinitatem Anglicæ antehabuisset, Henricus indignatus de Maria *Regi Scotiæ Jacobo* V. elocanda cogitavit, renovato verò cum Gallis fœdere eam *Duci Aurelianensi*, qui filius secundo genitus R. Francisci erat, despondit, quæ tamen nuptiæ non secus atque illæ cecidere in irritum. Orto postea inter *Henricum* & *Catharinam* ferali dissidio cum *Maria* matris partes susciperet, neque sine acerbitate sustineret, offensam genitoris incurrit, animo adeo iniquo id ferentis, ut referente *Burneto* (*c*) atrox exemplum ad te. rendos alios editurus in eam fuisset, nisi commodis Thomæ Cranmeri sermonibus ac dissuasionibus mitigatus esset. Matre fato functa simulare cœpit, patre dum viveret assentata atque obsecuta, & regnante *Eduardo* fratre id unice habere in votis præ se tulit, ut more sub excessum Henrici introducto Deum colere sibi liceret: quæ tamen vota latissime evagandi viam ei fecere, postquam autoritas ac suprema accessisset potestas. Nimirum etiamsi inter ipsum illud

(*a*) *Sandford. L. VI. c. 2.* (*b*) *Idem Lib. cit. cap. 5.* (*c*) *Hist. Ref. Angl. T. II L. 1.*

illud tempus, quo divinus R. Eduardi VI. Spiritus mortali discernebatur à corpore, Dux Northumbriæ ejusque asseclæ haud pauci nec nullius potentiæ id agerent, ut *Maria* exclusa regnum in *Johannam Grajam*, quæ maternum genus ad R. Henricum VII. referebat, & dicti Ducis nurus erat, transferretur, hancque præter votum equidem ac voluntatem suam Reginam proclamari secundum defuncti Regis testamentum curassent, *Maria* tamen, Hovesdonii tunc agenti & de morte Eduardi & consiliis procerum certiori facta, non defuere fautores, quorum auxilio tantas brevi contraxit copias, ut adversariis terrorem & trepidationem illico injiceret. Londinenses primi relicta Northumbrii societate *Mariam* reginam proclamari jusserunt, quod ubi ille Cantabrigiæ rescivit, idem pro levitate sua factitavit, jacto etiam exultantis instar in altum pileo; nihilominus postridie à Comite Arundeliæ, licet supplex veniam rogasset, comprehensus in Londinensem Turrim conjectus, & capite plexus. *Maria* interea Londinum progressa sororem *Elisabetham* cum mille equitibus obviam habuit, atque in Urbem delata, Thomam Norfolcium, Eduardum Curtenæum, Ducissam Somersetiæ nec non Stephanum Gardinerum Vintoniæ ante hac Præsulem custodia exemtos in pristinum restituit locum, adjecta postremo Cancellarii dignitate, à quo etiam *Westmonasterii* coronari voluit. Rescissis deinde actis contra matrimonium Henrici & Catharinæ, & revocato religionis cultu & ritu, qui sub illo invaluerat, sensim frendente nequicquam plebe, rem Ecclesiasticam ad veterem reduxit formam, Pontificiam potestatem restauravit & regnum proxeneta *Reginaldo Polo*, cum titulo Legati Sedis Apostolicæ à Pontifice misso, cum Ecclesia Romana reunivit, quod anno 1554. confectum est, non absque inmani persecutione & frequenti martyrio illorum qui diversum sentiebant, & fidei Evangelicæ constanter inhærebant, quorum CCLXXVII. Maria regnante vario mortis genere eo nomine affectos, & maximam partem exustos esse *Sandfordius* (a) ex actis à *Foxio* collectis refert; in horum numero fuere Triumviri illi clarissimi *Thomas Cranmerus* Archiepiscopus Cantuariensis, haud male quondam, ceu è dictis liquet, de Maria meritus, *Nicolaus Ridlaus*, & *Hugo Latimer* Londini & Roffæ præsules. Hæc dum geruntur, nuptiæ inter Reginam & *Philippum* Hispaniarum Principem, postea Regem, pactæ atque hoc in Angliam delato Vintoniæ peractæ sunt, multis equidem, qui grave exinde detrimentum rebus Anglicis augurabantur, invisæ & tumultibus ansam præbentes. Cantiani enim decimo statim post illas divulgatas die in rebellionem duce *Thoma Wyat* prorupere, qua etiam Dux Suffolciæ, Johannæ Grajæ pater, ad spes novas erectus, militum delectum in Comitatu Warwicensi habuit. Sed circumventi Wyatus æque ac Suffolcius à reginæ copiis, quas illic Pembrocensis Comes, hic Huntingdonius ductabant, & capti, seditionem Londini capite expiarunt. Suffolcius in supplicii sui societatem pertraxit generum *Guilfordum Dudlæum*, & gnatam *Joh. Grajam* fœminam non sui tantum, sed omnis ævi præstantissimam. *Elisabetha* quoque soror reginæ quasi turbarum harum particeps fuisset, insimulata atque in carcerem detrusa, & duris habita est modis, extremæ calamitati Regis Philippi beneficio & aliquo erga ipsam affectu erepta. Novas postmodum turbas *Thomas Stafford* instinctu Regis Galliæ dedit, & castrum *Scarborough* in Eboracensi Comitatu intercepit, mox tamen à Thoma Percio oppressus captusque securi una cum complicibus percussus est; qua tempestate *Maria* Gallis bellum indixit, & marito Fanum Quintini oppugnanti exercitum V. millium militum submisit, quorum in memorabili prælio ad idem oppidum d. 10. Aug. 1557. commisso egregia extitit opera & magna gloria, sed irreparabili jactura brevi contaminata, cum Galli duce Guisio Caletum, præsidio idoneo destitutum, ad deditionem adegissent, acerbissimo reginæ dolore, eoque immane quantum aucto, ob cæteram municipia & castella, quæ citra mare Anglici juris erant, à Gallis intercepta. Ad hanc *Mariæ* ægritudinem & viri in Belgio occupati desiderium accedente aqua intercute, è qua initio cum tumentem alvum gestaret prægnantem se esse existimabat, eaque propter nulla remedia adhibebat, in febriculam incidit, qua sensim crescente tandem absumpta, & *Westmonasterii* juxta exuvias avi R. Henrici VII. humata est. Fuit animo magno ac generoso, pietati & devotioni superstitiosè dedita, natura tristi & recondita, tandemque inquieta, melancholica & prope usque ad intolerantiam austera.

ELISABETHA omnium, quæ unquam sceptrum gesserunt, gloriosissima fœmina constanti longæ vitæ tenore, & æquali imperscrutabili Numinis favore eam ad ultimum spiritum comitata felicitate, quæcunq; in ipsam odio religionis jactata fuere (quod *Thuani* (b) integerrimi & gravissimi scriptoris judicium est) confutavit. Adversitatibus atque usu efficacissimis Magistris edocta, prudentiam supra ætatem sibi comparavit, ita ut ex quo regnum auspicata est, suo semper ingenio nec alieno usa fit, & miro quodam moderationis & gravitatis temperamento erga præferocem & ardentem Nobilitatem severa, erga cæteros mitis, in illius animis metum & reverentiam, in aliis amorem sui statim ab initio impresserit, nec (*Camdemi* (c) testimonio) alteram

(a) Lib. cit. c. 4. (b) Hist. Lib. 129. (c) Annal. Elisab. p. 2.

alterum unquam populus Principem proniore & constantiore mente & amore, majore observantia, lætiore applausu & votis repetitis quoties in publicum prodiret, toto vitæ decursu unquam prosecutus fuerit. Postquam inaugurata *Westmonasterii* fuisset, solemnia faciente Episc. Carliolensi *Ogletorpo*, quod alii eo defungi munere religioni duxissent, primam curam ad restaurandam Evangelicam religionem, eamque Ecclesiasticam ad priorem, quam sub Eduardo VI. habuit, formam reducendam adhibuit, qua ex animi sententia sine vi & sanguine perfuncta ad rempublicam constituendam, & pacem cum vicinis conciliandam animum adjecit; hanc autem partam ita coluit, ut nihil famæ & pristini nominis decori in re militari suis deperire passa sit. Nam & auxiliares copias afflictis in Scotia, Gallia & Belgio Protestantibus submisit, & Hibernos sæpius rebelles perdomuit, & intestinos motus in ipsis principiis oppressit. Præterea bellum maritimum à R. Hispan. Philippo II. maximo cum strepitu sibi illatum magna non minus animositate quam felicitate sustinuit & confecit, deletaque immani ac stupenda illius classe, superno quidem auxilio potius quam humanis viribus, gravissima ei utroque in orbe inflixit damna. Neque improsperè evenere navigationes in Indias ejus auspiciis susceptæ, circum navigato à *Fr. Draco*, quo deinde *subthalassiarcho* usa est, terrarum orbe, & aperto ad sepositas Hispanis opes strenuis viris invadendas itinere, multis quoque in America occupatis locis & coloniis eo missis, quæ *Virginiam*, in honorem *Elisabethæ Virginis* sic denominatam, insederunt. Rebus ita ex voto fluentibus non caruit illa tamen solicitudine ac molestia, à proxima consanguinea *Maria Scotiæ regina* sibi nata: nimirum sub ipsis statim initiis regni Elisabethæ Maria, Francisco Delphino mox Regi Galliæ tunc nupta, jus in Angliæ regnum sibi arrogare, titulumque & insignia reginæ Scotiæ, Angliæ & Hiberniæ sumere cœpit, eaque abdicare renuit, licet tractatibus Edenburgi a. 1560. initis cautum inter alia fuerit, ut illis abstineret; unde irritata Elisabetha Mariæ post mariti fata in Scotiam redire cogitanti transitum, de quo rogata fuerat, denegavit. Cum verò illa idoneam tempestatem nacta & cœlo caliginoso naves Anglicas prætervecta in Scotiam trajecisset, misso ad Elisabetham Lidingtonio, ei insinuari jussit, certissimam pacis inter ipsas ineundæ & servandæ rationem fore, si illa, dummodo improlis futura esset, se hæredem in regno Anglico proximè successuram Parlamentaria declararet autoritate. Aversis auribus id accepit Angla, quæ tractatuum Edenburgicorum corroborationem urgebat, deinde tamen bene sperare Scotam jussit, si Roberto Dudlæo Leicestriæ Comiti nuberet, quem etiam missis Legatis de meliore nota Scotiæ ordinibus commendavit; illa autem *Henrici Stuarti Darlæi* amore interim capta connubio hunc sibi junxit, Regemque dixit, non ita multò post fastiditum & è vivis sublatum. Inde cum *Bothwvelio* nupsisset, à subditis custodiæ mandata, sed undecimo mense ex ea elapsa in Anglia perfugium quæsivit, anxia pro tempore *Elisabetha*, quæ exemplum veritæ commiseratione cognatæ reginæ initio tangi, cumque à Scotiæ proceribus patricidii accusata esset, causæ ejus patrocinari videbatur, die Eboraci indicta, & cognitoribus eo missis, quos inter Tomas Howardus Dux Norfolciæ erat. Is Mariæ juribus semper impensè favit, & de nuptiis cum ea contrahendis clandestina agitavit consilia, quibus detectis & quod rebus novis studeret in carcerem conjectus est, dum Scota in custodia Comitis Salopiæ detineretur. Dimissus postea è carcere Norfolcius, cum de nuptiis illis contra datam fidem denuo cogitare & consilia conferre sustinuisset, iterum comprehensus & capitali supplicio affectus, illa verò arctius custodita fuit. Ab eo tempore cum alia & alia machinatio ad *Mariam* liberandam & denique atrox conjuratio ad Elisabetham è medio tollendam, regnum in alium transferendum & Romanam Religionem restituendam inita & detecta fuisset, præterea que è complicum confessionibus & literis interceptis constitisset, Scotam facti non ignaram esse, hæc post examinationem, cui XLVII. viri à Regina & Parlamento delegati & inter hos nonnulli Romanis sacris addicti interfuere, causa in comitiis regni agitata, perduellionis rea peracta & morte digna pronunciata fuit, adjecta ab Ordinibus ad Reginam supplicatione, ut confirmationem, promulgationem atque executionem sententiæ fieri juberet, seque ac patriam servatum iret. Hæsitante illa & anxia, cum iterassent rogationem illam Ordines, adhibita etiam geniculatione, confirmavit tandem *Elisabetha* sententiam feralem, utque ea promulgaretur assensit, & denique suorum expostulationibus victa publicationis atque executionis actis subscripsit, nullo tamen tempore ad hanc perficiendam designato. Verum Davidsonus, Reginæ à secretis epistolis, impotenti desiderio impulsus mox acta omnia supremi sigilli autoritate firmata ad Senatum pertulit, in quo qui aderant Scotæ infensi rem non amplius cum Regina communicandam rati, illa cum epistolis mandati & executionis formula ad Salopiæ & Cantii Comites arci, in qua captiva attinebatur, vicinos, per Robertum Belum misere, jubentes ut cum aliis ejus regionis proceribus sententiam exequerentur: id quod ab illis sine cunctatione ad d. XII. Kal. Mart. qui stylo veteri est VI. Id. Febr. a. 1587. peractum, missusque confestim fuit Henricus *Talbot* Comitis Salopiæ filius, qui supplicii de Maria Scotorum Regina sumti nuncium Londinum perferret. Eo divulgato quo magis

H populus

populus exultabat, quasi solutis formidine animis, quæ cunctos quam diu Maria superstes esset, de salute regni & reginæ anxios tenebat, eo gravior huic indignatio oborta est, querenti, præcipitatam se inscia executionem sententiæ, quam non alia fini, quàm ad deterrendos conjuratos, ferri ac promulgari passa sit; hinc lugubria statim sumsit, & defunctæ magnificas exequias C. millium florenorum paravit; missis deinde ad Jacobum R. Scotiæ, Mariæ gnatum, literis purgatoriis, Consiliarios, graviter reprehensos & à conspectu submotos, examini subjecit, Davisonium judicio sisti jussit, & diu in carcere detentum magnoque ære multatum denique loco movit. Proceres verò qui tantæ invidiæ onus in se sive à Regina rejectum sive à seipsis impositum videbant, apologia mox edita factum tuebantur, juramento *Associationis* a. 1584. inita se imprimis excusantes, quacum plurimis genuinis Anglis ex omni ordine mutuis votis, subscriptionibus & sigillis sese obstrinxissent ad eos omnibus viribus ad mortem usq; persequendos, qui in Reginam aliquid attentaverint. (a) Cæterum *Elisabetha* cœlibatum quod attinet, cum varia de eo circumlata essent, dubio tamen carere arbitror, animum illius in eum propensiorem quam in conjugium fuisse; testata id est responso, quod Ordinum oratori, ad matrimonium mature ineundum composito sermone ipsam hortato, dedit, nimirum sibi satis ad gloriam futurum, si monumento suo aliquando inscriptum esset: *Hic sita Elisabetha quæ Virgo regnavit, Virgo obiit.* (b) Inter multos tamen procos (quales fuere *Philippus II. Rex Hisp.* qui superstite adhuc Maria uxore sua & illius sorore animum in eam conjecerat, *Carolus Archidux Austriæ*, *Jacobus Hamilton, Comes Araniæ* à Protestantibus Scotiæ commendatus, *Ericus R. Sueciæ. Adolphus D. Holsatiæ*) *Franciscum Andium Ducem* spe nuptiarum suarum implevit, delegatis qui de tabulis matrimonialibus cum Gallis agerent, illique vice secunda in Angliam profecto inter amatoria colloquia annulo, quem de suopte digito detraxerat, imposito, ita ut adstantes nuptias sponsione jam contractas putarent; Verum scrupulo conscientiæ & Religionis Reginæ à suis injecto negocium hoc omne abruptum & ulteriore successu destitutum est. (c) *Leicestrius* præcipue nuptiis illis adversatus fuisse memoratur similis aura spei aliquando inflatus, ob summam qua apud Reginam floruit gratiam, nec sine magno ejus dolore, cum ex Hollandia, quo titulo Generalis auxiliorũ illius missus fuerat, reverteretur, vivis in itinere exemptus. Locum ejus postea occupavit *Robertus Ebroicus Comes Essexiæ*, inter tristia vicissitudinis rerum humanarum exempla referendus, utpote tam suapte insolentia, quam æmulorum invidia ad ferale pegma denique raptus. Regina supplicio cari sibi aliquandiu hominis haud longe superfuit: annum enim agens *climactericum*, scilicet *septuagesimum* & valetudinis & senectutis nonnulla imbecillitate tentata fuit, quam torpor quidam cum abstinentia à cibo excepit, ita ut sensim deficeret, & placida evthanasia *Richmondiæ* expiraret, postquam paulo ante de successore rogata, dixisset, *thronus meus fuit thronus Regum, nolim ut vilis mihi succedat*; horumque verborum sensum ita explicasset: *Rex mihi succedat volo, & quis nisi cognatus proximus Rex Scotorum?* (d) Sepultæ *Westmonasterii* in æde *S. Petri* juxta exuvias Reginæ Mariæ sororis suæ à R. Jacobo successore Mausoleum conditum est, hoc epitaphio insignitum: (e)

MEMORIÆ ÆTERNÆ

ELISABETHÆ *Angliæ Franciæ & Hiberniæ Reginæ, R. Henrici VIII. filiæ, R. Henrici VII. nepti, R. Ed. IV. Pronepti, patriæ parenti, religionis & bonarum artium altrici, plurimarum linguarum peritia, præclaris tum animi tum corporis dotibus regiisque virtutibus supra sexum, Principi incomparabili Jacobus Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, virtutum & regnorum Hæres bene merenti pie posuit.*

Regno consortes & urna hic obdormimus
Elisabetha & Maria sorores
in spe resurrectionis.

Memoriæ sacrum.

Religione ad primævam sinceritatem restaurata, Pace fundata, Moneta ad justum valorem reducta, rebellione domestica vindicata, Gallia malis intestinis præcipiti sublevata, Belgio sustentato, Hispanica classe profligata, Hibernia pulsis Hispanis & rebellibus ad deditionem coactis pacata, reditibus utriusque Academiæ lege annonaria plurimum adauctis, tota denique Anglia ditata, prudentissimeque annos XLV. administrata, Elisabetha Regina Victrix, Triumphatrix, Pietatis studiosissima, felicissima, placida morte septuagenaria soluta, mortales reliquias, dum Christo jubente resurgant immortales, in hac Ecclesia celeberrima ab ipsa conservata & denuo fundata deposuit. Obiit XXIV. Martii Anno salutis M DC II. Regni XLV. Ætatis LXX.

Scutum, quo *Owenus Tudor* usus esse à *Sandfordio* memoratur, *rubebat*, deferens *cantherium tribus galeis* stipatum. Filii ejus *Edmundus* & *Caspar* relictis gentilitiis insignibus *regia* sumsere, sed distincta *margine cæruleo, liliis Francicis & merulis octo*, qualibus Reges *Eduardus Confessor* & *Ri-*

(a) *Thuan. Hist. Lib. 86.* (b) *Camden. Annal. Elis. ad a. 1559.* (c) *Vid. idem autor ad a. 1581.* (d) *Camden. sub fin. Annal. Elisab.* (e) *Sandford. L. VI. c. 5.*

& *Richardus* II. usi fuere, sparso. *Reges* ex eadem domo orti scutum, quod antecessores eorum gesserant, retinuerunt, sed diversa animalia *telamonum* loco adhibuerunt: namque R. Henricus VII. à latere dextro *Draconem rubeum*, quo *Cadvvaladrus* postremus Britonum Rex, ad quem genus referebat, usus est, à sinistro *vertagum* collocavit, respectu domus *Nevil*, à qua uxor ejus *Elisabatha Eboracensis* maternum trahebat sanguinem. *Henricus* VIII. *draconi* lævas, dextras autem *leoni* tribuit, cui *Eduardus diadema* imposuit. Iisdem Regina *Elisabetha* usa est, *Maria* autem *leone* coronato à sinistris, à dextris verò *aquila*.

CAPUT VIII.

DE FAMILIA STUARTORUM ET REGIBUS SCOTIÆ EX EA ORIUNDIS.



Tudoriæ familiæ in regnum Angliæ STUARTINA successit; ea rerum in Scotia per trium prope seculorum decursum potita, Britannicam insulam sublatis noxiosissimis gentium diversæ indolis æmulationibus sub unius sceptri felicitatem coegit: de cujus stirpis origine priusquam verba faciamus, haud absurdum videtur propositi operis regulæ pauca è veteri *Scotorum* historia delibare. Scoti postquam relictis priscis in Hibernia sedibus in *Albionem* transiissent, atque inter Pictos, qui partem ejus incolebant, amicè consedissent, ortis autem inter utramque nationem suspicionibus ac inimicitiis ab istis in loca montana secessissent, *Fergusium*, Ferquhardi in Hibernia tunc imperantis filium, *Regem primum* accepisse traduntur, trecentesimo & tricesimo ferè anno ante natum Christum; ab illo usque ad R. *Jacobum* I. *centum & octo Reges* numerare solent, seq; *viginti* jam *seculis* sui imperii formam in unius familiæ hæreditatem servasse affirmant, quod *Barclajus* (*a*) supra fidem & ætatem regnorum cæterorum esse haud immerito existimavit. Sub *Donaldo*, qui septimus & vicesimus à Fergusio ineunte seculo à nato Salvatore tertio regnavit, fidem Christianam suscepisse memorantur, qua tempestate Romanis in Britannia dominantibus acerrima cum Pictis bella gessere; quibus denique Romani immixti & cum Pictis sociati, Scotos Albione exturbatos in Hebridibus, Orcadibus, Dania & Norvegia asyla quærere coegerunt, quæ fuga in a. Christi circiter CCC LXXIX. incidisse infertur. Sed Picti, postquam durum Romanorum jugum suo sibi jumento se accersivisse sensissent, desiderio veterum sociorum pariter & libertatis tacti, post aliquot lustra internuncios ad Scotos exules miserunt, qui veniam factorum ab eis peterent, *Fergusiumque*, regia inter illos origine præminentem, ad recuperandum atq; adversus usurpatores Romanos vindicandum avitum regnum excitarent: neque ille sibi defuit, sed fausto omine è nomine suo, quod cum primo Scotorum Rege commune habebat, capto, cum popularibus Danorumque subsidiariis copiis alacri in Albionem trajecit animo, & restaurato prisco cum Pictis fœdere Romanos plus simplici vice victos tota denique regione post seculi V. initia ejecit, resque Scotorum egregie restituit. Interjecto centum & quod excurrit annorum spatio recruduere capitalia inter utramque gentem odia ac bella, ancipiti diu Marte & multo mutuoque sanguine, sed eo tandem eventu gesta, ut aliis atque aliis Scotis ex Hibernia influentibus obtriti Picti & pæne extirpati, in illorum nomen & nationem concederent: id quod circa a. 839. virtute ac felicitate R. *Kennethi* confectum est. Fuit is Rex Rex Scotorum LXIX. filius R. *Alpini*, nepos R. *Achaji*, à quo a. 787. primum inter Francos & Scotos, occasione piraticarum excursionum, quibus Saxones utramque infestabant gentem, initam esse amicitiam, in perpetuum processu temporum fœdus redactam literis proditum est. *Kennetho* duo tribuuntur filii, *Constantinus* II. ac *Ethus*, qui æque ac ipsorum posteri regnum Scotiæ inter crebra cum Danis Anglisque bella promiscue tenuerunt, donec mascula eorum progenie mutuis cædibus exstincta *Duncanus*, R. *Malcolmi* II. qui *Constantini* II. abnepos erat, è filia *Beatrice* nepos, in Regem electus fuit. Is à consobrino suo *Machabæo* ex altera *Malcolmi* II. gnata, *Doada* dicta, orto, regno & vita exutus, ultorem nactus est filium *Malcolmum*, qui illo Anglorum ope victo atque è medio sublato, a. 1087. regium diadema suscepit. Hic Buchanano *Milcolumbus* hujus nominis *Tertius* dictus, atque à capitis magnitudine *Canmoir* cognominatus, extollendis bene de se meritis axiomata Ducum, Comitum, Baronum, in Scotia introduxisse, atque ad preces uxoris, quæ *Margarita* Angla fuit, in sanctarum cœtum relata, legem Eugenii, qua prima novæ nuptæ nox proceribus per gradus quosdam debebatur, abrogasse & sponsis facultatem redimendi illam dimidiata argenti marca dedisse memoratur. (*b*) Regno præfuit annis XXXVI. *nullo prorsus vitio*, Buchanano (*c*) prædicante, *notabilis, multis autem & magnis virtutibus ad posteros insignis*. Bello extrema ætate à Wilhelmo Ruffo R. Angliæ petitus per insidias

H 2 occu-

(*a*) *Icon. Anim. cap.4.* (*b*) *Buchan. Rer. Scot. L.7.* (*c*) *Ead. loco.*

occubuit, pater ſex filiorum; è quibus *Eduardus* in obſidione Annevici è vulnere paulo poſt parentis cædem obiit, *Edmundus* & *Ethelredus* exules in Angliam à *Donaldo* patruo, qui regnum rapuit, pulſi interierunt. Tres reliqui, *Edgarus, Alexander* & *David* poſt *Duncanum* fratrem ſuum *nothum*, eundemque *Doraldi* expulſorem, regnum ſucceſſive tenuerunt. Duarum filiarum *Malcolmi* natu major *Mathildis* Henrico I. R. Angl. minor *Maria* Euſtachio Bononiæ maritimæ regulo nupſit. *David* ſolus inter fratres genus ſuum propagavit per filium *Henricum*, quem quidem turbato mortalitatis ordine ante ſe a. 1152. defunctum extulit, aliquot liberorum utriusque ſexus parentem. Inter mares *Malcolmus* ſeu *Milocumbus* hujus nominis IV. (cui continentia, quam tota vita ſervaſſe fertur, cognomen *Virginis* peperit) & *Wilhelmus* avo ſibique invicem in regnum ſucceſſerunt, tertius *David*, *Comes Huntindoniæ* dictus fuit. Wilhelmum tertium & nonageſimum Scotorum Regem excepit filius *Alexander* II. hunc *Alexander* III. octavo ætatis anno nondum exacto, quem, cum impubes eſſet, proceres factionibus, poſteaque Norvegi invaſionibus vexarunt; hos autem tum ſuapte tum *Alexandri Stuarti* virtute vicit ac profligavit. Uxorem primam *Margaritam Anglam*, liberosque ex ea ſuſceptos intra breve temporis ſpatium prope continuatis funeribus amiſit, cumque ad ſecunda cum *Jolantha* Druidum Comitis filia vota tranſiiſſet, intra annum vertentem ab equo lapſo excuſſus, fracta cervice interiit, non procul à Kingorno anno ſalutis M CC XCV. 14. Cal. April. magno ob corporis ac animi virtutes & calamitates ſubſecutas deſiderio ſui relicto.

Enimverò tota *Alexandri* ſtirpe, præter unam ex filia Norvegiæ Regina neptem, exſtincta, Rex Angliæ Eduardus I. regno Scotico inhians legatos, ad illam depoſcendam filio ſuo uxorem, ad Scotos miſit, per quos equidem non ſtetit, quo minus voti damnaretur; ſed repugnarunt fata, quorum malignitate *Margarita* (id enim nomen erat puellæ) ea ipſa tempeſtate abrepta fuit. Ex ejus immatura morte acris de regno orta eſt contentio, inter *Johannem Balliolum* & *Robertum Bruſſium*, quorum ille in Gallia, hic in Anglia, uterque in Scotia magnas poſſeſſiones, multas propinquitates habebant, & regiæ ſtirpis cognatione eminebant, à *Davide Huntindoniæ Comite* repetita, quemadmodum è diatypoſi ſubjecta uno conſpectu patebit.

Tab. X. David Rex Scotiæ, Milocumbi III. R. filius natu minimus † 1152. *Mathildis, Voldioſi C. Northumbr. & Huntindon. f.*

Henricus ante patrem mortuus: *Ada Wilhelmi Com. Warrenenſis ſoror.*

Milocumbus IV. R. Scot. cogn. *Virgo* † 1165. | Wilhelmus R. Scot. † 1214. *Ermergarda C. Bellimont. f.* | David Com. Huntindoniæ. *Mathildis Ranulphi C. Ceſtriæ ſor. & hær.* | Ada nupta *Florentio C. Hollandiæ.* | Margarita *ux. Conanis Com. Brit.* | Mathildis † juv.

Alexander II. R. Scot. † 1249. 1. *Johanna Joh. R. Angl. f.* 2. *Maria Ingelrami Com. Govver f.* | Johannes C. Ceſtr. † improlis. | Margarita nup. *Alano Gallovidiano.* | Iſabella uxor *Roberti Bruſſii cogn Nobilis.* | Ada nup. *Henrico Haſtingo.*

Alexander III. Scot. † 1285. 1. *Margarita, Henrici III. Rex Angl. fil.* 2. *Joleta Comitis Druidum f.* | Dornagilla, quam duxit JOHANNES BALLIOLUS. | ROBERTUS BRUSSIUS *Martha Caricta Comitiſſa.*

1. Margarita nup. *Hangonano R. Norvegiæ.* | 1. Alexander. 1. David obiere ante patrem. | Johannes Balliolus Rex Scotiæ. | Robertus Bruſſius R. Scotiæ † 1329. 1. N. *ſoror C. Marrenſis* 2. N. *ſoror Com. Hulleſtenſis.*

Margarita in flore ætatis mortua. | Eduardus Balliolus, regni aliquandiu uſurpator. | 1. Marioria Uxor *Waltheri Stuarti,* | 2. David II. R. Scot. † ān. 7. Mai 1377. 1. *Johanna Eduardi II. R. Angl. f.* 2. *Margarita Joh. Logy Eq. f.*

ROBERTUS STUARTUS REX SCOT.

Balliolo ac Bruſſio, regnum, ceu dictum eſt, affectantibus illoque primogenituræ, hoc proximioris cognationis prærogativam exaggerantibus, cum ob partium potentiam in factiones proceres Scotiæ diſceſſiſſent, conſenſum denique inter eos eſt, ut Eduardo Angliæ Rege judice res decideretur. Is hoc arbitrio ad ſuum compendium abuti certus, cum Berwicum veniſſet per homines idoneos leniter Scotorum animos pertentare cœpit, num ſponte in ditionem

nem ejus vellent concedere, acceptaque repulsa *Brussium* aggressus est, regnum ei pollicitus, si se in Regum Anglorum clientela, eorumque ditioni subditum profiteri vellet, cumque is etiam conditionem ingenue respuisset, ad *Balliolum* se convertit, qui in verba ejus sine hæsitatione juravit, proindeque *Rex* declaratus est post sex annos & novem menses à morte Alexandri. Cum verò *Balliolus* facti mox pœnitens obsequium Eduardo detrectasset, oppressus ab eo & captus Londinumque missus fuit, ubi omni jure, quod ipsi in Scotiam competebat, in Anglum translato libertatem recepit, atque ad suos rediit; sed quod cunctis invisum ac detestabilem se esse animadverteret, brevi se subduxit, ac in Normanniam trajecit, filio *Eduardo* inanem Regis titulum, obsequiique Anglo præstandi gloriam relinquens. Hac opportunitate usus *Robertus Brussius*, *Roberti*, de quo antea dictum est, & *Marthæ Caricta Comitis filius*, de regno in se transferendo, & patria in libertatem vindicanda consilia cepit, eaque cum Joh. Cuminio, Ballioli consobrino, data sibi invicem fide contulit, quæ licet iste Eduardo prodiderit, successu tamen non caruerunt: namque Cuminii perfidiam ipsiusmet sanguine ultus, nullo procerum refragante *Rex* Scotiæ coronatus est, mense Aprili a. MCCCVI. Post superata mira virtute durissima regni sui initia & victos internos externosque hostes Scotiæ tranquillitatem reddidit, & confecta ætate egregia fama decessit, relicto hærede *Davide* filio, octavum ætatis annum agente, cui ROBERTUM STUARTUM ex filia nepotem substituit. *Davidi* hujus nominis *secundo* ob ætatem moli regiminis imparem *Prorex* additus est *Thomas Randolfius Moraviæ Comes*, vir spectatæ inter proceres virtutis, quo superstite res Scoticæ floruere, è vivis sublato & quidem scelere monachi Angli, pæne collapsæ sunt: namque *Eduardus Balliolus*, Johannis F. instinctu Regis Angliæ Scotiam armata invasit manu, partaq; adversus Donaldum C. Marriæ regni procuratorem victoria, quæ in d. 3. Aug. a. MCCCXXXII. incidit, *Sconam* profectus regium diadema sibi imponi terrore & metu extorsit, & licet anno sequenti victus vicissim ac profligatus fuerit, novis Anglorum auxiliis instructus Scotiam iterum invasit, Regemque *Davidem* cum *Johanna* uxore sua fugam in Galliam capessere coegit: hoc verò post nonum annum ope Gallorum in regnum restituto, talionem recepit, atque una cum Anglis Scotia ejectus est. *David* autem cum deinde Gallorum gratia bellum adversus Anglos redintegrasset, eorumque terras invasisset, prælio die 17. Oct. MCCCXLVIII. victus captusq; est, & post undecimum demum annum pacta immani argenti summa libertati redditus. Vita denique ætatis anno XLVII. sine prole defuncto successit ROBERTUS STUARTUS ab avo pariter & avunculo pridem Rex designatus, cujus inclyta progenies non Scotiæ tantum, sed etiam Angliæ vicinarumque insularum imperium quoniam ad nostram usque tenuit ætatem, originem ejus altius repetere juvat.

Familia *Stuartorum* (verba *Joh. Leslei* refero) à BANQUHONE *regionis Loquhabriæ* Thano, *id est, (ut Latini loquuntur) præside, viro multis nominibus id temporis ornatissimo, (qui nonnullis filius* Ferquharti Loquhabriæ Principis *&* Regis Kenneti III. *nepos audit) originem duxit. Ejus ætate Machabæus regnum vi occupaverat; is cum ex vaticinio quarundam mulierum seu potius Dæmonum, qui mulierum personas ementiti, seditionis, odii, cædis causas certissimas ferebant, intellexisset futurum, ut extincta sua sobole ex* Banquhonis *sanguine efflorescerent, qui longa serie regnarent,* Banquhonem *&* *filium* FLEANCHUM *ad epulas invitatos ita opprimendos statuit, ut nulla hujus fraudis macula in ipso hæsisse videretur: quare quosdam in insidiis locat, qui* Banquhoni *&* Fleancho *ab epulis discedentibus necem occulte machinentur; hi ergò sicarii, quibus hoc negotium mandatum est, illos transeuntes aggrediuntur, verum* Banquhone *patre interfecto,* Fleanchus *noctis, quæ opprimebat, opportunitatem secutus fuga elabitur, ac in Walliam secessione facta in familiam & clientelam illius, qui eam provinciam id temporis imperio continebat, se tradit. Hic ex hujus filia longe pulcherrima* WALTERUM *suscepit, qui ad maxima quæque pro ea, quam habuit à parentibus inditam, naturæ indole, aspirans, in Scotiam Regi militaturus proficiscitur: ubi devictis Hebridianis, & aliis, qui regiam dignitatem in insulis perfide convellebant, sub jugum missis, ad Regem tantæ victoriæ dux & auctor reversus, aulæ regiorumque proventuum præfectus (hunc Scoti vulgò* STUART *appellant) declaratur. Postea illius prudentia, virtus, consilium in rebus regni administrandis ita enituit, ut fundus de Stragis, Coyle, & Stuartorum quam lautissimis donatus, in primæ nobilitatis album ascriberetur, & à munere præclare gesto sibi totique familiæ* STUARTORUM *cognomentum mereretur. Hic genuit* ALANUM *filium, qui cum rei bellicæ studio incenderetur, Lotharingiæ Duci (Godofredo Bullionæo) & Roberto filio Anglorum Regis notho, qui ad terram sanctam Christianorum imperio subjiciendam animos adjecerant, se socium aggregans, maximam tulit & generosi animi & summæ virtutis laudē.* Alanus ALEXANDRUM, Alexander *edidit* WALTERUM II. *quorum uterque benefactis clarus, hic quod Pasleto magnifico monasterio extructo, Ecclesiæ fines protulerit, ille quod pugna ad Largis contra Danos commissa, patriæ terminos defenderit, suæ familiæ maximum decus pepererunt.* Walterus *duos filios sustulit,* ALEXANDRUM *&* ROBERTUM; *illum eodem ad Largis prælio insignem, hunc familiarum maximarum, quæ tanquam rami ex feracissima arbore in multas Scotiæ partes latius diffusa postea fuerunt, auctorem. Nam cum* Robertus *propensionem*

(a) De reb. gest. Scot. Lib. VII.

SCHEMA FAMILIÆ

WALTERUS Fleanchi è *Maria Principis Walliæ gnata* F. Banquhonis N. appellatus familiæ suæ id nominis proprium ac perpetuum

Alanus Stuartus † circa a. 1141.

Alexander Stuartus

Waltherus Stuartus II. Dn. Donaldini

Alexander Stuartus ductor exercitus R. Alexandri III. † 1286.

Johannes Stuartus occ. a. 1302. ad Varum Sacellum. *N. filia ac hæres Domini de But.*	Jacobus Stuartus.

Waltherus III. Stuartus † 1326. *Mariora Roberti Brusii R. Scot. f.*	Jacobus Stuartus,	Johannes Stuartus,	Alanus Stuartus occubuere in prælio ad Halidonem 1333.

ROBERTUS Stuartus REX SCOT. hujus nominis II. inaug. 1370. † 19. Apr. 1390. 1. *Euphemia, Hugonis C. Rossæ f. † 1373.* 2. *Elisabetha Adami Mori Eq. f.*

1. David Stuartus C. Ernevalis, sive Stratherniæ.	Walterus Stuartus C. Atholiæ occ. ob cædem R. Jacobi I. a. 1437.	Euphemia nup. *Jacobo C. Duglassio.*	2. Johannes Stuartus C. Carictæ post R. SCOT. dictus ROBERTUS III. † 1. Apr. 1406. *Annabella, Bar. de Dromond. f.* † 1400.		Euphemia nup. *Joh. Leoni.*

N. nup. *Patricio Gramo f.* Grahamo, à quo Grahami Com. de Strathern & Menteth. ♂	N. Stuartus	David Stuartus D. Rotesajæ n. 1378. † 1402. *Maria Arcibaldi C. Duglass. f.*	JACOBUS I. REX SCOT. occ. 20. Febr. 1437. *Johanna Beaufort, Johannis C. Somerset. f. m. Febr. 1423.*	N. nupta *Alexandro Leslæo Com. Rossiæ.*	Mordacus St. D. Alban. *decol.* 1427 *Isab. Dunachii C. Lev. f.* ☾

Robertus Stuartus *cruci affixus* 1437	Alexander gemellus n. 14. Oct. 1430. † infans.	JACOBUS II. R. SCOT. gemellus n. 14. Oct. 1430 occ. 3. Aug. 1460. *Maria Egmond. Arnoldi D. Geldr. f. 1448. † 16. Nov. 1463.*	Margarita nup. *Ludovico XI. R. Gall. 1436. † 1445.*	Eleonora Ux. *Sigism. Arch. Austr. 1468. † 20. Nov. 1480.*	Isabella n. *Francisco I. D. Britan. 1441.*

JACOBUS III. R. SCOT. n. 1452. occisus 11. Jun. 1488. *Margarita Christiani I. Reg. Dan. f. 10. Jul. 1470. † 1484.*	Maria nupta 1. *Thomæ Bodio, C. Araniæ*, 2. *Jacobo Hamiltonio.*	Alexander D. Albaniæ † 1485. 1. N. *Wilhelmi Sinclarii C. Orcadum f.* 2. *Anna de la Tour Bernardi II. Com. Arver. & Bonon. f. 1479.*	Johannes C. Marriæ occ m. Decembr. *1480.*

JACOBUS IV. R. SCOT. n. 16. Mart. 1272. † 10. Sept. 1513. *Margar. Tudor Henr. VII. R. Angl. f. 1503.*	Alexander Dux Rothesaiæ.	Johannes C. Marriæ.	1. Alexander Stuartus *Episcopus* Moraviæ, *Abbas* Seonæ.	N. nupta N. *Hamiltonio.*

Jacobus n. 21. Febr. 1507. † 7. Febr 1508.	Anonyma n. & † 15. Jul. 1508	Arturus n. 20. Octob. 1509. † 14. Jul. *1510*	JACOBUS V. REX SCOT. n. 15. Apr. 1512. † 13. Dec. 1542. 1. *Magdalena Francisci I. R. Gall. f. 1. Jan. 1537. † 7. Jul. e. a.* 2. *Maria Lothar. Claudii D. Guisii f. Ludov. II. D. Longavill. vid. 1538. † 10. Jun. 1560.*	Anonyma n. & † 1513	Alexander *Posthumus* D. Rothesaiæ n. 30. Apr. 1514. † 16. Dec. e. a.

2. Jacobus n. & † 1539.	Arturus n. & † 1540.	MARIA R. SCOT. n. 8. Dec. 1542. nup. 1. *Francisco Delphino post Regi Fr. 18. Apr. 1559.* 2. *Henrico Stuarto Darlæo 29. Jul. 1564.* 3. *Jacobo Heburno Com. Bothvelia 1567. decollata* 18. Febr. 1587.	Jacobus *nothus* C. Morav. Prorex occ. 13. Jan. 1571. *Agnes Ketha f. C. Martialis.*	Johannes *nothus.*

Filia unica *nupta* Jacobo Stuarto de Doun C. Moraviæ, occiso a. 1591.

Jacobus Stuartus C. Moraviæ.

STUARTINÆ.

à præfectura aulæ Regiæ STUARTUS vocabulo Scotico fecit † circa a. 1116.

Margarita de Galloway.

circa a. 1199.

† 1258. *Alda de Dombar.*

Robertus Stuartus. N. *Roberti Crux à Crouxtoun f.*

Johannes Stuartus Dn. Darlæi occ. a. 1313. *Isabella Randolpha, Thomæ C. Morav. f.*

Robertus Stuartus Dn. Darlæi † a. 1369. *Margarita Duglassia.*

Alexander Stuartus, cui uxor erat Margarita Stuarta Dna Darlæi.

☞ ☜

Elisab. ux. *Joh. Dumbari C. Morav.*

Robertus Stuartus Jun. C. Fifæ, D. Alban. † 3. Sept. 1420. N. *fil. Com. Levinia.*

Ægydia nup. *Wilhelmo Duglassio.*

Alexander Stuartus C. Buchaniæ † 1396 *Isabella Duncani C. Lenox. f.*

Johan. Stuartus C. Darlæi & Eburavii, Dn. d'Aubigny & de Concressant. occ. in pr. 1429. *Elisabetha Lindsay.*

Joh. Stuartus C. Buch. Comest. Fr. occ. in pr. Vern. 17. Aug. 1424. *Maria Dugl. Arch. C. Victon. f.* ⊙

Robert. Stuartus occ. in pr. Vernol. in Gall. 17. Aug. 1424.

Duncanus sive Dunach. Stuartus † 1447.

Alexander St. nothus C. Marriæ.

Isabella n. *Mordaco Stuarto D. Alban.*

N. ux. *Alani Stuarti Dn. de Darnley.*

Alanus St. Dn. de Darnlay occ. 29. Oct. 1438. N. *Stuarta Duncan C. Lenox f.* ✱

Alexander St.

Johan. Stuartus DN. d'AUBIGNI *Vid. T. XIV. a.*

Elisabetha ux. Joh. *C. Veræ in Zelandia.*

N. nup. *Alexandro Gordonio Com. Huntlæi.*

N. Uxor *C. Mortonii.*

Waltherus Stuartus *decollati* a. 1427.

Alexander Stuartus cum patre.

Jacobus Stuar. † exul in Hib.

N. nup. *Wilhelmo Sautrun.*

Joh. Stuartus C. de Lenox Dn. de Darl. † 1487 *Isabella de Montgomery.*

N. Ux. *Wilhel. Crichtonii.*

Andreas Stuartus Dn. Avendaliæ, Scotiæ Cancellarius.

Alex. Stuartus.

Arturus Stuartus.

Matth. Stuartus C. de Lenox † 1513. *Margarita Hamiltonia Jacobi C. Araniæ f.*

Robertus Stuartus C. de Beaum. de Roger Maresc. Fr. 1515. † a. 1543. *Anna Stuarta Beraldi Dn. d'Aubigny f.*

2. Johannes Dux Albaniæ C. Marciæ Prorex Scotiæ † in Gall. 1536. *Anna de la Tour, Joh. C. Arv. & Bon. f.* 1305. † 1524 ⊙

Henricus Stuartus Dn. Meffeni *Margarita Tudor Jacobi IV. R. Scot. vidua ab Archibaldo Duglassio separata* † 1539.

Johan. Stuartus C. Leviniæ f. de Lenox occ. in pugna contra Duglassios & Hamiltonios 1527. m. Sept. *Elisabetha Stuarta filia Com. Atholiæ.*

Alexander *nothus Archiep.* Fani Andreæ occ. cum patre 10. Sept. 1513.

Jacobus *nothus* C. Moraviæ † circa a. 1544.

Leonora *notha* Ux. *Johannis del Hospital C. de Choisy.*

Matthæus Stuartus C. Lenoxiæ occ. 1572. *Margarita Duglass. Archibaldi C. Angus. f. & hær.* † *10. Mart. 1578.*

Robertus Stuartus *Episc.* Cathanesiæ post C. Marchiæ. *Elisabetha Stuarta Atholiæ C. f.*

Johan. St. DN. d'AUBIGNY. *Vid. Tab. XIV. B.*

Robertus *nothus* C. Orcadii.

N. *notha* ux. Calen. Cambelli C. Argatheliæ.

Henricus Stuartus † 27. Nov. 1545.

HENRICUS B. Darlæi Dux Rochesaiæ, post R. SCOT. occ. 10. Febr. 1567. *Maria Reg. Scot. Francisci II. R. Fr. vid. 29. Jul. 1564.*

Carolus C. Lenoxiæ † 1576. æt. 21. *Elisabetha Wilhelmi Cavendisch f. 1574.*

Patricius C. Orcadum

JACOBUS REX M. BRITANNIÆ *Vid. Tab. XII.*

Arbella nup. *Wilhelmo Seymour C. Hertfordiæ* † 27. Sept. 1615.

ac indolem quandam ad virtutis honorisque studia maximam præ se tulisset, à patre fundis Turbontonis donatus, filiam hæredem Roberti Crux à Cruxtoun uxorem asciscens, Equites, Baronesque de Darle ac Comites Lenoxios genuit. Alexander *hujus frater natu major forti ac strenua opera R. Alexandro III. adversus Norvegos navata illustratus*, JOHANNEM, JACOBUM *aliosque filios habuit. Ex iis Alexandri posterioribus filiis Comites Atholiæ, Domini Invermethi, Messeni, aliique complures Barones variæque in variis Scotiæ partibus Stuartorum familiæ proseminatæ, Scotiam numerosa summæ felicitatis sobole feliciter auxerunt.* Johanni *autem filia ac hæres D. Butæ peperit* WALTERUM Stuartum III. *qui Mariori Roberti Brussii Regis filiæ hæredi matrimonii vinculo copulatus* ROBERTUM *primum ex Stuartorum familia & cognomine Regem Scotiæ edidit.*

Agebat ROBERTUS STUARTUS ætatis annum septimum supra quinquagesimum, cum regni Scotiæ habenas susciperet, neque inter proceres reperit, qui ei adversaretur, nisi solum Wilhelmum Comitem Duglassii, is jure hæreditario regnum sibi decerni petebat, ut qui à Balliolo & Cuminiis esset oriundus, sed cum deprehendisset, suam petitionem esse omnibus ingratam, obsequium Regi Roberto professus est, qui, ut eum arctiore amicitiæ vinculo complecteretur, filiam suam Duglassii filio Jacobo despondit. Utriusque horum multa & magna in bellis adversus Anglos gestis extitere merita, quæ denique Jacobus sanguine suo in memorabili ad Otterburnum pugna, quæ in XII. Cal. Aug. a. MCCCLXXXVIII. incidit, una cum vita profuso obsignavit. Rex ipse bellis raro interfuisse memoratur, quod alii ætati, alii ignaviæ tribuebant, virum cætera fuisse optimum pacisque artibus cuilibet bonorum Regum facile comparandum *Buchananus* (a) testatur. Uxorem habuit *Euphemiam* Comitis Rossensis Hugonis filiam, quæ cum illo multos annos suavissime transigens DAVIDEM & WALTERUM & filiam *Euphemiam* illi peperit; illorum priorem comitatu *Ernevallis* sive *Stratherniæ*, alterum *Atholiæ* Comitatu donavit. Verum auctior illi proles ex filia Adami Mori *Elisabetha* fuit, quam nulla matrimonii lege sibi vinctam, diu ante Euphemiam *Leslæo* (b) referente habuit in deliciis, quamque Gifardo viro nobili in Lothiana curavit collocandam. Hæc enim illi tres filios & duas gnatas edidit, quarum altera clandestinum cum *Johanne Dumbarro* Georgii Comitis Marchensis fratre inivit matrimonium, quo nomine iste Comitatu Moraviæ postea à Rege donatus fuit: his *Buchananus* accenset *Ægydiam*, Wilhelmo Duglassio, Archibaldi Gallovidiani reguli notho, ob insignes ejus virtutes elocatam. Defunctis autem sub idem tempus Euphemia regina, nec non Giffardo, *Elisabethæ* marito, Rex sive veteri motus consuetudine, sive ut filios ex Mora susceptos legitimos redderet, matrimonio eam sibi junxit, hosque divitiis & honoribus amplificavit. Namque JOHANNI natu maximo, hæredi suo trium ordinum assensu constituto, *Carictæ* Comitatum, aliaque summi honoris munera abunde contulit. ROBERTUM *Fifensi* & *Mentethio* Comitatibus ornavit. ALEXANDRUM autem natu minimum *Buchaniæ* Comitatu ac dominio *Baidzenochtæ* donavit. Hos tres cæteris natu majores, tametsi extra matrimonium susceptos, ad Regiam dignitatem, rejectis Euphemiæ uxoris filiis, evehendos publico trium regni ordinum edicto sanxerat; quod illorum matre post Euphemiæ mortem in uxorem accepta, illos ita demum legitimo partu fuisse editos diceret, quæ res magni inter liberos odii fomitem subministravit, parricidiisque ansam postea præbuit.

JOHANNES postquam patri in regnum Id. Aug, a. MCCCXC. successisset, de Ordinum sententia, mutato nomine, ROBERTUS est appellatus, quod utrum propter duorum Regum, alterius Franci, alterius Scoti, quibus nomen illud fuerat, calamitatem, an ob duorum Robertorum, qui nuper in Scotia regnum tenuerant, in pace & bello virtutem & felicitatem factum sit, *Buchananus* (c) tanquam non satis compertum in incerto reliquit. Ex lapsu cum equo claudus & membris omnibus debilis, ingenioque parum valens, ita ut, dicente modo citato autore, *vitiis magis careret, quam virtutibus esset illustris*, regio nomine contentus, rerum gubernacula fratri ROBERTO, cui ea à patre jam tum concessa fuerant, reliquit, superaddito ei quinto regni sui anno titulo *Ducis Albaniæ*, cum eodem tempore filium natu maximum DAVIDEM, octodecim annos natum *Ducem Rothesajæ* creasset, qui duo primi fuerunt in Scotia his titulis illustrati. Induciis cum Anglis initio regni sui pactis, latrociniis & rapinis suorum, DUNCANO *Stuarto, Alexandri C. Buchaniæ* filio autore, afflictatus est, quibus aliisque intestinis turbis utcunque compressis novas sua sibi accersivit levitate; cum enim *Davidem* gnatum suum *Elisabethæ* Georgii Dumbarii Marciæ Comitis filiæ despondisset, mox autem fratris sui gubernatoris svasu eundem cum *Maria*, Arcibaldi Duglassiæ Comitis gnata, nuptiis junxisset, prætereaque dotem à Dumbario in antecessum datam reddere detrectasset, exacerbatus iste duplici injuria in Angliam secessit, & Percios Duglassiorum hostes in vindictæ societatem ascivit, quorum invasionibus & deprædationibus tam lente gubernator occurrit, ut facile appareret, aliquid eum monstri alere, atque è publicis calamitatibus privata quærere incrementa; nudavitq; prorsus

(a) Lib. 9. (b) Lib. 7. (c) Lib. 10.

ſus quam ſub pectore fovebat ambitionem, & fraternæ ſtirpis delendæ libidinem, cum DAVIDEM, regni hæredem, à patre ad cohibendam atque emendandam ejus impudentiam ac laſciviam ipſi traditum, arci ſuæ Falcolandiæ includeret, & fame enecaret. Rex dira ejus morte percepta, ſaluti *Jacobi* alterius filii conſulturus, conſilium de eo in Galliam ad R. Carolum VI. mittendo cepit, nusquam tutius neque honeſtius eum educari poſſe ratus. Parata igitur nave & adhibito rectore Henrico Sinclaro Comite Orcadum, dum litus legit, & ad Flamburgum promontorium ſive tempeſtate ſive nauſea marina adactus, deſcendit, ab Anglis retentus, & Londinum miſſus, ibidemque tanquam jure captivus in cuſtodiam datus fuit. Calamitate Jacobi ad patrem cœnantem perlata, tanta is doloris vi fuit oppreſſus, ut tertio poſt die inedia & mœrore *Rotheſajæ*, quod oppidum in *Bota* inſula eſt, extingueretur.

Roberto III. Rege mortuo JACOBUS ejus filius, qui in Anglia captivus detinebatur, Rex Scotiæ proclamatus & regni adminiſtratio *Roberto* ejus patruo per omnes Ordines confirmata eſt: multa enim in eo tanto magiſtratu digna fuiſſe, ſi imperandi cupidinem demas, *Buchananus* refert, videlicet fortitudinem, prudentiam, æquitatem & liberalitatem. Eo ad gubernacula ſedente cruentum illud in Gariotba ad vicum Harlæum prælium a. 1411. inter Donaldum Inſularum Æbudarum Dominum, Roſſiæ Comitatum affectantem, & *Alexandrum Stuartum* Marriæ Comitem ex Alexandro illius fratre natum, ancipiti eventu commiſſum eſt, quo tot homines genere factisque claros deſideratos fuiſſe, quot vix ullus adverſus exteros conflictus abſumpſerit, idem autor tradit. Ipſius etiam auſpicio Regi Galliæ Carolo VI. ab Anglis & Burgundis ſummas in anguſtias redacto, copiæ auxiliares decretæ ſunt, ſeptem nempe virorum millia, quibus præfectus eſt JOHANNES *Stuartus*, Buchaniæ Comes, Gubernatoris filius natu minor. Hunc ob victoriam ab Anglis apud Baugiacum d. 22. Mart. 1421. reportatam, aliaque de regno Galliæ merita R. Carolus VII. ſuprema *Comeſtabilis* dignitate d. 24. April. a. 1424. decoravit, qua tamen haud diu gaviſus eſt, quarto abhinc menſe in pugna Vernolienſi una cum fratre ſuo ROBERTO aliisque claris inter ſuos viris ab Anglis cæſus. Hæc dum geruntur parenti ejus fato ſuo ſtatim poſt miſſas in Galliam copias functo, in regni adminiſtratione ſurrogatus eſt MORDACUS filius ingenio ſegnis, ac non modo ad rem publicam, ſed ne ad domeſticam quidem regendam ſatis idoneus, quemadmodum *Buchananus* Lib. X. ait. Hunc filiorum protervitas atque inſolentia eo redegit, ut mallet habere, cui ambo obtemperare cogerentur, quam autoritatem ſuam ab illis proſtitui; quare de JACOBO patrueli reſtituendo conſilia cum Ordinibus contulit, miſſisque in Angliam legatis libertatem ejus facilius, ac ſpes erat, impetravit. Adduxit ſecum *Jacobus* uxorem *Johannam Somerſetenſem* ab Anglis ſibi collocatam, ut de lytro certiores eſſent, namque pro dimidio dotem ejus, pro altero obſides è nobiliorum filiis retinuerunt. Reverſus is in Scotiam decimo octavo quam captus fuit anno, qui ſeculi XV. tertius & vigeſimus fuit, ad undecimum Calendas Maji una cum regina fauſtis acclamationibus coronatus eſt. Habito poſtea conventu MORDACUM Ducem Albaniæ, filiosque ejus WALTERUM & ALEXANDRUM & ſocerum *Dunachum* Comitem Leviniæ cuſtodiæ mandavit, atque à judicio patrio more conſtituto perduellionis damnatos, capitali affecit ſupplicio, dum interea JACOBUS filiorum Mordaci minimus audita clade familiæ tumultuaria manu collecta, igne ferroq; in oppida hominesq; ſæviret, expleto autem animo in Hiberniam transgreſſus, ibidemque paulò poſt mortuus eſt. Fugit etiam eandem in inſulam *Walteri* uxor cum duobus filiis ANDREA, ALEXANDRO, & ARCTURO notho, qui Jacobo III. Rege domum reverſi, magnis honoribus ſunt perfuncti. Magna cæterum & egregia fama Jacobus regnum moderatus eſt, namque latronum, quibus ſcatebat Scotia, furores armis compeſcuit, utque populares mitioribus imbueret ingeniis, ſcholas literarum inſtituit, doctores præmiis allexit, atque è Flandria diverſarum artium mechanicarum magiſtros accerſivit; ipſemet enim dum in cuſtodia Anglicana ageret, literis ac honeſtis diſciplinis per idoneos viros eruditus fuerat. Cum deinde ab Anglis laceſſitus bellum adverſus eos magno capeſſiviſſet animo, & Rosburgum obſidione cinxiſſet, atrocis conjurationis in ſe familiamque ſuam initæ indicium à Regina accepit; autor ejus erat WALTHERUS Atholiæ Comes, Regis patruus: is fratres conſanguineos ſibi germanoque ſuo à parente in hæreditate regni antehabitos fuiſſe animo oppido iniquo ferens, odio invidiaque & cupiditate eos radicitus è medio tollendi flagrabat; impar autem ad vim apertam, callide diſcordias eorum fovebat, & periculis inſidiabatur, donec ipſius maxime conſilio ampliſſima familia ad paucos fuit reducta, namque poſt *Johannem* Buchaniæ Comitem ſine maſcula prole in Gallia extinctum, *Mordacum* una cum filiis in judicio, in quo *Atholius* inter judices conſedit, ſublatos & ALEXANDRUM Marriæ Comitem nothum & orbum domi morte defunctum ſupererat unus *Jacobus* cum unico filiolo, puero nondum ſextum annum ingreſſo; quibus interemptis non dubitabat Atholius quin ipſe, ſolus è ſtirpe regia reliquus, regnum eſſet adepturus; itaque alieno ſemper ſcelere deſtinata exequi conſue-

tus, ROBERTUM nepotem suum, nec non Robertum Gramum, Patricii, qui neptem ipsius è fratre Davide uxorem habuerat, fratrem, hominem manu promptum, & Regi antea infensum, ad necem ei inferendam incitavit: hi consilia sua emanasse postquam cognovissent, quanta potuere festinatione ad cœnobium Dominicanorum, quod juxta mœnia Perthi erat, ubi Regem cum paucis divertisse sciebant, se contulere, atque à quodam ejus ministro, conjurationis socio, intromissi in illum irruerunt, & regina nequicquam suo corpore maritum protegente, & sicas excipiente, viginti octo plagis confossum, aliquot recta in cor directis, trucidarunt. Evulgata cæde proceres ex omnibus regionibus sponte convenerunt, ac in omnes partes emiserunt, qui percussores comprehenderent, tanta adhibita diligentia, ut omnes conjurati intra quadragesimum diem pœnas luerint; *Waltherus* Atholiæ Comes facinoris autor & Robertus Gramus, qui id manu peregit, exquisitissimis cruciatibus & crudelissimo mortis genere affecti sunt, nepos autem illius *Robertus Stuartus*, ætatis suæ respectu, & quod comes tantum sceleris avo paruerat, in cruce suffocatus & membratim dissectus fuit. (*a*)

JACOBUS II. unicus Regis extincti filius, è geminis posterior, cui à macula nativa, qua faciei ejus dimidium, velut sanguine suffusum, rubebat, cognomentum *ignei vultus* fuit, ad sextum Calendas Aprilis a. 1437. in cœnobio sanctæ Crucis ad Edimburgum regnum init, vix dum septimum ingressus annum. Cum de Prorege eligendo ageretur non minore certatum est ambitione inter proceres, ac electo: nam & Alexander Levistonius ac Wilhelmus Crichtonius, quorum ille administrationi præfectus, hic Cancellarius creatus fuit, uter Regem in potestate sua haberet, acriter inter se contenderunt, & Arcibaldus Duglassiæ Comes, omnes ea ætate Scotos divitiis & potentia supergressus, eoque magis se præteritum indignatus novis studere rebus cœpit; brevi verò fato suo functus liberos ac propinquos reliquit, quibus turbas subinde movere magna merces visa est, sed sibimet plerumque exitiosas. Neque defuit è Stuartorum gente, cui præsens regni status magnæ esset dividiæ, nempe *Jacobus Stuartus*, Wilhelmi, qui in Lorna magnum habebat patrimonium, frater, vulgo *Eques niger* dictus: is cum defuncto Rege auctus esset nuptiis Reginæ *Johannæ* ac liberos jam ex ea suscepisset, ægre ferebat, se ad nullam munerum publicorum partem admitti eaque de causa ad Duglassi factionem propendebat, regina haud ignara: in carcerem verò cum illa & fratre suo ob datas suspicionum causas conjectus, ut libertatem reciperet, prædibus cavere necesse habuit, nihil se adversus proregem publicumque statum attentaturum. Idem postea cum Wilhelmo C. Duglassio, Arcibaldi è fratre nepote, qui Regis plebisque gratiam sibi conciliaverat, collisus, eo autore exilio mulctatus, atque in itinere à Flandris captus, paulo post obiit, relictis è regina haud diu sibi superstite, filiis tribus, videlicet *Johanne* Atholiæ, *Jacobo* Buchaniæ Comitibus, & *Andrea* Episcopo Moraviensi. Postquam puber & sui juris factus est Rex *Jacobus* II. cum Anglis Gallorum gratia belligeravit, eosque justa ad Sarcam amnem pugna a. 1450. vicit, recrudescentem Duglassiorum insolentiam & contumaciam contudit, suppliciisque resecuit, & seditionum inde ortarum cursum armis & victoria Brechinensi præcidit, ubi *Alexandri Setoni Gordoni*, quem *Huntlæi Comitem* creaverat, virtus enituit. Postremo cum bellum denuo in Angliam intestino tunc dissidio flagrantem, transtulisset, & Rosburgensi oppido expugnato, arci propius instaret, tanquam arbiter & exactor laboris, una è machinis, violentia ignis, intra furentis, excusso cuneo ligneo, cæteris illæsis, Regem in terram dejectum statim exanimavit. Regina, quæ eo ipso die in castra venerat, animo militibus addito, obsidionem solvi non passa est, donec ad deditionem arx adacta & solo æquata esset. (*b*)

JACOBUS III. in castris Rex salutatus, septem annorum puer sub matris tutela initio fuit; ea verò mortua Bodii bonis & affinitatibus præpollentes, ejus educandi curam sibi sumsere, animumque per ætatem infirmum & lubricum ad deteriorem applicuere partem; ab illo postea quam adolevisset odio habiti ita ut *Alexandrum Bodium*, quo ephoro usus fuerat, capitali afficeret supplicio, *Robertum* verò ejus fratrem, cum filiis solum vertere cogeret, cumque horum alteri nempe *Thomæ Bodio* sororem suam antea nuptui dedisset, per divortium eidem ademtam *Jacobo Hamiltonio* elocavit. Matrimonio cum Daniæ Regis filia contracto, quicquid in Orchades, aliasque circa Scotiam insulas juris Dani sibi competere putaverant, dotis nomine accepit, eoque ipso multis contentionibus subinde natis colophonem imposuit. Ordinem Ecclesiasticum graviter læsit, sibique infensum reddidit, cum potestatem præsules designandi à Canonicis & Monachis ad se revocaret, & beneficia nundinationibus publicis exponeret. Astrologiæ judiciariæ studio, cui tunc aulam usque ad insaniam deditam fuisse, *Buchananus* memorat, correptus, Guilielmo Sevessio nec non Andrea quodam Medicinæ Professore, è Flandria accersito, utroque hariolo plurimum usus est; ab his cum accepisset, sibi à suis exitium imminere, eaque „ dictio cum maleficarum mulierum (quibus æque deditus erat) responsis consentiret, è principe

(*a*) Buchan. l. 10. Lesl. l. 7. (*b*) Buchan. lib. 11.

„ cipe ab initio indolis optimæ (*Buchanani* (a) verba refero) & summæ spei, deinde tum quidem „ penitus depravato, in immanem tyrannum degeneravit. Suspicionibus enim animo semel „ occupato, sanguine proximos, & fere optimum quemque è nobilitate pro inimico habebat; „ Proceres autem cum ob hanc ipsam cum hoc malefico genere hominum consuetudinem, „ Regi erant infensi, cum longe magis, ob aulicos quosdam, infimæ sortis homines, quibus, „ nobilitate contemta, solis consultoribus utebatur. De aula ab hac hominum fece purgan- „ da, cum nobilitatis convocatio fieret, principibus duobus regis fratribus, ejusve paulatim pro- „ dirent indicia, JOHANNES, minimus natu fratrum, cæteris incautior, cum temere de sta- „ tu regni liberius locutus fuisset, ab aulicis arreptus & in carcerem conjectus, à domestico Re- „ gis consilio condemnatus, ac vena rescissa, mori est coactus; neque diversa sors ALEXANDRUM, ut genere ita periculo proximum, & licet omnes à se quoad potuit suspiciones amoveret, in arcem Edimburgensem raptum, manebat, nisi astu evadendi viam in tempore reperisset. Profectus is in Galliam uxorem ibi accepit, quæ secunda ipsi fuit, filiam Comitis Boniæ; sed cum à R. Ludovico XI. copias ad sua recuperanda impetrare non posset, in Angliam transvectus, R. Eduardum adversus fratrem instigavit, dum hunc eadem tempestate Ludovicus Gallus ad bellum contra Anglos incitaret; hinc novum inter utramque nationem bellum exarsit, quod cum Rex Scotiæ è domesticorum consilio, nobilitate prorsus posthabita, gereret, exasperati hac indignitate Proceres conjurationem fecere & Rege ad Lauderam castra metato, prætorium invasere, atque abreptos, ipso spectante, gratiosos aulicos, in furcam egerunt; id quod tanto universorum studio factum esse *Buchananus* refert, ut cum funes in re subita deessent, singuli lora jumentorum & frænorum habenas, eum in usum offerrent, acvehementer contenderent, quis potissimum hoc honore potiretur. Pressit Rex alto dolorem corde, & soluto exercitu, ubi primum sui potens sibi visus est, se in arcem Edimburgensem cum paucis abdidit. Induciæ postea cum Anglis pactæ sunt, earumque vigore *Alexander Dux Albaniæ* Regis frater in integrum restitutus est: qui tamen triennio post novas diffidentiæ causas nactus, iterum clam in Angliam secessit, arce sua Dumbarum R. Eduardo IV. tradita, indeque in Galliam transgressus supremam illic diem paulo post obiit. Lutetiæque in æde Cœlestinorum est sepultus. Ejus causa *Wilhelmo Crichtonio*, Cancellarii sub R. Jacobo II. filio, quem consiliorum Alexandri arbitrum fuisse arguebant, aqua & igni interdictum fuit, utpote privatam quoque „ ob causam Regi inviso: nimirum erat Crichtonio (*Buchanano* (b) narrante) uxor è nobili Dum- „ barorum familia nata, atque insigni pulchritudine: eam cum à Rege maritus corruptam com- „ perisset, consilium temerarium quidem, sed ab animo amore ægro & injuria irritato, non „ alienum suscepit; minorem enim è Regis sororibus, & ipsam quoque forma egregia, & con- „ suetudine fratris infamem, compressit, & ex ea *Margaritam Crichtoniam* genuit. Mortua de- „ inde uxore Crichtonii soror Regis adeo impotenti illius desiderio flagrabat, ut velut mente „ capta delirare videretur. Rex partim ab amicis *Wilhelmi* exoratus, partim & injuriæ ei factæ „ memor & cupidus matrimonii prætextu sororis infamiam levare, reditum illi ea lege permi- „ sit, ut eam duceret. Cæterum Rex cum confirmata foris pace ad ingenium rediisset, novosque subinde homines aulicis honoribus & ministeriis præfecisset, novæ Procerum conjurationi ansam præbuit, quæ tracto in partes Regis filio in bellum exarsit; rollatis ad Sterlinum signis, fusa statim Regis media acies, ipseque equi casu debilitatus in fuga deprehensus & occisus est.

JACOBUS IV. regni, quod ætatis anno quinto & decimo adiit, initia tribus nobilitavit victoriis, quarum duas mari adversus Anglos, virtute Andreæ Silvii, tertiam terra contra proceres quosdam parentis ejus cædem ultum euntes opera Johannis Dromundi obtinuit. Habitis comitiis trium Ordinum consensu decretum fuit, bellum, adversus Jacobum III. ejusque aulicos tanquam publicæ salutis hostes gestum, justum fuisse, & qui in prælio Sterlinensi cecidissent, eos sua culpa cæsos esse; cunctis tamen impunitate concessa; filii & propinqui cæsorum, qui- „ que è pugna incolumes evasere, in integrum restituti sunt. Hac moderatione cum à Rege nec „ avare nec crudeliter victoria exerceretur, & delicta bona fide condonarentur, brevi summam „ concordiam inter factiones, & æquale partis utriusque studium, & amorem erga Regem co- „ aluisse, tamque jucundam pacem, tantam tranquillitatem, & velut ancillante fortuna regiis „ virtutibus, tantum omnium frugum & fructuum proventum esse secutum, *Buchananus* (c) „ memoriæ prodidit, ut à seculo plusquam ferreo aureum renatum fuisse videretur. Proceres quoque factionis adversæ, quo fidelioribus eis uteretur, Rex affinitate sibi conjunxit: duas enim amitæ ex diversis maritis filias, Græcinam Bodiam Alexandro Forbosio, Margaritam Hamiltoniam MATTHÆO *Stuarto*, *Leviniæ Comiti*, homini genere & opibus claro, & (referente modo dicto autore) popularitate quadam honesta, summis infimisque juxta caro, dedit uxores. Anno regni septimo cum Petri Warbeci, qui se filiorum R. Angliæ Eduardi IV. à Richardo D. Glocestriæ occisorum, natu minorem mentiebatur, imposturis autem fidemque præ- buisset,

I 2

(a) *l. Lib. 12.* (b) *Loco modo citato.* (c) *Lib. 13.*

buisset, atque ad bellum Anglis inferendum induci se passus fuisset, detectis illis in pacis conditiones facile consensit, perennisque cum Anglis amicitiæ desiderium præ se ferens, *Margaritam*, R. Henrici VII. gnatam majorem in uxorem petiit & obtinuit. Illa tamen haud longæ fuit durationis & levi de causa, nempe ob navigia quædam Scotica à piratis Anglicis, cæsis vectoribus, intercepta, in inimicitiam bellumque degeneravit, cujus equidem, animo prorsus immutato, tanta cupiditate accensus fuit, ut nec sanioribus suorum consiliis, nec diro ignoti & insolito cultu senis, neque antea nec postea amplius visi, omine, (quod *Buchananus* l. c. p. 448. singillatim enarrat) detineri posset, quominus Angliam invaderet, hostibusque majore numero obviam sibi factis pugnandi copiam faceret. Hoc in prælio ad *Fluidonem* d. XIII. Sept. a. M DXIII. commisso post magnam utrinque stragem editam Scoti fusi ac fugati, & Regem & procerum Principes amiserunt. Regis cadaver cum repertum non esset, natum est inter Scotos commentum, quod in medio pugnæ æstu è conspectu suorum se subduxerit, & navim ingressus Hierosolymas religionis ergô abiverit, in tempore rediturus.

JACOBUS V. in conventu Procerum Sterlini habito, Calend. Martii Rex, nondum expleto biennio, declaratus ejusque tutela & regni administratio Reginæ viduæ, quamdiu cælebs mansura esset, delata est. Ea vero postquam posthumo levata esset partu, ante veris exitum *Archibaldo Duglassio Comiti Angusiæ* denuptâ, ortisque inter Duglassios & Humios factionibus, evocatus est è Gallia JOHANNES *Stuartus*, Alexandri F. atque in Scotiam delatus, ex ordinum decreto, *Dux Albaniæ* & *Marciæ Comes* declaratus, & *Prorex* usque ad maturam Regis ætatem creatus fuit. Haud æquo id tulit animo *Alexander Humius*, vir potens & ambitiosus, eaque propter auctor reginæ extitit, ut cum filio in Angliam discederet, seque fratris fidei committeret; quæ consilia cum aliqua ad *Proregem* emanassent, ille *homo*, ceu *Buchananus* (a) testatur, *natura acerrimus*, & *qui in rebus conficiendis celeritate summa utebatur*, eorum conatus prævenit: arcem Sterlini & cum ea reginam in suam potestatem redegit: Regi sacramentum palam dixit. Submota Regina & Duglassiis, ex procerum decreto præter Joh. Areskinum, arcis præfectum, tres supremi Ordinis viros, summa fide & integritate, qui Regis educationi præessent, adhibuit, ut sibi per vices succederent, addita etiam adversus vim & fraudes custodia. *Humius* cum fratre *Wilhelmo* in Angliam secessit, quem *Regina*, explorata fratris voluntate, cum marito *Duglassio* secuta est. Prorex cum missis ad R. Angliæ Henricum VIII. legatis se ei purgasset, amicos Humiorum & Duglassiorum perpulit, ut reditum eis persvaderent. Cunctis reversis, excepta regina, quæ quod partui vicina esset, apud fratrem remansit, *Alexander Humius* in jus ad conventum publicum vocatus, cum non paruisset, sed arma sumsisset, damnatus, demumque potestati Proregis se permittere coactus, Edimburgum ductus, & Comiti Araniæ *Jacobo Hamiltonio* sororio suo datus est custodiendus. Is autem cum ab Humio persuaderi se passus esset, ut secum una discederet, & rerum administrationem ipse susciperet, ut qui proximus, post superioris Regis liberos esset hæres, nempe è *Jacobi* III. *sorore* genitus, nova facta est conjuratio, cui etiam JOHANNES STUARTUS C. LEVINIÆ, Hamiltonii è sorore nepos, ingensque manus amicorum & clientium ejus nomen dedere, atque arcem Glascuensem intercepere: eâ autem subito à Prorege recuperatâ, in ordinem cuncti accepta delictorum venia redacti fuere. *Humius* tamen deinde in aulam una cum fratre *Wilhelmo* protractus, Parium judicio subjectus est, à quibus uterque damnati, capite luerunt. Prorex haud ita multo post in Galliam profectus, summæ rei Angusiæ, Araniæ, Argatheliæ, Huntileæ Comites, & Archiepiscopos Fani Andreæ & Glascuæ præfecit, quibus *Antonium Darsium*, Gallum, qui Dumbaro præerat, adjunxit, suas singulis regiones, vitandæ discordiæ ergô attributis. Sed *Darsio* à *Davide Humio* occiso, factionibusque inter Duglassios ac Hamilronios exortis quæ in cædes & rapinas erupere, *Prorex* ad III. Cal. Nov. a. MDXXI. redux in Scotiam factus, ut Duglassiorum potentiam imminueret, Angusiæ Comitem in Galliam relegavit, à bello autem, quod Gallorum gratia Anglis inferre decreverat, desistere, quia nobilitas Scotia egredi detrectabat, atque inducias cum Dacrio, Anglici limitis præfecto, inire coactus, in Galliam denuò abiit; ubi cum ageret, Rex Angliæ nihil moratus inducias, Thomam Hovardum Surriæ Comitem ad populandos Scotiæ fines misit; per sororem verò & literas ad Scotorum proceres datas id egit, ut illos à Gallorum fœdere abstractos, suis adjungeret partibus, unica etiam filia sua *Maria* Regi *Jacobo* V. in perennis inter utramque gentem amicitiæ pignus oblata. Cum diversa in consilia & studia scinderentur primores, opportune *Prorex* cum copiis in Gallia contractis rediit, & conventu Edimburgi habito illorum animos in conservando antiquissimo cum Gallis fœdere confirmavit; adversus Anglos autem cum suis & Scotorum copiis profectus, invitis se venari cambus mox sensit, & vere proximo iterum in Galliam, nunquam reversurus, licet spem reditus Scotis fecisset, discessit. Licentia exinde invalescente, Rex adhuc impubes, matre, Comitibus Araniæ, Leviniæ, Crafordiæ aliisque auctoribus, regni administrationem ad Cal. IV. Aug. a. 1525. suscepit, atque omnes novo sacramento in suum nomen adegit: ad cujus rei nuncium

(a) *Lib.* 14.

cium cum Angusiæ Comes, Regis vitricus, è Gallia in Scotiam rediisset, factiones brevi recrudueruns, *Levinio* & *Angusio* ægre ferentibus, ad reginæ & Aranii nutum cuncta geri, ita ut inter Hamiltonios & Duglassios ad manus ventum fuerit, *Rege* & *Levinio* spectatoribus. Victores Duglassii indignati *Levinium* in conflictu ambiguum se gessisse, & cum Hamiltoniis ea propter reconciliati, arma in illum verterunt, qui contracta vicissim militum manu, copias adversariorum prope *Havenni* fluminis pontem adortus fusus & cæsus est, ab Aranio tamen avunculo suo & Duglassio non minus ac à Rege veris deploratus lachrymis. Hic Sterlinum profectus multis procerum ad se accersitis, Duglassiis omnem administrationem publicam edicto ademit, & denique in comitiis Edimburgensibus aqua & igni interdixit, ita ut in Angliam exulatum ire necesse haberent, ubi R. Henricum ad bellum R. Jacobo inferendum instigarunt, quod equidem tunc Gallo interveniente successu caruit, postea verò quamvis affinitatem cum Gallis Scotus iniisset, & oblatam ab Anglis respuisset, colloquium etiam cum Henrico dedignatus, exarsit, in eo cum *Jacobi* copiæ hosticum ingressæ prope ad internecionem cæsæ essent, ipse indignatione, mœstitia & curis obrutus, vigiliisque ac inedia debilitatus intra paucos dies animam reddidit. (*a*)

Reliquit R. *Jacobus* V. hæredem filiam unicam MARIAM puellam sexto ante ejus obitum die natam, cujus tutela cum titulo Proregis *Jacobo Hamiltonio Araniæ Comiti* propinquo ipsius collata fuit. Hæc occasio Regi Angliæ Henrico VIII. peropportuna visa est, per affinitatem Scotos Anglis conjungendi, quare Rudolphum Sadlerium misit, qui filio suo Eduardo *Mariæ* nuptias, & publicam pacem procuraret. Procerum plerisque ab illis haud abhorrentibus, obstitere regina vidua nec non Cardinalis Sant Andreanus *David Betonius*, reque cum Gallis communicata *Matthaum Stuartum Levinium* apud illos agentem, adversus Aranium accersiverunt. Is postquam in Scotiam venisset, atque inter Reginam & proregem concordiam conciliasset, mox ambos adversarios nactus est, ita ut ad bellum civile cuncta spectarent; armis enim utrinque correptis ad manus ventum, & *Levinius*, victus in Angliam secedere coactus est, qua tempestate Angli acceptam à Scotis repulsam ulturi, fines eorum ferro ac igni populabantur, d. 10. Sept. 1547. facta prope Musselburgum pugnæ copia insigni potiti victoria XIV. millibus Scotorum cæsis, & mille quingentis captis. Diffisa exinde regina vidua & Nobilitas Scotica rebus suis *Mariam* in Galliam miserunt, quo eam post bieunium mater secuta est, dum interea à Rege Fr. Henrico II. auxiliares copiæ Scotis submitterentur. Reversa in Scotiam regina vidua, Aranium regni administratione se abdicare, & Regalia in manus Henrici Clutenii Oiselli tradere nolentem volentem adegit; ea deinde anno scilicet 1555. à Senatu regni in illam translata sunt, dictaque ipsa est *Regina Regens*. *Maria* autem abhinc triennio annum ætatis XVI. agens *Franciso Delfino* nuptui locata fuit, præsentibus aliquot Scotiæ proceribus, ad harum nuptiarum solemnia delegatis, quorum quatuor ante reditum non sine suspicione veneni à fratribus Regentis, uti jactatum fuisse *Thuanus* (*b*) refert, propinati obiere, postquam Gallorum petitionem, ut coronam cæteraque regni insignia repræsentareut, ac reginæ maritus Scotorum Rex crearetur, depulissent. *Maria* deinde *Regina Galliæ* morte soceri facta, cum non ita multo ante *Elisabetha* sorori suæ in Angliæ regnum successisset, jus sibi in id palam arrogare cœpit, Anglicis insignibus scuto suo insertis, neque ab illis, licet ex lege pacis Edimburgi sancitæ debuisset, abstinuit, indignante Elisabetha, atque ab eo tempore aversissimum ab ea animum gerente. In luctuosam verò orbitatem matris & mariti illa conjecta, cum Scotiam repetiisset, proceres æque ac plebem dissensionibus ac dissidiis divisos reperit, atque ex quo fratrem nothum, *Jacobum*, Moraviæ Comitatu auxit, & consiliorum suorum arbitrum fecit, Gordoniorum, quibus Comitatus ille ademptus fuerat, turbis, hisque vix autoris supplicio oppressis, aliis atque aliis motibus jactata est, donec *Matthæo Stuarto Levinio* & HENRICO DARLÆO ejus filio à diuturno revocatis exilio, hunc *Ducem Rothesiæ* & *Comitem Rossiæ* creatum, ob ætatem & formæ præstantiam virum sibi delegit, & postridie nuptiarum Edimburgi *Regem* publico præconio pronunciari curavit. Sed præcipitati adeò matrimonii pœnitentia paulatim haud obscuris indiciis patuit, fastidiente virum Regina, & à consilio ac publicorum negotiorum conscientia removente, *Davidis* cujusdam *Rizii*, citharœdi filii, sicuti ferebatur, instigatu, quem Henricus Rex suspicione clam concepta, per amicos è Nobilitate sibi fœderatos occidi jussit. *Jacobo Heburno* autem *Bothvelio* Comite locum, quem Rizius in gratia Reginæ tenuerat, occupante, Rex magis magisque neglectus, veneno tentatus, eoque ætatis vigore & naturali corporis firmitate superato, nondum tamen ex morbo inde concepto satis validus, in ædes à Bothvelio ei destinatas, per aliquot annos desertas & ad mœnia oppidi inter duorum templorum ruinas sepositas cum paucis ministris intrusus, ibidem intempesta nocte in lecto strangulatus, & in hortos proximos transportatus est, pulvere nitrato domui à conjuratis subjecto, quo ignem concipiente tota corruit. Hac cæde patrata *Bothvelius* Reginæ nuptias palam ambiens, ab amicis proceribus & Episcopis in eam rem consensum ipsorum manu subscriptum extorsit, illamque, Sterlinum ad visendum filium Jacobum VI. profectam, in iti-

 nere

(*a*) *Lib. eod.* (*b*) *Hist. Lib. 20.*

nere rapuit, & Dumbarum ductam, nuptiis sibi junxit, postquam Gordoniam uxorem, quam in matrimonio habebat, coegisset, ut sibi litem apud judices regios Ecclesiasticos de divortio, ex capite adulterii, utpote justa ejus causa, intenderet. Non multo post cum proceres icto fœdere contra Bothwelium conspirassent, ipse ad Orcades, & inde in Cimbricam Chersonesum profugus dignum ibi flagitiosa vita exitum sortitus est; Regina verò ad dimittendum regium exercitum & pacis conditiones à fœderatis accipiendas redacta, demum in carcerem contumeliosè conjecta est, ex quo opera Georgii Duglassii amore sui capti, elapsa post adversam pugnam in Angliam postremo confugit, nec tamen cum cœlo conditionem mutavit: aditu enim Reginæ Elisabethæ prohibita & Carlilii in laxa custodia detenta, indeque ad Boltonense castrum translata fuit. Detecta autem Thomæ Howardi Norfolciæ Ducis conspiratione, arctiori custodiæ mandata, & tandem non minus amicorum intempestivo eam vel cum excidio Elisabethæ liberandi impetu ac zelo, quam adversariorum istam obtundentium postulationibus octavo & decimo captivitatis suæ anno ad fatale pegma rapta est. Quomodo peractum id fuerit, ex iis, quæ superius in exegesi vitæ Reginæ Elisabethæ dicta sunt, liquet. Laudanda superest mira constantia, qua vitæ suæ, crebra fortunæ varietate ad omnem posteritatis memoriam insignis, ultimum actum, acerbum sane & inter suæ sortis homines insolentem, absolvit, quaque quantamcunque superiorem levitatem, aut potius infirmitatem cumulatissime emendavit, quemadmodum apud *Thuanum* integerrimum scriptorem (*a*) legere est. Exuvias ejus in æde cathedrali Peterburgensi tum sepultas, ejus gnatus Jacobus, postquam regno Angliæ potitus est, *Westmonasterium* privatim transferri & in sacello R. Henrici VII. exstructo ibi magnifico monumento recondi curavit.

JACOBI, JOHANNIS & ROBERTI *Stuartorum*, Mariæ Reginæ fratrum naturalium, mentio in *Buchanani Historia Scotica* occurrit: De *Johanne* (*b*) dicitur, quod cupidus potentiæ, sed ingenio minus quam Jacobus severior, & Reginæ facile obsequens, ideoque ei carior fuerit; de *Roberto*, (*c*) quod solus inventus fuerit, qui ad R. Henricum uxoris insidias deferre ausus sit; eundem a. 1581. *Comitem Orcadum* creatum fuisse *Jonsthonus* (*d*) refert. *Jacobus* cæteris illustrior, è Johannis Areskini Marriæ Comitis sorore natus esse videtur, eo quod hunc *Buchananus* (*e*) avunculum illius indigitet. Gessit Jacobus *Prioris Sant Andreani* titulum, usque dum à sorore è Gallia in avitum regnum reversa *Comitatu Moraviæ* donatus & nuptiis *Agnetis Ketha*, quæ *Comitis Martialis* sive *Marescalli*, (quam dignitatem familia Kethana hæreditario jure apud Scotos hodieque tenet) filia erat, auctus fuit. Regina deinde custodiæ mandata *Prorex* electus, mox verò æmulorum factionibus infestatus & denique à Jacobo Hamiltonio Limnuchi occisus est: Is enim equo vectum per insidias plumbea pila paulo infra umbilicum adacta, ac prope renes transmissa percussit, quo ex vulnere eadem nocte expiravit, veris laudibus etiam ab inimicis laudatus, qui & præsentiam animi in periculis, felicitatem in præliis, in jure dicundo æquitatem, morum gravitatem cum liberalitate & humanitate summa conjunctam prædicabant. (*f*) Juvenem ei cognominem abhinc vicennio pari scelere à Gordoniis trucidatum fuisse *Jonsthonus* (*g*) memoriæ prodidit: is gener illius in filia unica fuit, ex Albaniæ Ducibus, ceu ferunt, ortus, & cognomento *de Doun* distinctus, unde etiam mater ejus autori modo dicto *Dunensis* audit. Elogium, quo is eundem posteritati commendavit, recensere fas est: *Erat*, inquit, *Jacobus Stuartus Moravius omnium ætatis suæ juvenum apud Scotos charitate præcipuus; procerum corpus & perinde vires, formaque, quæ in vasta magnitudine raro solet evenire, cum virili dignitate conjuncta, totiusque corporis mira quadam venustas accedebat, atque hæc naturæ munera summa humanitas, & in omni actione comitas, mansuetudo, modestia comitabantur.* Reliquit post se, referente eodem autore, (*h*) filium, cum parentis sui percussoribus opera R. Jacobi VI. reconciliatum; atque ab eo descendisse suspicor, quotquot ab eo tempore in Scotia è Stuartorum gente Moraviæ Comitum axiomate distinguebantur, quorum familam nunc ducit *Alexander Stuartus C. Moraviæ* Magnus Scotiæ Secretarius.

De reliquis Stuartis in Schemate enumeratis *pericopas Historicas*, fidem ei adstruentes, haud supervacuo subjuncturi videmur:

Buchananus: (*i*) DUNCANUS seu DUNACHUS Stuartus, *ex fratre Regis Roberti III. Alexandro Buchaniæ Comite, natus patre feroci ferocior filius avo mortuo ratus, locum rapinis aliisque injuriis fore, manu valida prædonum cinctus in Angusiam descendit, & veluti ex hostico prædas agere cæpit: audito autem adventu Comitis Crafordiæ, quem Rex ad comprimendam eorum insolentiam misit, expeditiores fuga celeri in latebras suas se receperunt: è tardioribus multi cæsi, multi comprehensi & ad supplicium ducti.* ALEXANDER Marriæ Comes, ex Alexandro Roberti II. Regis filio natus, *in adolescentia malis perditorum hominum consilio usus, ductorem se latronibus præbuerat; verum cum ad virilem pervenisset ætatem, mores adeo mutaverat, ut alius plane videretur. Igitur, vitiis paulatim decrescentibus, & accedente consilio, ita se domi forisque gesserat, ut præclaram sui memoriam ad posteros transmiserat; nam & domi ad Harlaum Insulanorum impetum magna cum cæde repressit, & bellum periculosissimum*

(*a*) *Hist. Lib. 86.* (*b*) *Lib. 16.* (*c*) *Lib. 18.* (*d*) *Rer. Scot. Lib. 2.* (*e*) *Lib. 17.* (*f*) *Vid. Thuan. Lib. 46.* (*g*) *Lib. 5.*
(*h*) *Instio Lib. 9.* (*i*) *Rer. Scot. Lib. 10.*

simum in ipso ortu extinxit & cum multis opibus bene partis, prædiisque fructuosis coemtis vicinos anteiret, non tamen otio & voluptati se dedit, sed in Flandriam cum firma popularium coborte profectus, Carolum Burgundum adversus Leodienses secutus ex eo bello rem & laudem retulit : opulentis etiam nuptiis in Hollandia auctus est. Sed cum peregrini hominis imperium Batavi non ferrent, inde reversus classem comparavit, qua homines terrestribus & navalibus copiis instructissimos adortus vicit, ferociamque eorum ita fregit, ut centum annorum inducias postulaverint & acceperint. Idem quoque gregem nobilium equarum è Pannonia usque adducendum in Scotiam paravit, cujus soboles in multos post annos duravit, ipso sine prole defuncto.

Idem : (*a*) *Altero post Regis Jacobi I. mortem anno, II. Cal. Oct. Thomas Bodius à Cella Marnocâ* ALANUM STUARTUM DERNELIUM, *obvium sibi inter Limnuchum & Varium sacellum per inducias interemit. Proximò post anno ad VII. Id. Jul.* ALEXANDER *Alani frater, multis utrinque casis, justo prope prælio Thomam victum occidit.* Pater horum JOHANNES DARLÆUS sive Dernelius cum copiis auxiliaribus Regi Galliæ Carolo VI. adversus Anglos ductore *Johanne Stuarto* submissis eo militatum abiisse atque à R. Carolo VII. *Comitatu Eburoviensi*, quo dum viveret frueretur, necnon dominiis *Aubigny & Concressant* ad hæredes quibusq; suos transmittendis, donatus, vitam ei atque extremum spiritum in pugna cum Anglis in Belgio a. 1429. commissa impendisse, à Gallicis Scriptoribus memoratur. (*b*)

Leslæus : (*c*) ALEXANDER *Dux Albaniæ, Jacobi II. F. multis annis summo honore à Gallis habitus fuit : quem quod in omni genere armorum præstabat, Militiæ patrem vocarunt. Tandem Parisiis, dum singulare certamen Aurelianensis Dux cum alio Equite inivit, astans particula cujusdam hastæ trajicitur, brevique post moritur. Duos filios superstites reliquit : unum* JOHANNEM *Albaniæ Ducem, cui postea Scotiæ procurandæ & Jacobi V. pueritiæ informandæ tradebatur : alterum* ALEXANDRUM, *quem ex Comitis Orcadum filia, prima illius in Scotia uxore susceperat. Hic verò postea Moraviæ Episcopus, Sconæque Abbas creatus est :* Sequioris autem sexus prolem quoque Alexandrum D. Albaniæ genuisse ex sequentibus *Buchanani* verbis (*d*) colligere licet : *Patricius Hamiltonius è Johannis Ducis Albini sorore & fratre Comitis Araniæ natus, juvenis ingenio summo & eruditione singulari, conjuratione sacerdotum oppressus, ad Fanum Andreæ vivus est crematus.*

Leslæus : (*e*) *In id studium Rex* (nimirum Jacobus IV.) *incubuit sedulo, ut* ALEXANDER *Dux Rothesajæ &* JOHANNES *Comes Marriæ, sui fratres, tenelli adhuc, liberali educatione diligentissime imbuerentur, tantoque sumptu pro ratione patrimonii, quod singulis pater reliquerat satis amplum, magnifice alerentur.* Cum de his præter ea nihil apud citatum autorem, neque apud Buchananum reperiatur, præmature decessisse videntur.

Idem : (*f*) *A. 1510. Episcopatus Sanct Andreapolitanus* ALEXANDRO *Stuarto, Regis* (Jacobi IV.) *filio naturali, qui id temporis literarum studiis apud Flandros operam navabat, decretus fuit. Quod cum primum literis intellexisset, ex Flandris in Scotiam venit : quem Rex, aliique omnes, qui illi vel amicitia, vel sanguinis communione colligati fuerunt, eo majori benevolentiæ specie exceperunt, quo majori cura totam suam juventutem in literarum, pietatisque studiis diligentissime contriverat.* Eundem cum parente in bellum adversus Anglos profectum, atque in prælio ad *Fluidonem* æque desideratum fuisse *idem autor sub dicti libri finem* refert. Fuit R. Jacobo IV. alius adhuc nothus JACOBUS C. MORAVIÆ appellatus, quem à fratre R. Jacobo V. regni Vicarium constitutum, posteaque in Galliam una cum *Wilhelmo Stuarto Abredoniæ Episcopo* nuptiarum ejus causa missum fuisse *Buchananus* (*g*) memorat. Eundem attinere arbitror, quod *Leslæus* (*h*) non ita multo post obitum R. Jacobi V. contigisse in hunc modum narrat : *Comes Moraviæ Patriarcha* (Veneto scilicet eoq; Legato Pontificio) *quodam die ad convivium invitato, splendoris non vulgaris specimen dedit. Cum etenim vasis argenteis abundaret, parari tamen atque instrui abacum voluit vasis crystallinis Venetiis transvectis, servo monito, ut in medio prandio penes abacum simulanter impingens, omnia perverteret. Servus præfixo tempore offendens, mandatum Domini exequitur. Comes autem denuo ornari abacum jubet , pulchriora prioribus disponuntur vasa, tanta cum ipsius Patriarchæ admiratione, ut illa quæ Venetiis & Muriani pulcherrima viderat, istis non anteponenda affirmaret ; Fuit certe is Morraviæ Comes splendidus, prudens, integer, multisque virtutibus & legationibus ad multos principes feliciter gestis clarus. At haud multo post cum ab aula discederet, calculi doloribus in Tarnuajo suo castro absumptus est.*

Leslæus : (*i*) *Regina* (de Margarita Angla, R. Jacobi IV. vidua sermo est) *vehementi quodam animi impetu concitata nec regni proceribus in consilium adhibitis , nec fratre suo Rege Anglo consentiente,* Archibaldo Angusiæ Comiti *sexto die Augusti 1514. nupsit, ac Angusii necessariis obsecuta, totam regni molem, ac Reip. administrationem in illum quamprimum transtulit. Sed* Johanne D. Albaniæ *in Scotiam delato in Angliam cum marito secessit; & fratris jussu Herbotellæ eousque hæsit, quoad filiam, quam* Margaritam Duglassiam *vocarunt, in lucem suscepisset. Reversa postea in Scotiam fama constanti ineunte Ang. a. 1518. Edimburgi accepit,* Angusium *maritum ejus, fœmina nobili in provincia Duglasdensi, quam perdite amatam secum clam inde adduxerat, fucum fecisse. Cujus rei causa tantas faces animo conceperat,* conti-

(*a*) *Lib. 11.* (*b*) *Laboureur Tombeaux des pers. Illust. p. 315.* (*c*) *de reb. gest. Scot. Lib. 8.* (*d*) *l. Lib. 14.* (*e*) *Lib. 8.*
(*f*) *Loco cit.* (*g*) *Lib. 14.* (*h*) *Lib. 10.* (*i*) *Lib. 9.*

continuoque contentionum fotu aluerat Reginæ, ut nisi divortio facto, nullum vitæ spiritum liberum, doloreque vacuum duxisse videretur. Causam divortio obtenderat Regina, quod matrimonii fidem Angusius, *ante nuptias secum initas, Comitis Bothvelii filiæ dederat. Dicta demum a. 1525.* Angusio *die Archiepiscopus Sanctandreapolitanus divortii sententiam tulit, ea tamen lege, ut proles ex eo matrimonio suscepta, propter parentis, saltem Reginæ, ignorantiam, nihil inde damni pateretur, idque eo libentius, & quod res videbatur nulla dubitatione implicita, & quod Reginæ mens in eam partem propendere videbatur. Regina pronunciata divortii sententia paulo post nupsit* HENRICO STUARTO Domini Avendalii (huic & ipse alibi (*a*) & Buchananus (*b*) ANDREAM Cancellarium Regni, Waltheri Stuarti gnatum vocant) *filio, quem postea Rex, ut honorem matri deferret, Dominum Meffensem creavit, ac bellicorum tormentorum præfecturæ munere cohonestavit. (c)*

MATTHÆUM *Stuartum Lenoxiæ* seu *Leviniæ Comitem* in Gallia educatum, à Regina Maria, Jacobi V. vidua & Cardinali Sanctandreano in Scotiam accersitum fuisse superius dictum est, nempe ut Jacobo Hamiltonio Proregi æmulus objiceretur. *Huic juveni* (Buchanani verba è Lib. XIV. refero) *præter in ipso juventæ flore, formam egregiam & corporis dignitatem, conciliabat omnium animos, patris hominis maxime popularis memoria, & solitudo & pericula, familiæ clarissimæ jam ad paucos redactæ: multæ domi clientelæ: magnæ familiæ propinquitatibus conjunctæ. Ad id proximi Regis judicium, qui si absque mascula stirpe liberûm decederet, hunc sibi hæredem & successorem destinabat, eamque voluntatem, si diutius vixisset, conventus publici decreto confirmaturus credebatur. Neque deerant adulatores, qui animum generosum quidem, & magnarum rerum expectatione jam erectum, sed adversus fraudes incautum, ad spes ampliores excitarent: præter enim suum in annos prope viginti proximos imperium, etiam Reginæ viduæ nuptias spondebant, & si quid humanitus interea puellæ, penes quam tum regium nomen erat, accideret, eum haud dubie Regem futurum.* His rebus in Scotiam allectus, cum Hamiltonii potentiam fregisset, Reginæ autoritatem vindicasset, promissa tamen nusquam apparere, sed à Regina & Cardinali per Syncretismum cum Hamiltonio factum se dolis duci & circumveniri animadvertisset, facta *Britannodunum* secessione, acceptoque ibi de infestis illorum adversum se consiliis nuncio, ex amicis & clientibus brevi supra X. millia hominum coegit; acie autem prope *Glascuam* victus, suis dilabentibus in Angliam trajecit, à R. Henrico VIII. susceptus honorifice, qui præter aliam munificentiam, *Margaritam Duglassiam* è sorore sua natam, ei dedit uxorem, summa forma & elegantia præditam, è qua, dum in Anglia exularet, octo liberos genuit; ex his trium tantum marium nomina literis consignata reperiuntur, reliqui, quorum quatuor sequioris sexus fuisse *Sandfordius*(*d*) tradit, in tenella ætate decessisse creduntur. Post XXII. demum annos à Maria Regina revocatus, & in integrum restitutus, per filii sui cum illa nuptias, & brevi secuta dissidia & cædes, gaudii & doloris materiem nactus est, & denique post Mariam custodiæ in Anglia mancipatam, & Jacobum Moravium occisum, Regni & Regis nepotis sui tutor electus, cum XIV. plus minus menses magistratum supremum in Scotia tenuisset, ab Hamiltoniis Sterlini in Comitiis captus & vulneratus, eodemque die ex plagis mortuus est.

De ROBERTO *Stuarto* Matthæi Levinii fratre, refert *Jonsthonus*, (*e*) quod a. 1579. publico Ordinum decreto Leviniano Comitatu, CAROLO ejus è dicto fratre nepoti, adempto, auctus, eoque spontanea resignatione in *Aubignium* translato, *Marchiæ Comes* appellatus sit. Porro quod *Elisabetha Stuarta* Atholiæ Comitis filia, puellaribus annis illi nupta, post adulterium cum *Jacobo Stuarto*, Araniæ Comitatus usurpatore ex *Ochiltræa* stirpe prognato (de cujus moribus ac digna eis morte *Thuanus* sub finem Lib. 81. legi potest) commissum, ne non gnaviter impudens esset, litem ipsi de divortio, obtentu impotentiæ a. 1581. intenderit, & per præcipitatam judicum sententiam legitimo matrimonio soluta, mœcho suo addicta fuerit, qui uno eodemque die & maritus ac pater infantis in alieno toro procreati, in suo nati, factus sit.

ARBELLÆ STUARTÆ *Caroli*, quem *Comitem Lenoxiæ* aliquandiu dictum, ætatis anno XXI. decessisse *Sanfordius* tradit, filiæ unicæ sortem, his *Jonsthonus* verbis (*f*) complexus est: *Fine anni 1615. Arbella Stuarta, paterna Nobilitate Regii generis fæmina, diuturni carceris tædio & mœrore extincta civitati grande desiderium sui reliquit; ob memoriam præstantis doctrinæ & ingenii, summæ prudentiæ, eximiæ virtutis, singularis humanitatis, quibus generis claritudinem superavit. Huic clam* Wilhelmo Seymero *nubenti, infelix fuit matrimonium; quod intra paucos dies divulgatum, primo nuptiarum indicio, subito evocata, & in Turrim deducta, ubi nihil nisi luctuosum sensit, interdicto mariti contubernio; unde mœroris impatiens detonsa, ac virili habitu in dissimulationem sui, culta evasit, profugitque ab Urbe. Paucis interjectis diebus ex fuga retracta, rursusque in Turrim conjecta miserabilem vitam egit. Acerbior custodia, & mariti absentia veterem molestiam renovavit; qua victa debilitataque postremo morte liberata est.*

Insignia *Stuartorum* gentilitia *fasciam triplici tessellarum argentearum & nigrarum ductu distinctam* in scuto *aureo* continentia *Atholiæ* & *Buchaniæ* Comites *tribus capitibus lupinis* auxerunt; *Darlæani* integram addidere *quadram*, eamque *auream* cum *decussi rubeo, quatuor rosis* stipato. A

regia

(*a*) *Lib. 8. p. 310.* (*b*) *Lib. 12. p. m. 407.* (*c*) *Lesl. L. 9. p. 354. 365. 373. 399. & 400.* (*d*) *Geneal. Hist. of Engl. Lib. VI. cap. 6.* (*e*) *Rer. Brit. Hist. Lib. 2.* (*f*) *Lib. 16.*

regia linea *Scotici regni tessera* assumta fuit, quæ in *aureo* clypeo repræsentat *leonem rubeum, lingua & falculis caruleis, limbulo geminato coccineo utrinque liliis* (quæ in perennis cum Gallis amicitiæ symbolum adscita fuisse tradunt) *stipato, inclusum* : addito ab utroque latere *telamonum loco unicorni labarum* gestante, quorum dextrum *leone Scotico*, lævum *Cruce Sanctandreana* insignitum est. *Johannis Stuarti Ducis Albaniæ* Scutum *quadripartitum* in castro *Luat* se vidisse *Laburerius (a)* affirmat: ita ut prima quadra *Scoticum digma* integrum, nullo fractum discerniculo, secunda *rubea, leonem argenteum, margine eodem metallo tincto, & octo rosis coccineis distincto cinctum*, tertia itidem *rubea, tres ocreas argenteas sibi coharentes, & calcaribus aureis armatas*, quarta denique *aurea, decussim coccineum* repræsentent. *Matthæi Stuarti Levinii* scutum itidem *quadripartitum* ad monumentum uxoris suæ *Margaritæ Duglassiæ* in ædicula Westmonasteriensi positum, conspicitur: prima & quarta ejus areola *carulea lilia tria aurea, cum limbo rubeo, fibulis octo aureis distincto*, refert, quod digma Stuartis à Regibus Galliæ ob egregia de ipsis merita collatum fuisse ferunt; secunda ac tertia *margine rubeo denticulato* fractæ *gentilitiam Stuartorum fasciam tessellis variegatam* continent: mediæ regioni parmula incumbit, *decussim Darleorum cum rosis*, sed illum *dentibus asperatum*, exhibens. Ad ejusdem tumbæ pedes filii quoque illius, nempe *Henrici Darlæi* Regis Scotiæ clypeum videre est; qui *ad perpendiculum* in duas æquales partes *sectus*, læva regione insignia *regni Scotici Leonem* scilicet *intra limbulos liliatos*, dextram verò *quadripartitam* repræsentat, ita ut 1. laterculus integrum parentis ipsius scutum, paulo ante delineatum, complectatur, 2. *rubens* figuram illam, de qua itidem jam dictum fuit, quæque *crura tria femoribus connexa*, & *ocreis, calcaribusque armata, quorum duo plantam pedis sursum, tertia deorsum protendunt*, repræsentat, 3. *coccinea leunculos tres erectos argento tinctos* 4. denique *Duglassiana insignia* deferunt: hunc clypeum hinc *vulpes*, illinc *unicornis* sustinent.

CAPUT IX.

DE REGIBUS MAGNÆ BRITANNIÆ.

JACOBUS inter Reges Scotiæ hujus nominis *Sextus* regnum Scoticum concessu matris in ipsa pæne infantia adeptus, funesta ejus habuit initia; amisso patre in cunis, matre domesticis dissidiis in exilium pulsa, republica civilibus turbis & procerum de ejus administratione contentionibus atrociter agitata. *Jacobo Stuarto Moravio & Matthæo Lenoxio* Proregibus, quorum ille avunculus, hic avus Regis erat, occisis, & *Johanne Areskino Com. Marriæ* probo & sagaci viro repentina sublato morte, *Jacobus Duglassius C. Mortoniæ* surrogatus fuit, qui cum partam sibi fortitudinis ac prudentiæ laudem avaritiæ sordibus contaminasset, ansam ordinibus præbuit, rerum administrationem ab eo in *Regem* ipsum, licet præ juventa minus capacem, utpote *duodecennem*, transferendi, atque duodecim è primatibus, qui terni singulis tribus mensibus alternatim Regi consilio adessent, denominandi, quos inter etiam *Mortonius* numerabatur. Is verò consortium impatiens gubernacula brevi ad se solum retraxit, Regemque sua in potestate in Sterlinii castro detinuit; qua re irritati Proceres arma ad illum liberandum corripuere, quibus cùm *Mortonius* se objecisset, legatus Anglicus mediator intervenie & æquas proponendo conditiones à pugna utramque partem continuit; sed *Mortonius* statim quasi rerum pertæsus se domum subduxit, & postmodum à *Jacobo Stuarto* (qui è familia *Ochiltraa* satellitii præfectus *Arania Comitis* titulum ex cessione sive vera sive ficta Jac. Hamiltonii, cui mentis impoti curator datus fuerat, occupavit) læsæ Majestatis postulatus conjectusque in carcerem, & conscientiæ cædis in Regis patrem patratæ convictus, capitali supplicio affectus est. Venit interea è Gallia in Scotiam *Esmaus Stuartus Albignius*, atque à Rege munere Camerarii Scotiæ & titulo Comitis deinde *Ducis Leviniæ* sive *Lenoxiæ* auctus, intimisque consiliis adhibitus, primum in ejus gratia locum consecutus est, nec minorem procerum invidiam excepit, qui Guisiis & Religioni Romanæ addictum huic in Scotiam reducendæ & Regi ab Anglis abstrahendo missum esse murmurarant, atque autore *Wilhelmo Ruthveno*, quem Rex nuperrimè *Comitem Gowriæ* creaverat, ad *Lenoxium* & *Aranium* à Rege submovendos consenserunt, unde opportunitate captata Regem ad Castrum *Ruthvenum* invitatum ibi detinuere, eumque, fidissimo quoque è ministris remoto, atque Aranio custodiæ mandato, *Lenoxium* in Galliam remittere coegerunt, ubi is paulo post fatis concessit. Hoc pacto interceptoribus in securitatem & certam de Rege in potestate sua retinendo fiduciam conjectis, ille ex inopinato in libertatem se vindicavit, atque in castrum *Andreopolis* cum paucis selectis subduxit, quo mox magna Nobilium turba ad ipsius tute-

(a) Tomb. des pers. ill. p. 318.

tutelam confluebat. Rex turbonibus illis aula excesse monitis *Jacobum Stuartum Aranlum* è custodia dimissum accersivit, eumque ad diluendas inimicitias, & intestina dissidia restinguenda adhibuit, gratiam quoque cunctis eam imploraturis obtulit. Quotquot autem illam aspernabantur & novis studebant rebus regno intra statutum tempus excedere jussit & *Comitem Gouvriæ*, qui solus remanere ausus est, tempori ad turbas redintegrandas insidiaturus, comprehensum & læsæ Majestatis à Paribus damnatum securi percussit. Icto deinde, anno scilicet 1586. ineunte Julio cum Regina Angliæ Elisabetha fœdere arctioris amicitiæ, spe successionis in regnum illud indignum matris suæ supplicium sequenti statim anno de ipsa ab Anglis sumptum, mussitavit, doloremq; e us admissa Elisabethæ excusatione intra pectus compressit; porrò cum Hispani magnæ molis bellum contra Anglos pararent, illos hostium loco habendos esse declaravit, atq; arma adversus eos magna expedivit alacritate, Legato Hispanico, qui eum ab Anglorum amicitia abstrahere conabatur montes pollicendo aureos, scire respondens: *se non aliud ab Hispanis beneficium expectare, quam quod Ulyssi Polyphemus promiserat, ut cæteris devoratis postremus deglutiretur.* Eodem fermè temporis tractu *Jacobus* ex Elisabethæ consilio *Annam* Regis Daniæ Friderici II. filiam in uxorem petiit, & voti damnatus cum sponsam in itinere vi tempestatis in Norwegiam conjectam, ibique tempus navigationi magis idoneum operiri accepisset, impatiens moræ ineunte hyeme in Norwegiam trajecit, & *Asllojam*, ubi illa subsistebat, inexpectatus venit, nuptiarumq; sollemnia ibidem peregit; Inde terrestri itinere in Daniam visendi affinis socrusq; ergò profectus, vere proximo in Scotiam renavigavit. Sedara jam in ea rerum perturbatione, cum nullum pii ac boni Regis officium in se desiderari passus esset, amicitiamq; cum Angliæ Regina omni coluisset studio, ad adeundam ejus successionem vocatus est, sed antequam id contingeret, gravissimo & præsenti vitæ discrimine ipso anno seculari defunctus, à *Johanne* & *Alexandro Ruthvenis* fratribus ipsi structo, qui ob supplicium, de patre Gouvriæ Comite, Rege nondum adulto, ex legibus sumtum, in ultionem inflammati, Regem optimè de se meritum, in castrum cui *Perth* nomen erat, insigni commento de homine, qui ingentem urnam auri plenam gestaret, in loco solitario deprehenso, illectum sceleratissime ad cædem destinarunt, eamq; perpetrassent, nisi Deus Regis ipsius colluctantis fortitudine, & *Joh. Ramsai* ac *Thomæ Areskini* tempestive subvenientium opera nefarium consilium in autorum capita vertisset. Illi enim inter scelus patrandum trucidati sunt, complices verò eorum capite luerunt, & Ordinum regni conventu bona illorum publicata, domus solo æquata, membra dissecta, per urbes contis defixa, & quotquot ex Ruthvenorum genere orti, gentilitium nomen deponere ad memoriam damnandam jussi sunt. Fusius rei seriem *Thuanus* (a) & *Jonstonius* (b) literis commendarunt. Postquam biennii spatio interjecto Elisabetha, Angliæ Regina vitam cum morte commutasset, *Jacobus* Londini faustis omnium acclamationibus *Rex Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ* promulgatus fuit; quo nuncio per *Robertum Careum* Equestris Ordinis sua sponte in Scotiam profectum nec non Legatos à Parlamento missos accepto, & rebus in Scotia firmatis atque ordinatis iter in Angliam d. 5. April. 1603. ingressus est, & d. 7. Maji *Londinum* delatus duplici statim conjuratione impetitus fuit; quibus detectis & cæde ac supplicio autorum (hi *Henricus Cobhami* Baro, *Georgius* ejus frater, *Thomas Grajus* & *Walterus Rallejus* erant) oppressis, *Jacobus* Westmonasterii cum *Anna* uxore, quæ interim è Scotia cum filio primogenito HENRICO FRIDERICO *Duce Rothesajæ* advenerat, in Regem ab Archiep. Cantuariensi *Johanne Whitgift* unctus est, & insignia regni sumsit, Rex exutis vestibus & acceptis à *Montiojo*, Hiberniæ nuper Prorege, ense regio, qui super altare strictus jacebat, aliisque insignibus de fide sua coram cunctis regni Ordinibus præfatus est, & post festas acclamationes in capite, fronte, pectore, intra humeros, in brachiis, manibus & pedibus unctus fuit, Regina tantum in capite & cervice uncta est. Inde ad Londinensem arcem ventum, in qua inaugurationis novissima uterque consummavit. Ita enim vetusta apud Britannos opinione receptum est, ut ex eo loco Principatus jurisdictio auspicia legitima accipiat & incipiat. Sequenti anno in comitiis imperium Angliæ miro Ordinum consensu sibi sobolique suæ constabilivit, utque innatam inter Anglos & Scotos antipathiam evelleret atque utramq; gentem in unum veluti corpus uniret, post longam disceptationem sua autoritate obtinuit, ut abolitis Angliæ ac Scotiæ nominibus *Magnæ Britanniæ* titulus reciperetur. Hinc nummi argentei & aurei cusi, cum effigie Regis ac inscriptione tali: *Quæ Deus conjunxit, nemo separet. Tueatur Unita Deus! Faciam eos ingentem unam. Henricus Rosas. Regna Jacobus.* Postremum hoc lemma Poëta quidam hoc explicuit epigrammate:

Cum triplici fulvum conjunge Leone Leonem,
ut varias atavus junxerat ante Rosas.
Majus opus, varios sine pugna unire Leones
sanguine quam varias consociasse Rosas.

Prorogatis post illa comitiis ad diem tertium Octobris, deinde in quintum Nov. a. 1605. *Conjuratio* detecta est omnium, quæ nostri & prisci ævi temporibus memorantur, consilio, audacia, immani-

(a) *Hist. Lib. 124.* (b) *Hist. rer. Brit. Lib. 8.*

manitate maxime admiranda, nimirum *pulveraria*, à *Roberto Catesbio* & *Francisco Treshamo* nobilibus, consilia operamque commodantibus Pontificiis & personatis quibusdam Jesuitis, qui in Angliam irrepserant; hi Regem cum prole sua ac universum Parlamentum uno ictu fulmineo è medio sublaturi domui Westmonasteriensi, in qua id celebrari solitum, acto cuniculo ingentem pulveris nitrati vim subjecerant, & die, qua Rex cum familia mascula, secretioris consilii Episcopi, Proceres, Nobilitas Anglicana, primarii Magistratus & delegati ex provinciis oppidis ac pagis in ea conventuri erant, igne subdito universos ejusdem ruinæ involvere ruderibus secum constituerant, sed ipsorum conjuratorum importuna cura, qua Baronem Montaquilinum sibi amicum, ne ea die comitiis interesset, monuerunt, res patefacta atque ad Regem Ordinesque prolata est, & repertis in crypta subterranea horrendis diri sceleris instrumentis, iisque protinus sublatis, autores ejus atq; administri, qui in Vigorniam fugam capessiverant, partim inter pugnandum occisi, partim comprehensi condigno affecti sunt supplicio, atq; ad æternam sceleris ignominiam dies, quo tam immanis conjuratio facta est aperta, quæ d. 5. Nov. a. 1605. erat, comitiali autoritate sacer decretus fuit. (a) Hoc temporis tractu, pax cum Hispanis conclusa est, matrimonio inter HENRICUM FRIDERICUM Principem Walliæ & *Isabellam* Hispaniæ Infantem confirmanda, quod tamen præmatura illius morte, quam è febri maligna anno ætatis duodevigesimo obiit, eventu caruit. Rex autem, quia facta cum Iberis pace & reconciliatis æmulis Principibus Jani fores clausit, *Pacificatoris* cognomen obtinuit, hoc ex genio ac indole sua Symbolo usus: *Beati Pacifici*. Postmodum retinendis in officio Hibernis & speciatim Ultoniæ incolis, novam a. 1611. instituit dignitatem, eamque hæreditariam *Baronettorum*, quæ per diploma majore sigillo signatum conferebatur Nobilibus, qui ad Hiberniæ & inprimis Ultoniæ defensionem continuo triennio XXX. milites alere recipiebant; hinc eis potestas facta *Ultoniæ insignibus*, quæ *manum sinistram coccineam in area argentea* repræsentabant, gentilitia augendi, mediusque locus inter Barones & vulgus Nobilium assignatus est. Extrema R. Jacobi cura fuit, ut filio & regnorum hæredi uxorem se dignam conciliaret, & destinavit ei instinctu Legati Hispanici Comitis *Gundamari*, qui ipso pro rota usus esse fertur, *Mariam* Philippi IV. Regis Hispan. sororem tanta cupiditate, ut filium ipsum in Hispaniam ablegaret, addito ei *Georgio Villers Marchione Buckingamiæ*, quem è mediocri conditione ad amplam fortunam, & intimam familiaritatem, postquam ea *Robertus Carr* genere Scotus & C. Somersettiæ creatus excidisset, provexerat, *Ducis* insuper titulo deinde auctum. Magnifice & perbenigne in Hispania exceptus atque habitus est Walliæ Princeps speque nuptiarum repletus, verum orto inter Bukingamium & Comitem Olivarium præcipuum aulæ Hispanicæ ministrum dissidio, cum illarum consummationem Hispani nova quotidie prætexendo extraherent, moræ impatiens re infecta discessit, deducente eum & verbis amicitiæ ac bonæ spei plenissimis dimittente Rege Hispan. Philippo IV. à quo primo à Mantua Carpetanorum milliari, quo loco disjuncti invicem Principes, columna cum inscriptione (b) in rei memoriam posita fuit. Redux in Angliam factus Walliæ Princeps animo prope immutato parentem quoque ab Hispanis alienatum, atque indignatione erga Gundamarum, à quo verba sibi data esse querebatur, accensum offendit; hinc licet Hispani accepta à Papa Urbano VIII. bulla dispensatoria nuptias perfici desiderarent, ille mandato ad Comitem Bristolium Oratorem suum dato vetuit de illis agere, nisi gener ipsius Elector Palatinus, ditionibus suis tunc ab Austriacis exutus, in integrum restitueretur, atque explosa ab illis hac petitione, pacis fœdus omneque de matrimonio commercium dissolvit, & generi defensionem armis suscipere secum constituit, quam tamen pro innata à bello aversione cunctabundus & fluctuans animo adornavit, tandemq; hanc provinciam in Regem Daniæ transtulit. Vice tamen gnatæ generique sollicitum & pacis amore bellique metu distractum langvor invasit, qui cum in febrim degenerasset, vi morbi oppressus in ædibus *Theobaldinis* sexagenarius decessit, *Westmonasterii* in conditorio R. Henrici VII. proavi sui tumulatus. Statura fuisse dicitur justa, formaque corporis decenti, sed vergente ætate crurum gracilitate, & ventris obesitate laborasse; ingenio & eloquentia præstanti, quam non tam institutione ac literis, quam vi naturæ, usu ac memoria singulari consecutus sit, libris etiam scribendis delectatus, quales sunt ille *de Jure Regio* adversus Cardinalem Perronium & alius quem *Δῶρον βασιλικόν, Donum Regium*, inscripsit, unde doctissimi Regum nomen promeruit. (c)

CAROLUS I. Regum infelicissimus titulum *Ducis Albaniæ* gessit antequam parenti ipsius Angliæ Regnum obtigisset, exinde enim *Dux Eboraci*, & defuncto fratre natu majore *Princeps Walliæ* dictus est. Cum ætatis anno XXIII. in Hispaniam matrimonii cum Maria Austriaca contrahendi causa profectus Galliam dissimulata transiisset persona, Lutetiæ oculos animumque in *Henricam*, Regis Ludovici XIII. sororem, conjecit, eamque nuptiis illis in irritum, ob causas jam memoratas, redactis in uxorem per Comites Holandiæ & Carliliæ petiit atque obtinuit; solemni deinde cerimonia in æde Parisiorum cathedrali, interveniente pronubo Claudio Lotharingo Caprusio sibi desponsatam, atque in Angliam transvectam Doveriæ magna excepit pompa & Cantuariam deduxit, ubi nuptias magnificentissime cele-

(a) *Vid. Thuan. L. 135. & Johnston. Lib. 12.* (b) *Vid Gramond. Hist. Gall. Lib. 13.* (c) *Johnston. Lib. 20. & passim. Sandford Geneal. Hist. Angl. Lib. 7. cap. 1.*

JACOBUS cogn. Stuart **REX MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ,** Defensor Fidei, Henrici Stuarti Darlæi & Mariæ Stuartæ Regum Scotiæ F. n. 19. Jun. 1566. coron. Rex Scotiæ 28. Jul. 1567. Angliæ 25. Jul. 1603. † 27. Mart. 1625.

Henricus Fridericus Pr. VValliæ Dux Cornubiæ & Rothesajæ, Com. Cestriæ n. 19. Febr. 1594 † 6. Nov. 1612.

Robertus † infans

Elisabetha n. 19. Aug. 1596. nup. *Friderico V. Elect. Palatino 14. Febr. 1613.* † 13. Febr. 1662.

Margarita n. 14. Dec. 1598. † infans.

Carolus n. & † 18. Mart. 1628.

CAROLUS II. REX M. BRIT. FR. ET HIB. n. 29. Maji 1630. coron. 23. April 1661. † 6. Febr. 1685. *Catharina Johannis IV. R. Lusit. f. m. Majo 1662.*

Maria n. 4. Nov. 1631. nup. *Wilhelmo Nassov. Pr. Arausi.* 2. Maji 1641. † 24. Dec. 1660.

WILHELMUS HENRICUS Pr. Arausion. & Nassov. n. 14. Nov. 1650. REX M. BRIT. FR. & HIB. coron. 21. Apr. 1689.

ei die 4. Nov. 1677. ducta est

MARIA STUARTA n. 30. Apr. 1662. REGINA M. BRIT. FR. ET HIBERN. coron. 21. Apr. 1689

Carolus D. Cantabrig. n. 22. Octob. 1660. † 5. Maji 1661.

Jacobus D. Cantabrig. n. 12. Julii 1663. † 20. Jun 1667.

Anna, n. 6. Febr. 1664 nup. *Georgio Princ. Daniæ, Duci Cumbriæ, Com. Kendaliæ* 17. Aug. 1683.

Exanimus 1. Nov. 1687.

Anna Sophia, n. 19. Maji 1686. † 11. Febr. 1687.

Maria, n. m. Jun. 1685. † 18. Febr. 1687.

Wilhelmus Dux Glocestriæ, n. 3. Aug. 1689.

Anna Friderici II. R. Dan. f. 20. Aug. 1590. † 2. Mart. 1619.

CAROLUS REX M. BRITANNIÆ FR. ET HIB. n. 19. Nov. 1600. coron. 2. Febr. 1626. † 30. Jan. 1649. *Henrica Maria, Henrici IV. R. Fr. f. 1. Maji 1625. † 10. Aug. 1669.*

Maria n. m. Mart. 1605. † 16. Dec. 1607.

Sophia n. & † 21. Jun. 1606.

JACOBUS II. antea Dux Eboraci postea REX M. BRIT. FR. ET HIB. n. 14. Oct. 1633. coron. 23. Apr. 1685. exauctoratus 18. Febr. 1689.
1. *Anna Hide Eduardi Com. de Clarendon f. † 31. Mart. 1671.* 2. *Josepha Maria d' Este Alphonsi D. Mutin. f. 21. Nov. 1673.*

Elisabetha n. 28. Dec. 1635 † 8. Sept. 1650.

Anna n. 17. Mart. 1637. † 8 Dec. 1640.

Henr. D. Glocestr. n. 8. Jul. 1640. † 13. Sept. 1660.

Henrica Maria n. 16. Jun. 1644. nup *Philippo de Francia D. Aurel.* 31. Mart. 1661. † 10. Jun. 1670.

Carolus Dux Kendal. n. 9. Jul. 1666. † 22. Maji 1667.

Edgarus D. Cantabrig. n. 14. Sept. 1667. † 8. Jun. 1671.

Henrica, n. 13. Jan. † 15. Nov. 1669.

Catharina, n. 9. Febr. † 5. Dec. 1671.

2. Carolus D. Cantabrig. n. 7. Nov. † 12. Dec. 1677.

Catharina Laura n. 10. Jan. † 3. Oct. 1675.

Isabella n. 28. Aug. 1676. † 2. Mart. 1681.

Carola Maria n. 15. Aug. † 6. Octob. 1682.

LIBERORUM NATURALIUM R. CAROLI II. series.

Ex *Lucia Walters* sive *Barlovv fœmina Wallensi* †	Jacobus *Fitz-Roy* n. Roterodami $\frac{9}{19}$. April. 1649. cr. a. 1663. B. de Tinedale Vicecom. Doncaster, & D. de Monmouth in Anglia & de Buckleugh in Scotia M. Camerar. Scotiæ, Hipparchus Angliæ, & R. Carolo II. à conf. secret. *Eq. Periscel. decoll.* 25. Jul. 1685. Londini.	Carolus Scot. C. de Doncaster n. 14. Aug. 1672. † 9. Febr. 1674. Jacobus Scot. C. de Doncaster, n. 23. Maji 1674.
	Anna Scot, Francisci C. de Buckleugh fil. & hæres.	Anna Scot. n. 17. Febr. 1676 † 22. Aug. 1685. Henr. Scot. n. 5. Sept. 1677 Francisc. Scot n. 28. Mart. 1678. † 14. Dec. 1679.
Ex N. *Green.*	Carolus *Fitz-Charles* cr. B. de Dartmouth Vicec. de Tornefs & C. de Plimouth 1675 † Tangerii 17. Nov. 1680. *Brigita Osburne Thomæ C. de Danby f.* 29. *Sept.* 1678.	
Ex *Barbara Villiers* Wilhelmi Vicec. Grandison in Hib. filia, Rogeri Palmer C. de Castlemain uxore, creata à R. C. II. initio *Bar. de Nonsuch* post *Com. de Southampton* & denique *Ducissa de Cleveland.*	Carolus *Fitz-Roy* cr. B. de Nevvberie C. de Chichester & Dux de Southampton 1675. *Eq. Periscel.* 1672.	
	N. *Henrici VVood fil.* †	
	Anna nup. *Thomæ Leonard C. Suffexiæ* 1674 1674.	
	Henricus *Fitz-Roy* cr. B. de Sudbury Vicec. d'Ipsvvich C. d'Evvston 1672. Dux de Grafton 1675. *Eq. Perisc.* 1680. *Isabella Benet Henrici C. d'Arlington f.* 16. Nov. 1679.	Carolus cr. C. d'Euston n. Nov. 1683.
	Barbara nup. *Eduardo Henrico Lee Com. de Lichfield.*	
	Georgius *Fitz-Roy* cr. B. de Pontfract Vicec. Falmouth, Comes & denique Dux Northumbr. 1675. *Eq. Perisc.* 1684. *N. de Lucy, Capitanei f.* 1686.	
	Carola.	
Ex N. *Shamron.*	Carola, Ux. *Wilh. Paston C. de Tarmouth.*	
Ex N. *Davis fœmina Comica.*	Maria Tudor nup. *Francisco Radcliff C. de Dervventvvater* 28. Aug. 1687.	
Ex *Eleonora Gvvinn* ejusdem cum priore generis, † m. Nov. 1687.	Carolus Beauclair cr. B. d'Hedington, C. de Burford 1676. Dux de S. Alban 1684.	
Ex *Aloisia de Queroualle Gallo-Britanna*, creata primo *Bar. de Petersfeild* post *Duc. de Portsmouth* 1673.	Carolus Lenos cr. B. de Settrington, C. Marchiæ Dux Richmondiæ 1675. *Eq. Periscel.* 1681.	

LIBERI NATURALES R. JACOBI II.

Ex *Arabel. Churchill, sorore Johannis Bar. Churchill.*	Jacobus Fitz-James Dux de Bervvick Comes de Tinmouth, Baro de Bosiorth cr. m. Mart. 1687. *Eq. Perisc.* 1688.	
	Henricus Fitz-James *Eques Melit.*	
Ex *Catharina Sidley* creata *Comit. de Dorchester, Bar. de Arlington.*	Filia nupta *Henrico Baroni Waldegrave.*	
	Filia.	

celebravit ac peregit. Coronatus atque inunctus à *Georgio Abbot*, qui tunc Cantuarienſi Eccleſiæ præerat, claſſem inſtruxit, qua Hiſpanis bellum inferret, ſed ea Gadibus fruſtra tentatis, & naves Hiſpanicas ex India redeuntes intercludere incaſſum conata, primam Caroli expeditionem infauſtam atque ingloriam reddidit, in omen improſperi regiminis acceptam. Intra quartum imperii annum Parlamentum ter convocavit, totiesque propere diſſolvit, eo quod ordines ſubſidium argentarium poſtulanti denegaſſent, donec Bukingamius, qui Regis gratia florebat, rationem pecuniæ publicæ reddidiſſet, & de iis quæ multa & gravia objectata ei fuere, ſufficienter ſe purgaſſet; ægre autem illi ferebant, toties conveniſſe & nulla re ſalutari, è qua emolumentum respublica caperet, acta diſcedere coactos eſſe, an ſamque indearripiebant quotquot novis ſtudebant rebus, differendi Regem apud plebem, quaſi gratioſi ſui majorem quam egregii publici rationem haberet, neque etiam circa religionem ſibi conſtaret; id quod Presbyteriani præprimis exaggerabant, Regem, quia Epiſcopalibus faveret, pariter ac miniſtros ejus & extantiores Epiſcopos religioni Romanæ haud obſcuris indiciis addictos eſſe, ac fore tandem, ut cum progreſſu temporis omnes Pontificios evadere oporteret, murmurantes, & reperiebant eo facilius fidem, quo liberius & licentius Pontificiis, & reginæ miniſtris, quos illa è Gallia ſecum deduxerat, in Anglia agere permittebatur. Quantumvis verò Rex demulcendis factioſis reginæ miniſtros ad ſuos redire lares poſtea juſſerit, proindeque cum Galliæ Rege colliſus Proteſtantibus ab illo afflictis naves militesque Bukingamio ductore auxilio miſerit, infelici tamen eventu, & clade Anglis ad Radeſianam inſulam illata factum eſt, ut non tantum Bukingamius ejus culpam ſanguine ſuo expiaret, ſed etiam mala erga Regem voluntas in plerorumque animis augeretur potius quam decreſceret, omniaq; e publicis perſtreperent querimoniis. Ex his ſcintillis immane illud exarſit incendium, quo omnis Britannia poſtea flagravit, quodque occaſione Scoticæ rebellionis a. 1637. factæ prorupit. Nimirum rogatus Rex à Scotis, ut copiam ſui ipſis faceret, profectus illuc eſt, & coronatus ſollemni ritu Edenburgi d. 18. Jun. 1633. Parlamentum egit, quo antiquiora quædam ſtatuta reſtauravit ac confirmavit multorũ ingratiis, qui Epiſcopatus amore id fieri obſtrepebant, cumque ille Londinum reverſus librum *Liturgiarum* ſive *Communium precum & officiorum* in Anglia receptum Scotis obtuliſſet, ut eo uterentur, & quandoquidem ſub uno cum Anglis Rege eſſent, una etiam religione, & iisdem circa eam ritibus continerentur, illi non detrectarunt tantum, ſed & damnarunt librum, tanquam Miſſali Romano affinem; porro ſolemni fœdere pro religione & libertate adverſus Epiſcopale regimen inito, & electo in ducem Alexandro Leſleo arma corripuerunt, Regemque cum copiis adverſus ipſos profectum, ſed malevolis ſuorum animis jam obrutum, ad pacem qualemcunque adegerunt. Renovatis poſtea turbis exercitum regium, quem Baro *Convvay* ductabat, ad *Tynam* amnem d. 28. Aug. a. 1640. adorti fuderunt & fugarunt, quo audito Rex Eboracum ſe recepit, & Parlamentum, quod poſtulabant, ad diem III. Novembris indixit. In eo autoritas regia nimium quantum jam debilitata prorſus enervata eſt, lata primo lege de Parlamento tertio quoque anno convocando, deinde de præſenti nunquam diſſolvendo ſine utriusque domus conſenſu, & utraque Regis aſſenſu & ſigillo corroborata. Hoc peracto vix quidquam amplius moderati habuit Parlamentum, & Presbyterianis quibusdam Paſtoribus, qui tanquam ſeditioſi exilio multati fuerant, revocatis *VVilhelmum Laud* Archiepiſcopum Cantuarienſem, nec non *Thomam VVentvvorth* Comitem Straffordiæ, ſibi inviſos, eo quod Regi eximie chari eſſent, perduellionis poſtulavit atque in carcerem conjecit, nec ita multo poſt poſteriorem capitali affecit ſupplicio, coacto prius Rege ut ferali ſubſcriberet ſententiæ. Cum deinde Pontificiorum in Hibernia rebellio erupiſſet, qua ingens Proteſtantium multitudo trucidata fuit, neque illa ſatis vindicata fuiſſe Anglis Scotisque videretur, vehementer iterum exacerbatum Parlamentum anſam arripuit fœderi Scotico aſſentiendi, Epiſcopos, quos tanquam æmulos Papatus omni turbarum culpa onerabant, dignitate & ſuffragio, quod in comitiis habebant, exuendi, & ſatellitium armatum ad ſui cuſtodiam comparandi. Poſt illa aliaque præludia in apertam denique rebellionem res exarſit: nimirum cum d. 4. Januar. 1642. Rex eum armata militum manu Weſtmonaſterium in *domum Communium*, ceu vocant, veniſſet, quinque viros, membra hujus ſenaculi, quos tanquam læſæ Majeſtatis puniri fruſtra poſtulaverat, comprehendendi cauſa, in apertam privilegiorum Parlamenti violationem id rapuere inferiores ordines, armisque correptis, & tumultuario exercitu collecto Regem adegerunt, ut cum regina & ſobole ſua ex urbe Hamptoncuriũ propere ſe reciperet, unde regina cum gnata eaque ſponſa Principis Arauſionenſis in Belgium trajecit, Rex autem *Hullam* profectus, ea à Johanne Hothamio juſſu Parlamenti excluſus eſt. Deflexit itaque Eboraeum atque emiſſis per omnem Angliam literis Equites Auratos ligiosque homines ad ſe evocavit, & vexillum Nottingamiæ erexit, auctusque multorum etiam utriusque Cameræ membrorum confluxu d. 21. Aug. delectum egit, & *Robertum Berty Comitem de Lindſey* exercitui ſuo præfecit, cum Parlamentarii terreſtri militiæ *Robertum Devereux, Comitem Eſſexiæ*, maritimæ autem *Rob. Rich Com. VVarvvici* præpoſuiſſent, ſimulac caſtra caſtris collata fuere, ad manus ventum & juſto prælio decertatum

ratum est d. 28. Oct. in Warwicensi diœcesi ad collem *Edgehil* dictum, quo communis fere Mars utramq; aciem pari clade prostravit; felicius die XIII. sequentis mensis apud *Brainfordiam* à regiis pugnatum fuit, absente tunc à suis Essexio, sed mox ad famam hujus conflictus advolante & tantum Regi terrorem incutiente, ut is fructu victoriæ suæ neglecto Eboracum fugienti similis abiret. Auctus verò novis copiis à Regina in Angliam reversa, nec non à Colonello *Goring* adductis, in conspectum hostium prodire, iterumque prælii aleam tentare sustinuit, quod die 20. Sept. a. 1643. prope *Nuberiam* contigit, eo eventu, ut utraque pars victoriam sibi adscriberet. Cum deinde Scotorum copiæ Parlamentariis ex fœdere auxilio advenissent, Rex Marchionem Montrosium cum parte exercitus misit, ut Scotiam defensoribus vacuatam occuparet, cujus prosperos successus clades regiis apud *Morsten Moor* d. 3. Jul. a. 1644. illata, & secuta Eboraci deditio contaminarunt. Paulo post die scilicet XVII. Octobris secunda vice prope *Nuberiam* & pari atque antea fortuna pugnatum fuit. Ea tempestate à Parlamento in nonnullos sibi suspectos aut invisos suppliciis sævitum, & post *Hothamos* patrem ac filium etiam Cantuariensis Præsul *Wilhelmus Laud*, in custodia diu habitus, & ætate LXVII. annorum verendus, capite truncatus est. Essexius interea missionem petiit atque obtinuit, successorem in præfectura militiæ Parlamentariæ nactus *Thomam Fairfax*, cui Legati titulo *Oliverius Cromvvell* associatus fuit. Hi copias regias apud *Nasebium* d. 14. Jun. 1645. adorti, eas prope ad internecionem cæciderunt, pleraque oppida, quæ à Regis partibus steterant, & denique Oxonium expugnarunt, illumque eo angustiarum redegerunt, ut ementitis vestibus effugere, & Scotis, qui tunc Montrosio ejusque exercitu fuso fugatoque *Neuarckum* obsidebant, se concredere necessum haberet, à quibus multa cum reverentia exceptus oppidum eis dedi, Montrosium autem arma deponere & regno excedere jussit. Deductus inde ad *Novum castrum*, postremo Anglis traditus aut potius venditus fuit, à quibus Hottenbæum, illinc Hamptoncurtium & porro in *Vectim* insulam deportatus, undarum & Hammontii tribuni custodiæ relictus est. Londini interim à bene multis, qui Regis vicem dolebant, consilia de ejus restitutione & pacis conditionibus agitabantur, quæ cum ad optatum vergerent finem, militum ac tribunorum, in quorum potestate Rex erat, intercessione eversa sunt; hi enim exhibito libello multis in eum criminationibus referto, vocari illum in jus & cognosci de criminibus ipsius postularunt; à qua re cum pleriq; abhorrerent, *Fairfaxius* & *Cromvvellus* Londinum advolarunt & urbe occupata, quotquot factioni suæ adversabantur, auribus prehensos è senaculo ejecerunt, eorumque subsellia hominibus sibi & Independentium sectæ addictis repleverunt. Hæc dum geruntur, Rex *Hurstum* (ubi librum cui titulus εἰκὼν βασιλικὴ conscripsit) porro *Windsoriam* & denique *Londinum* ductus, atque coram tribunali à domo Communium erecto reus actus, multorumque criminum postulatus fuit, præcipue horum; quod Religionem in Anglia receptam eversum ivisset, quod diræ sanguinis effusioni tam in Anglia quam in Hibernia causam præbuisset, Parlamenti exitium intentasset, & populum subinde novis contributionibus expilasset. Has ad accusationes Rex respondere jussus, cùm interrogasset, *qua autoritate se Regem ipsorum ac Principem legitimum in jus vocassent*, prætereaque improbitatem eorum coarguere occepisset, interpellatus fuit à Præside Joh. Bradshau superba obstrepente voce; *ut dictionem causæ potius meminerit; curiæ enim de autoritate sua abundè constare & usque adeò ut rationem ullam de potestate ejus detrahentem nec auribus quidem admittat. Ecquod verò*, regessit Rex, *in universo terrarum orbe reperitur judicium, in quo rationi non sit relictus locus? omninò*, respònsavit Præses, *hoc ipsum judicium hujus esse farina deprehendes*. Institit tunc Rex & flagitavit, ut facultas sibi daretur, rationes suas scripto exhibendi; at non denegavit id tantum Præses, sed exarsit etiam iracundia, captivumque amoveri jussit; ad quæ Rex hæc solummodo verba regessit: *mementote Regem vestrum esse, à quo aures avertitis, frustra profectò subditi mei justitiam à vobis expectabunt, quorum aures ne quidem Regi vestro, causam suam orare parato, patent*. (a) Advenit tandem nefandæ rei & nullius exempli dies (erat XXVII. Januar. a. 1649.) qua trium regnorum Rex à subditis suis altæ proditionis, tyrannidis & violatarum patriæ legum reus pronunciatus atque ad mortem condemnatus fuit; hanc ille triduo abhinc post ultimum Vale *Henrico* & *Elisabethæ* liberis suis, qui in Anglia remanserant, dictum & orationem memorabilem ad populum è ferali pegmate habitam, forti ac infracto animo subiit. Corpus ejus in plumbeo loculo expositum, septimo demum Februarii à Duce Lenoxiæ, Marchione Hertfordiæ nec non Comitibus Lindseiæ & Suthamptonii Vindsoriam devectum, ibidemque in æde *S. Georgii* terræ mandatum fuit, affixa capulo lamina, cui inscriptum KING CHARLES, 1649. Celebratur ab Anglis memoria diei illius annuo jejunio cum titulo *Martyrii Regis Caroli*, quod etiam imagine ejus in Bursa regia imposita expresserunt his verbis: *Carolus primus, Monarcharum Magnæ Britanniæ secundus, Franciæ & Hiberniæ Rex, Martyr ad cœlum missus penultimo Januarii 1649*. Fuisse in eo prædicantur omnes naturæ pariter atque animi dotes: decens corporis habitus, temperantia & continentia mira, comitas ac mansuetudo singularis, bonitas modum prope excedens, ingenium felix, judicium soli-

(a) *Sanderson Hist. of the Reigne of King Charles pag. 1126.*

solidum, facundia nobilis; aderat tamen his virtutibus pervicax ad ea, quæ animum induxerat, voluntas, notante *Wilhelmo Sanderson* Armigero, qui vitam ejusac regnum Anglicis literis posteritati commendavit.

CAROLUS II. ab ineunte pubertate consors paternæ calamitatis castra secutus est, vixq; duodecennis primo cum Parlamentariis prælio ad *Edgehil* commisso interfuit, strenuæ indolis & excelsi animi speciminibus editis. Oxonii deinde sub moderamine Wilhelmi Seimori M. Hertfordiæ biennii spatio commoratus, copias parentis in parte Angliæ occidentali rexit; invalescente autem adversariorum potentia è Cornubia in insulam *Scilly*, inde Jarsejam, porroque in Galliam, ubi mater ipsius tunc subsistebat, transvectus est. Accepto postmodum nuncio de genitoris captivitate in Vecti insula naves aliquot contraxit, quibus custodia eum eximere & in libertatem restituere irrito successu molitus est. Illo deniquè indigna nece è vita sublato, & Monarchia Anglica in reipublicæ formam redacta, à Batavis, apud quos ea tempestate agebat, *Rex* tamen salutatus est, atque à Scotis evocatus, mare mense Junio a. 1650. feliciter trajecit; quantumvis autem altero abhinc mense copiæ ipsius gravi à Cromwello, Generali exercitus Reip. clade affectæ fuissent, nihilo tamen secius ineunte anno sequenti à Scotis in *Regem* ea qua fieri potuit solemnitate *Schonæ* inauguratus est. Coactus postea Anglorum potentia in Borealem Scotiæ regionem recedere, cum isthic subsistendi rationem nullam reperiret, bellum in Angliam transferre statuit, iterque ex inopinato ingressus Wigorniam usque penetravit, ubi collatis cum Cromwello signis eadem die 3. Septemb. quâ superiore anno adversâ pugnaverat fortuna, postacre & pertinax certamen victus iterum fuit, plerisque suorum aut cæsis aut captis, ipse cum nullum nec ducis nec militis officium reliquum fecisset, hostium manibus se subduxit, & sociis derelictis per avia & incerta vagatus, aliquantulùm temporis *Boscobellæ* in Salopia apud *Penderellos* fratres (ubi integrum aliquando diem in frondosi roboris cacumine consumsit) deinde *Trentæ* in villa *Windhami* prope Dorcestriam, porrò *Healiæ*, quæ intra primum à Sarisburia lapidem sita à vidua nomine *Hida* incolebatur, delituit; donec post multa discrimina mira fortunæ benignitate superata, & Cromwello caput ejus frustra licitato navigium *Brighthelmstedii* in Sussexiæ litore nactus est, quo feliciter æquor trajecit, & Fecani in Normannia exscensionem fecit, *Henrico Barone Wilmoto* ductore individuo & fidelissimo usque usus. Neque verò longum in Gallia commorandi spatium *Carolo* concessum est: Mazarinus enim, penes quem tunc rerum Gallicarum arbitrium erat, Cromwellum, qui recens Protector trium regnorum constitutus fuerat, amicum habere cupiens, abitionem illi indixit; profectus itaque est in Germaniam, deinde in Flandriam & denique in Hispaniam, summatium virorum auxilia ubique implorans, & amicorum suorum in Anglia molimina saltim animo & ingenio sustentans, donec destituto Deus ex machina præsto esset. Nimirum *Oliverio Cromwello* die 3. Sept. 1658. rebus humanis exempto, ejusque filiis *Richardo* & *Henrico*, quorum ille in Protectoratum successerat, huic Hiberniæ præfectura delata erat, exauctoratis, cum plures ex tribunis libido dominationis capiundæ invasisset, fessos tandem civilibus discordiis Anglos ingens regii imperii desiderium cepit, quo stimulante Parlamentum liberum, invitis Fleedwoodo, Lamberto, aliisque qui tumultibus alebantur, indictum, in eo consilium de revocando ad regna avita *Carolo* captum, isque d. 18. Apr. a. 1660. publice per fecialem *Rex* proclamatus est, qua in re inprimis *Thomæ Monkii* nec non *Eduardi Montacuti* quorum ille militiæ Scoticæ hic navali præerat, virtus ac fides enituere. Eo temporis tractu *Carolus* Bredæ degebat, accepto autem rerum Londini peractarum nuncio Hagam Comitis se contulit, festis Ordinū fœderatorum gratulationib9 exceptus, cumq; paulo post Anglica classis, à Montacuto jussu Parlamenti instructa, & Regiis insignib9 exornata ad litora Batavorum appulsa esset, navim Schevelinge d. 23. Maji inter tubarum clangores & tormentorum tonitrua conscendit, factaque abhinc biduo Doveriæ exscensione Londinum ipso natali suo die magna pompa & faustis acclamationibus ingressus est. Ita recuperato avito throno sola supremi rerum arbitri providentia, sine ulla vi & armorum impetu, nulloque externo auxilio, regnum remque publicam & aulam suam ordinavit, & bene de se meritos honoribus extulit. Inauguratus postea & coronatus pristinum Ecclesiæ regimen restauravit, Episcopos per omnem Angliam constituit, eandemque formam in Hibernia & denique in Scotia introduxit ringentibus Presbyterianis, & turbas brevi quidem oppressas cientibus. Quæ porro imperio constabilito gesserit, qua ratione quaque fortuna bellum Hollandis a. 1665. intulerit, idque post ruptum Triplex fœdus a. 1672. redintegraverit, quàm misero & vasto incendio regni metropolis a. 1666. à die secundo usque ad sextum Septembris flagraverit, quæ tragœdiæ extremis vitæ ipsius annis horrendis *Titi Oates* de conjuratione adversus regnum regiamque domum instinctu Jesuitarum facta delationibus effectæ, quæ denique à Monmuthio filio naturali molestiæ ipsi exhibitæ fuerint, cum hæc omnia aliaque animis & memoriæ plerorumque inserta adhuc sint, stylo ea signare supersedemus. Explevit tandem Rex Carolus II. vitæ munus, quinque supra quinquaginta annos

L natus

(a) Sandford. Lib. 4. c. 2.

natus, apoplexia eaque recidiva oppressus, & septimum post diem Westmonasterii majorum tumulis illatus est. Statura fuit procera atque ad dignitatem apposita, colore fusco, vultu fere adducto, fronte gravi, natura ad melancholiam proclivi, ita tamen ut à voluptatibus non abhorreret. (*a*) Prolem legitimam nullam genuit, idque declaratione publice d. 30. Mart. 1679. edita, & in Codicem Consilii secretioris relata (*b*) affirmavit, naturales autem liberos complures utriusque sexus procreavit, ex diversis matribus natos, quos ad titulos honoresque amplissimos provexit, quemadmodum *Tabula* XIII. qua series eorum recensetur, videre est.

JACOBUS II. qui fratri in Magnæ Britanniæ regna successit, cum decennis esset, *Dux Eboraci* à parente sollemni ritu Oxoniæ creatus fuit, duodecennis in Parlamentariorum potestatem, deditione urbis modo dictæ facta, una cum fratre HENRICO & sorore *Elisabetha* pervenit, & Londinum ductus Algernonem Northumbriæ Comitem custodem accepit, quo deluso muliebrem indutus vestem d. 20. Apr. 1648. evasit, atque à Bampfieldo tribuno trans mare Hagam Comitis ad Principissam Arausionensem sororem suam, indeque Lutetiam Paris. ad reginam matrem deductus est, ubi omnibus disciplinis ac gymnasmatibus se dignis imbutus & probe exercitus militiæ rudimenta sub Turenio, clarissimo Imperatore, edidit, & Gallis adversus Hispanos volo militavit, donec fœdere inter Mazarinum & Cromwellum inito Gallia excedere coactus fuit; exinde enim in castris Johannis Austriaci Belgii Præsidis versatus arma contra Gallos tulit. Crebrescente verò fama de rerum in Anglia conversione ac inclinatione ad Batavos fratrem natu majorem comitatus est, à quo simul ac ipsius in regnum avitum restitutio certis allata esset nunciis, titulo *Comitis Ultoniæ* in Hibernia, nec non dignitate *supremi Ammiralii Angliæ* auctus fuit. Suscepto deinde à Rege bello adversus Fœderatos Ordines officii illius munia impigrè obiit, atque in expeditione anni 1665. insignis victoriæ de hostibus reportatæ decus gloriamque retulit. Renovato etiam a. 1672. cum iisdem bello classem Anglicam rexit, ancipitisque pugnæ d. 29. Maji commissæ maximum extitit momentum. Post pacem Neomagensem cum famosus ille delator *Titus Oates* omnem Angliam suspicionibus, diffidentiis, timoribus atque odiis erga Pontificios replevisset, proindeque à Rege comitia Parlamentaria ad mensem April. a. 1679. indicta & acta fuissent, edita sunt ab inferiore domo literæ signatæ, quibus Duci Eboracensi, co quod ab Anglicana Ecclesia ad Romanam descivisset, jus succedendi in regnum Angliæ abrogabatur. (*c*) Paruerat ille ante comitiorum initia tempori ac Regi, in Belgium cum uxore liberisque digressus, & Bruxellis aliquot menses exegit, reversus deinde occasione morbi, quo Rex tentabatur, eodem monente in Scotiam iterato migravit ac remigravit & vice postrema cum familiæ reducendæ causa eo tenderet cum præsentissimo vitæ discrimine conflictatus est, navigio quo vehebatur in syrtes impacto, & cum plerisque, qui cum eo erant merso, ipso vix cymbæ beneficio servato. Posthæc haud integri triennii spatium intercessit, cum fratre Rege subitanea morte è vivis sublato *Rex* illico proclamatus & deinde sollemni ritu ab Archiepiscopo Cantuariensi *Wilhelmo Sancrof* inauguratus est; licet verò non defuerint, qui turbarent initia regni ejus, & rebellionem cœptarent, eam tamen prosperè, celeritate ac prudentia usus, oppressit, & supplicium sumsit de autoribus, quos *Jacobum Montmuthiæ Ducem* & *Archibaldum Cambellum Argatheliæ Comitem* fuisse, nemo est, qui nesciat. Ita firmatum sibi pulchrè imperium potuisset forrassis facilè retinere iisdem artibus, quas initiò in consilium adhibuit; postquàm verò maluit aliam inire viam, & vel genio suo, vel malis consultoribus obsecundando, ad dominatũ præcipiti grassari festinatione, & se & regnum perdidit, eò brevi redactus, ut fuga salutem peteret, & regale solium genero filiæque relinqueret. Nimirum *cujuscunque fortunam mutare constituit Deus, consilia corrumpit*. Quò notior autem catastrophes hujus, ingentis profectò, & celeriter sine cæde tamen & sanguine peractæ, ideoque vix fidem apud posteros reperturæ, series est, quoque magis in ore omnis populi versatur, eò minus nostro eget stylo. Precari fas est supremum Numen, cujus arbitrio dantur regna ac auferuntur, ut benè id vertat reipublicæ, utque novum, quem in Britannico throno collocavit, Regem, quemque tanquam perfectissimum suspicimus munus, quod ex solemniore & augusta suorum operum officina necessitatibus Europæ, & ornamentò præsidioq; seculi est gratificatus, inclutissimum videlicet Heroëm Nassovicum WILHELMUM HENRICUM, tueatur ac regat, quò perseverans in rectitudine mentis & consilii, quicquid ad promovendam Divini nominis gloriam, & reddendam Orbi Christiano tranquillitatem, tot fœdis bellis hactenus turbatam, conducit, id unice petat, persequatur ac perficiat!

Scutum, quo Reges Magnæ Britanniæ utuntur, *quadripartitum* est, ita ut primo & ultimo laterculo *Francici flores liliorum* & *Anglici Leopardi* nova sectione quadrifida inserti conspiciantur, secundus *leonem Scoticum intra cancellos suos liliatos* contineat, tertia verò *chelyn auream in area cærulea*, Hiberniæ digma deferat. Cingitur illud *periscelide*, quæ fibula aurea & inscriptione solemni: *Honny soit qui mal y pense*, distincta est. *Telamonum* loco adstant à dextris *leo coronatus*, à sinistris *unicornis, millo ornatus*, ille Anglis, hic Scotis familiaris.

(*a*) *Eben. Tragiq. d' Anglet. p. 195.* (*b*) *Ibid. p. 86. & seqq.* (*c*) *Recensentur hæ literæ in Libello modo cit. p. 63.*

CAPUT

CAPUT X.

DE FAMILIA STUARTORUM DE ALBIGNIO.



JOHANNES *Stuartus* fixa in Galliis sede dominia parenti ejus à Rege Carolo VI. donata tenuit, titulumque *Domini d'Aubigny*, qui vicus est in Biturigibus finis, in familiam suam intulit, à Rege Ludovico inter Equites Ordinis *S. Michaelis*, ab eo recens fundati, cooptatus. Ejus filius BERALDUS Regis Caroli VIII. militiam in expeditione Italica secutus, multis magnisque rebus gestis inclaruit, eamque existimationem adeptus est, ut illo post occupatum regnum Neapolitanum domum reverso, Calabriæ præfectura & *Comestabilis* axiomate ornaretur, quemadmodum *Guicciardinus (a)* refert. Auxit *Beraldus Albignius* nominis sui famam egregia victoria, quam eodem adhuc anno, (15 seculi XV. quintus supra nonagesimum erat) de Rege Ferdinando, eiusque Duce Consalvo Cordubensi ad *Semenariam* reportavit, cujus quidem fructus adversa ei invidit valetudo, qua cum ipso res Francicæ afflictæ sunt, & *capite laborante tandem membra catera certam perniciem conceperunt*, ut *Johannis Bussierii* verba *(b)* huc transferam. Ipse denique post captum Montpenserium Proregem, arcesque omnes in Ferdinandi potestatem relapsas, milite & pecunia deficiente, tutum in Gallia regressum impetravit. Pari forte usus est, cum secundam in idem regnum expeditionem sub Regis Ludovici XII. auspiciis suscepisset: etenim post felices aliquot expeditiones, Calabriam receptam, & quædam in Apulia loca recuperata, cum ipsum inter & Ludovicum Armaniacum Nemursium æmulationes ortæ essent, ad pugnam ab Hispanis se elici, præter Regis imperium, passus, eodem loco, quem ante octennium egregia nobilitaverat victoria, ad *Semenariam* scilicet victus, atque haud ita multo post in arce Angitola, quo post suorum cladem se receperat, captus est, ea conditione, ut ad finem belli perstaret in custodia: nempe nihil ei (quæ *Guicciardini (c) inquit* est) inter clarissimos belli duces reputando, prætereaque ingenio expedito & nobili prædito, majori fuit detrimento quam fervor nimius, quo ad spem victoriæ anhelabat, quoque (ut *Bussierii* etiam verba *(d)* addam) *instar lusoris uno jactu gloriam tot ærumnis partam amisit.*

De JOHANNE STUARTO, posterioris *Albigniorum* stirpis satore, hæc apud *Leslæum de reb. Scot. (e)* leguntur: *Dum Gallorum Rex certior factus esset, Matthæum Stuartum Lenoxium à fide sua descivisse, & Anglorum Regi adhæsisse, subito Johannem Stuartum de Aubigne in Gallia Baronem, illius fratrem, in carcerem conjici, omnibus deinde publicis muneribus, quibus ad magnum Scoticæ nationis honorem in Gallia fungebatur, exturbari jussit. Erat namque omnium Scotorum militum, sive illi fuerant Regii corporis custodes, sive sagittarii, sive armati equites, supremus dux.*

AMATUS, sive ESMÆUS *Stuartus Albignius* cum a. 1579. ad cognatum Regem Jacobum VI. invisendum è Gallia in Scotiam venisset, Lethæ jussu Regis exceptus, & summo honore splendidaque pompa Edinburgum, referente *Johnstono (f)* deductus est. Eum Rex adolescens singulari benevolentia complexus opimis prædiis donavit, intimis consiliis adhibuit, Scotiæ Camerarium, Castrii Dumbritonii præfectum constituit, & postquam rite in Ordinum conventu honorarias literas, quibus pupillari ætate, *Robertum* Episcopum Cathanessiæ fratrem avi tertiogenitum *Lenoxiæ Comitem* creaverat, revocasset, & *Marchiæ* Comitatu compensasset, primum *Lenoxiæ Comitem* & deinde *Ducem* creavit. Vir fuit pacato ingenio à turbis ad quietem prono, nisi alieno impetu impelleretur, egregia erga Regem fide, ac multa apud proceres caritate. Prosperis triennio rebus usus est, inde adversariorum odio & domesticis discordiis circumventus in Galliam ineunte a. 1583. rediit, ubi cum ob intestinas turbas parum subsidii & solatii reperiret, & Elisabethæ obsequio se occulte applicaret, paulo post obiit, magno sui desiderio relicto. Rex ut viventem amore, ita mortuum grata memoria prosecutus famam ejus à malevolis obfuscatam, libellis famosis suppressis in integrum restituit, liberos è Gallia evocavit, filias suo tempore clarissimis viris Huntileæ & Marriæ Comitibus elocavit, gnatum autem LUDOVICUM in paterno honore successorem constituit: *hujus in prima adolescentia tanta sinceritas, integritas & moderatio animi erat, ut omnes uberiores fructus provecta ætate prudentiores augurarentur, nec fefellit divinatio,* ut

(a) *Hist. Ital. Lib. 2.* (b) *Hist. Fr. Lib. 14.* (c) *Lib. 5.* (d) *Lib. cit.* (e) *Lib. 10.* (f) *Lib. 3. p. 55.*

SCHEMA STUARTORUM
DUCUM DE LENOX ET

A.

JOHANNES Stuartus DN. d' AUBIGNY & de CONCRESSAUT Johannis Com. Eburoviensis Dn. Darlæi F. Eq. Ord. S. Mich. † 1482.

Beraldus Stuartus Dn. d' Aubigny Eq. S. Mich. Prorex Neapol. †

Anna Stuart nup. *Roberto Stuarto Com. de Beumontle Roger.*

B.

Johannes Stuartus DN. d' AUBIGNY, Johannis Com. Lenoxiæ filius tertio genitus † 1567.

Esmæus sive Amatus Stuartus Comes, postea DUX DE LENOX Dn. d' Aubigny † 1583.

Ludovicus Stuartus Dux de Lenox & de Richmund Eq. Perisc. † imptolis 16. Febr. 1624. æt. 49. 1. N. *Ruthvenæ Wilhelmi C. Gavriæ f.* 2. N. *Campbell Rogeri Montgomerii ab Eglinton vid.* 3. *Francisca Hovvard Eduardi Vicec. de Bindon f. Eduardi Seimori C. Hertford vid.* † *8. Oct. 1639.*

Esmæus Stuartus Baro d' Aubigny C. Marchiæ & post excessum fratris Dux Richmondiæ † 1624. *Catharina Gervasii B. Clifton de Leighton Bromsvvould fil. ac hæres.*

Jacobus St. C. Marchiæ B. Leighton. D. Richm. & Lenox. Eq. Perisc. n. 6. Apr. 1612. † 30. Mart. 1655. *Maria Villers Georgii de Buckingam f. 1637.*

Henricus Stuart9 † Venetiis 1637 æt. 17

Francisc. † juv.

Elisabetha nup. *Henr. Hovvard B. Maltravers.*

Catharina † juv.

Anna ux. *Arcibaldi Dugl. Com. Angusiæ.*

Esmæus Stuartus D. Richm. & Lenox † Parisiis 14. Aug. 1661. æt. 11.

Matia nupta *Richardo Butler C. Arraniæ.* †

DE AUBIGNY
DE RICHMUND.

Uxor: *Beatrix d'Apcher.*

Wilhelmina de Boucard. al. Anna de Maumont.

Guionna Stuart Uxor *Philippi Braque Dn. de Luat.*

Uxor: *Anna dela Queille Dom. de Chateaubrun.*

Catharina de Balsac Wilhelmi Domini d'Entragues f.

Henrica nup. N. *Gordon C. de Huntlay.*

Maria Uxor N. *Areskini C. Marriæ.*

Francisc. nup. *Hieron. Weston C. Portlandiæ.*

Georgius St. B. d'Aubigny occ. in pr. Kineton. 23. Oct. 1642. *Catharina Hovvard, Theophili Com. Suffolc. f.*

Ludovicus St. *Abbas* in Gallia † m. Nov. 1665. æt. 46.

Johannes St. † è vuln. in pr. Bramden. 29. Mart. 1644. acceptis.

Bernhardus St. C. de Lichfeild occ. in pr. Cestr 22. Sept. 1645.

Carolus Stuartus C. Litchfeldiæ Dux Richmond. & Lenox. Eq. Perisc. n. 1639. † 12. Dec. 1672. in Dania improlis. 1. *Elisabetha Richardi Rogers de Brianston f.* 2. *Margarita Laurentii Banaster de Passenham f. Wilhelmi Levves de Wann vid.* 3. *Francisca Theresia Stuarta Walteri f.*

Catharina Baronissa de Clifton nup. 1. *Henrico B. Obrien in Hibernia,* 2. *Josepho Williamson Equiti aurato & Archivi Whitealensis custodi.*

ut citati autoris verba (a) huc transferam. A. 1613. dignitate *Baronis Angliæ*, sub titulo *Lord Settrington*, auctus, postea *Comes Richmondiæ* creatus est; Fuit præterea Magnus Scotiæ Camerarius & Thalassiarcha hæreditarius, sacri palatii Jacobi Regis Seneschallus, Cubiculariorum principalium primus, Regi à sanctioribus consiliis, San-Georgiani Ordinis Eques, Scoticorumque per Gallias cataphractorum præfectus. Comitate Gallica & moderatione animi bonaque ac integra indole odium Buckingamii meruisse sæpe allegato *Johnstono* (b) memoratur, quippe qui *in omnibus rebus dignitati ejus adversus, omne studium adhibuerit, ut qua ab illo procurarentur, in contrariam partem cederent: dum Ludovicus temperaret flagrantem animum cupidine ultionis, ratione & prudentia, teneretque in ira modum, quod in excelso animo difficillimum.* Decessit inopinata morte circa tempus comitiis destinatum, Westmonasteriique tumulo operis sumtuosissimi est ab uxore viduâ illatus.

AMATUS sive ESMÆUS *Stuartus Albignius*, nominis illius *secundus*, à Rege Jacobo I. d. 7. Jan. anno regni ejus XVII. creatus est *Baro Leigthon - Bromsvvould* (quem titulum socer ipsius gesserat) & *Comes Marchia*; fratris autem orbitate ad familiæ hæreditatem & axioma *Ducis Richmondia* pervenit, sed intra anni spatium graviore febri ex calore & labore implicitus, & vi morbi extinctus, neque minus ac frater sermonibus vulgi celebratus est, quemadmodum *Johnstonus* (c) refert. Filiorum ejus, quos multos post se reliquit, natu maximus JACOBUS titulo *Comitis Marchia* & *Baronis Leighton-Bromsvvould* initio usus, à R. Carolo I. anno regni XVI. *Dux Richmondia* creatus est, cum apud eundem Regem muneribus Seneschalli sacri palatii, Cubiculariorum principalium primi & Limenarchæ fungeretur, Magnus etiam Scotiæ Camerarius & Thalassiarcha hæreditarius dictus, atque in Ordinem Equitum Aureæ Periscelidis cooptatus: Gnatum genuit unicum sibi paucis annis superstitem. Ex fratribus ejus HENRICUS & FRANCISCUS in flore ætatis decessere, LUDOVICUS Romanis sacris initiatus, & munere *Eleemosynarii* apud Reginam Henricam Mariam functus, vitæ munus in Gallia explevit, reliqui GEORGIUS scilicet, *Baro d'Aubigny* appellatus, JOHANNES & BERNARDUS *Baro de Nevvberie* & *Comes de Litchfeild* designatus, pro Rege Carolo I. strenue dimicantes, egregia morte diversis in præliis defuncti sunt.

CAROLUM Stuartum Georgii F. Rex Carolus I. anno regni sui XXI. *Baronem de Nevvberie* & *Comitem de Litchfeild* creavit. Idem patrueli suo *Esmæo Stuarto* in titulos *Ducis Richmondiæ & Lenoxiæ* ex beneficio, ab eodem Rege, cum Jacobum, Esmæi parentem, eo dignitatis evexisset, omnibus *Ludovici posteris masculis* impertito, successit, atque à R. Carolo II. aureæ periscelidis insignibus decoratus in Daniam Legatus missus, verum prope *Elsenoram* morte subitanea interceptus est, nulla sobole post se relicta. Soror ejus CATHARINA inter Baronissas Angliæ locum habet, post mortem enim fratris jus sibi in honorem *Baronissæ Clifton* quæsivit, atque a. 1674. obtinuit, tanquam hæres superstes unica aviæ suæ *Catharinæ Clifton*, quæ itidem hæres ac filia unica fuerat *Gervasii Baronis Clifton de Layton- Bromsvvould*. Hunc perantiqua familia, è qua regnantibus Eduardo III. & Richardo II. Barones claruerunt, oriundum R. Jacobus I. anno regni sui sexto ad honorem illum provexit, quem elapso decennio turpi contaminavit morte: conjectus enim in arcem Londinensem, quia dixerat, dolere se, quod Franciscum Baconem Verulamium privati sigilli custodem non confodisset, cùm sententiam adversus ipsum in Cancellaria pronunciaret, & tristiorem sortem veritus, cujus impatiens esset, voluntaria eam prævertere morte statuit. Executurus itaque propositum *scalpellum, unguium resecandorum causa poposcit, eoq; se vulneravit, & ventre suffosso subito vulnere in terram collapsus est. Ferox deinde & adversus omne remedium contumax, opemque chirurgi in sanando vulnere & fomenta aspernatus, deficientibus viribus decessit, & filiam summa dignitatis fœminam & clarissimis nuptiis* (ut *Johnstoni* (d) verbis utar) *fulgentem* (Catharinam nempè Esmæi Stuarti, ceu dictum est, uxorem) *superstitem reliquit: ea ostendit in amisso patre & comprimenda ægritudine animi prudentiam. Nihil illam à pietate deterruit; nihil in tristitia supervacua detinuit: nullis erga mortuum charitatis officiis abstinuit. Corpus ad sepulturæ locum sine lamentatione, sine planctu funeris, domestico comitatu elatum, adjecto modico necessariorum agmine.*

Stuarti *de Albignio* præclaris de regno Galliæ meritis propria sibi ac maxime gloriosa pararunt insignia, eadem scilicet, quæ Reges Franciæ gerunt, *tria lilia aurea, in campo cæruleo* repræsentantia, sed *discriminculi* ergò *limbo rubeo fibulis tribus aureis ornato*, distincta. His Beraldus Stuartus in scuto suo gentilitium Stuartorum digma, *fasciam* nempe *triplici tessellarum argentearum & nigrarum ductu distinctam, & aureo solo inductam*, junxisse *quadripartitim* memoratur, ita tamen, ut liliato symbolo primas tribueret. *Richmondiæ & Lenoxiæ Duces* iisdem usi sunt tesseris, hactamen addita distinctione, ut secundum & tertium laterculos, qui Stuartorum tessellas, nigro colore

(a) *l. Lib. 3. p. 88.* (b) *Lib. 20. p. 624.* (c) *Lib. cit. p. 657.* (d) *Lib. XVII. p. 527.*

colore cum *cæruleo* commutato continent, *margine denticulato, cocco tincto*, cingerent, & palmario ſ uti loco *parmulam* imponerent *argenteam*, cui impreſſus *decuſſis rubeus, dentibus aſperatus, & quatuor roſis ejuſdem coloris ſtipatus*, quæ *Lenoxiæ* lineæ propria inſignia extitiſſe ferunt.

CAPUT XI.

DE FAMILIA SOMERSETTENSI E REGIA LANCASTRICA ORTA.



Egiis ſtemmatibus, quorum enumeratione perfuncti jam ſumus, *Somerſettenſem* familiam proxime ſubnectere, origo, qua præminet, poſtulare videtur: eam quippe ad *Plantagenetas*, qui, ceu patet è ſuperioribus, Angliæ per CCCXXXI. annorum ſpatium, imperarunt, & ſpeciatim ad *Lancaſtrenſes* refert, utpote ab *Henrico Bellofortio Duce Somerſettiæ*, cui Henricus IV. propatruus erat, profata. Ille ex amica, cui nomen erat *Johannæ Hile* (*a*) uxoris loco habita utcunque genuit CAROLUM, qui à paterno titulo cognomen *Somerſet* obtinuit, idque ad poſteros ſuos transmiſit. A. R. Henrico VII. ſobrino ſuo *Bannereti* axiomate & aurea periſcelide ornatus nec non cubiculo domus & cuſtodiæ corporis ſui præfectus, eodemque pronubo ſplendido ac pingui matrimonio *Eliſabethæ Herbertæ*, quæ Wilhelmi Com. Huntingtonii gnata ac hæres unica erat, auctus eſt, cujus jure titulum *Baronis Herbert de Govver* aſſumſit. Nec minore indignatione à filio & ſucceſſore illius R. Henrico VIII. habitus, beneficio ejus in *Comitem Wigorniæ* erectus, & *per cincturam Gladii* (ſicuti ſe habent verba ex ipſo diplomate à *Sandfordio* (*b*) excerpta) inſignitus eſt, prima die Februarii anno regni ejus quinto, quem ſeculi ſuperioris quartum ac decimum fuiſſe ſupputo. Variis poſtea cum Gallis negociis pacis ac belli adhibitus, iisque ex ſententia Regis ſui defunctus, mortalitatem explevit, & Windſoriæ in ſacello regio reconditus fuit.

Wigornia Anglis *Worceſterſhire* dicta initio *Vicecomites* habuit, quorum primus à Normannicis temporibus, fuiſſe traditur *Urſu* ſive *Urſo de Abtote*, cui latifundia cum illa dignitate Rex Wilhelmus Conqueſtor donavit. Illi ſucceſſit *Rogerus* filius, qui (ut habet *Wilhelmus Malmeſburienſis*) *paternarum poſſeſſionum compos gravi R. Henrici primi indignatione pulſus eſt, quod quendam ex miniſtris Regis juſſiſſet interfici*. Rex Stephanus deinde *Walleranum Mellenti Comitem*, fratrem Roberti Comitis Leiceſtrenſis primum *VVigorniæ* inſtituit *Comitem*. Hujus liberi cum Anglia poſt habita ad ſua in Normannia avita patrimonia rediiſſent, ceſſavit Wigorniæ Comitis titulus usque ad Richardi II. ætatem, qui *Thomam Percyum* è Northumbriæ Comitibus ortum eo decoravit. Hoc à R. Henrico IV. in bellis inteſtinis interempto, *Richardus de Beauchamp* ab Abtotis oriundus, hunc honorem accepit. Poſt illum ſine prole maſcula defunctum Eduardus IV. *Johannem Tiptoft* Proregem Hiberniæ Wigorniæ Comitem creavit. *Sed cum ille*, ut *Camdeni* (*c*) verbis utar, *præpoſtero obſequio ad Principis voluntatem in cædibus quaſi carnifex ſe accommodaſſet, ipſe capite truncatus ſub Henrico VI. carnificinam ſubiit; filium tamen ejus Eduardum Tiptoft in integrum reſtituit Rex Eduardus, cùm ipſe denuò regnum recepiſſet.* Huic denique ſine prole mortuo *Carolus Somerſettenſis*, à quo digreſſi ſumus, ſurrogatus fuit.

HENRICUS *Somerſettus*, Caroli filius ac præcipuus hæres, dum *Baro Herbert* patre ſuperſtite appellabatur, R. Henricum VIII. ad ſolemnem cum Rege Galliæ Franciſcum I. congreſſum, Ardras inter & Guino factum, comitatus eſt, cumque ea occaſione, utraque natio exercitiis militaribus fallendi temporis gratia ſe occuparet, armorumque experimentum mutuo faceret, inter provocatores ex parte Anglorum ille fuiſſe atque egregia peritiæ & dexteritatis documenta edidiſſe memoratur. Pari deinde fortitudine cum ſerio inter easdem gentes belligaretur, ſub Ducis Suffolcii ſignis ſe præbuit, equeſtri honore ab eo ornatus. Fuiſſe poſtea legitur inter Commiſſarios à Rege Henrico VIII. anno regni ſui XVII. in Galliam ad concludendam pacem miſſos, prætereaque in numero Parium, qui declarationem à dicto Rege ad Papam Clementem VII. de divortio ſuo cum Catharina Arragonia a. 1530. datam, ſubſcripſerunt. Fato denique quinquagenario major functus in æde Parochiali Chepſtovienſi Comitatus Monumethenſis ſepultus eſt. (*d*)

WILHELMUS *Somerſettus*, Henrici F. *Comes Wigorniæ*, referente *Camdeno*, (*e*) inter cognitores cauſæ Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ fuit, atque a. 1573. cum baptiſterio ex ſolido auro in Galliam miſſus, ut cum Mariæ Auguſtæ & Ducis Sabaudiæ procuratoribus baptiſmo filiæ

(*a*) *Vid. ſup. Tab. VII.* (*b*) *Geneal. Hiſt. of Engl. L. 4. c. 13.* (*c*) *Deſcr. Brit. p. 462.* (*d*) *Geneal. Hiſt. of Engl. L. 4. c. 14.* (*e*) *Annal. Eliſ. Parte 2.*

SCHEMA FAMILIÆ
COMITUM ET MARDUCUM DE

CAROLUS Somerset, Henrici Beaufort Ducis Somersetiæ, filius naturalis, COMES WIGORNIÆ f. WORCESTRIÆ, Baro Herbert of Gower, Chepstowe & Ragland Regni Camerarius & Eques Periscel. † 15. Apr. 1526.

1. Henricus Somerset C. Wigorniæ Eq. Periscel. † 26. Nov. 1549. æt. 53. *Elisabetha, Antonii Browne fil.* † 1565.	Elisabetha nupt. *Johanni Savage de Clifton.*

Wilhelmus Somerset C. Wigorn. Eq. Perisc. † 21. Febr. 1588. *Christiana Eduardi B. North de Cartelage f.*	Thomas Somerset. † m. Majo 1586.	Eleonora Uxor *Rogeri Vaughan de Tretour.*	Franciscus Somerset. occ. in pr. Musselborov.	Carolus Somerset *Emma Henrici Braine f. Ægydii Morgan. vid.*

Eduardus Somerset C. Wigorn. Eq. Perisc. † 3. Mart. 1628. *Elisabetha Hastings Francisci C. Huntingdon. f. 24. Aug. 1621.*	Elisabetha Ux. *Wilhel. Windsor.*	Lucia nup. *Henr. Herbert.*	Carolus.	Eleonora.	Elisabetha nup. 1. *Radcliffo Gerard.* 2. *Eduardo Fox de Gwernopa.*

Wilhelm. † ante patrem.	Henricus Somerset Marchio & C. Wigorniæ † m. Dec. 1646. *Anna Johan. B. Russel f.* † 8. Apr. 1639.	Elisabetha nup. *Henrico Guilford de Hemsted.*	Catharina Ux. *Wilhel. B. Petre de Writ te* † 31. Oct. 1625.	Anna nup. *Eduardo Winter de Lidney.*	Francisca Ux. *Wilhel. Morgan de Lanternam.*	Maria † inf.	Blanca Ux. *Thomæ B. Arundel de Wardour.*

Eduardus Somerset M. & C. Wig. C. de Glamorg. † 3. Apr. 1667. 1. *Elisab. Wilh. Dormer Eq. f.* † 31. *Maji 1665.* 2. *Margar. O Bryan, Henrici C. de Thomond in Hibernia f.*	Elisabetha † juv.	Anna † *monialis Antverpiæ.*	Maria † innup.	Elisabetha Ux. *Francisci Browne Vicec. Mountague.*	Johan. Somers. Eq. *Maria Thomæ B. Arundel de Wardour f.* ☞	Wilh. S. †	Henr. S. † 27.	Thomas S.

Henricus Somerset DUX BELLOFORTII M. & C. Wigorn B. Herb. de Ragland Chepstowe & Gower. Eq. Periscel. 3. Jun. 1672. *Maria, Arturi B. Capel de Hadham f. Henrici Seamour B. Beauchamp. vid.*	Anna nup. *Henrico Howard Com. de Norwich.* † 1660.	Elisabetha Ux. *Wilhelmi Herbert C. de Powis.*

Henricus S. † inf.	Carolus Somerset B. Herbert M. Wigorn. n. Decem. 1660. Ux. ...... *filia Josiæ Child.*	Eduardus S. † inf.	Henr. † 1667	Arturus Somerset n. 29 Sept. 1671.	Elisabetha † inf.	Maria nup. *Jac. Butler Duci Orm. m. Aug. 1685.*	Henrica Maria nup. .... *Bar. Obrien f. C. de Thomond. in Hib. 1686.*	Anna.

SOMERSETENSIS
CHIONUM DE WORCHESTER
BEAUFORT.

Ux. 1. *Elisabetha Herbert, Wilhelmi Com. Huntingdon. f.* 2. *Elisabetha West, Thomæ B. la Ware f.* 3. *Eleonora Sutton, Eduardi B. Dudley f.*

2. Carolus Somerset Eq. Capit. Calet. | Georgius Somerset, Eques *Maria, Thomæ Bovvlayes de Penhovv f. & hær.* | Maria nup. *Wilhelmo B. Grey de Wilton.*

Lucia nup. *Joh. Nevil B. Latimer † 1582.* | Anna Ux. *Thomæ Percy C. Northumbr.* | Johanna Ux. *Eduardi Mansel de Margam.* | Carolus Somerset de *Badmondesfield. Elisabetha Georgii Grysley de Colton f.* | Anna nup. *Eduardo Barret de Belhouse.*

Georgius Somerset de *Wickhambrook. Helena.* | Carolus Somerset. | Maria Somerset.

Cathar. nup. *Thomæ B. Windsor de Bradenham.* | Thomas Vicec. Somerset de Cassel. *Eleonora Barry Thomæ Butler C. Ormond. vid.* | Carol. † inf. | Francisco † inf. | Carolus Somerset Eq. Baln. † Dec. 1665. *Elisabetha Wilhelmi Powel de Lhampylt f.* | Christophorus † æt. 5. | Eduard. Somerset Eq. Baln. † *ān. Brigita Wilhelmi Whitmore de Leigthon f.*

Carol. S. † *Canon.* Camera S. censis. | Fridericus S. | Franciscus S. | Jacobus S. obiere in juventa. | Elisabetha † innupta | Elisabetha nup. *Francisco Anderton de Lostock.* | Maria innupta. | Francisca Ux. *Henrici Borowne de Kiddington.*

Henricus Somerset *Anna Walteri B. Aston de Forfare in Scot. f.* † | Thomas Somerset † 1671. | Carolus Somerset. 1. *Johanna Thomas, Auberii de Glamorganshire f.* 2. *Catharina Baskervile de Beaovvn Georgii Savyer vid.*

Eduardus Somerset. | Maria. | Maria.

Carolus Somerset. | Henricus Somerset. | Maria Johanna.

Galli, Reginæ Elisabethæ nomine sponsor interesset, à piratis Protestantibus Gallis & Belgis, qui eum Pontificiæ religionis cultorem suspicabantur, in trajectu pæne interceptus est. Ex vita ætate jam declivi discessit, *Raglandiæq;* terræ mandatus est. Successit EDUARDUS filius unicus, numerosa prole adeo fœcundus, ut *plures liberos utriusque sexus, quam universi Angliæ Comites* aliquando, ex autoris citati testimonio *(a)* numeraret. A. 1590. à Regina Elisabetha ad Scotorum Regem missus est, ut amicitiam cum eo confirmaret, nuptias & è Dania reditum gratularetur, illumque una cum Rege Gallorum in Societatem Ordinis Georgiani esse allectum significaret; ipse quoque post triennium *aurea periscelide* Windsoriæ decoratus. Præfuit dictæ Reginæ equili, utpote arte equestri nulli ævi sui inferior, inque sacrum ejus consistorium adsciri, & Privati custodiæ sigilli admoveri meruit, literarum earumque cultorum fautor ac Mæcenas Obiit confecta ætate octogenario proximus, *Raglandiæque* in splendido monumento, quod æque ac paternum belli civilis tempestas destruxit, tumulatus est. *(b)*

HENRICUS *Somersettus*, Eduardi F. ac successor, à pietate, prudentia magnanimitate & fortunæ amplitudine *Sandfordio (c)* laudatus, fide atque opera R. Carolo I. difficillimis temporibus præstita dignitatem *Marchionis* promeruit, ab eo per literas patentes d. 2. Nov. 1642. ipsi collatam. Vindex pro virili regiæ Majestatis castrum suum *Ragland* adversus Parlamentarios summa virtute & diutissime omnium, qui loca regio præsidio munita tenebant, defendit, nec nisi ultima necessitate adactus & pactis honorificis conditionibus mense Aug. a. 1646. dedidit, eis verò ab adversa parte infractis & perperam violatis, tantam contraxit ægritudinem, ut paulo post Londini in custodia supremum diem expleret, Windsoriæq; juxta exuvias avi sui fuit sepultus.

EDUARDUM *Somersettum*, Henrici F. R. Carolus I. titulis *Comitis de Glamorgan* & *Baronis Beaufort de Caldecot* in Comitatu Monumuthensi ornavit, illoque dum parens ejus viveret inclaruit, Soutwalliæ ab eodem Rege vicaria potestate impositus. Gnatus ejus ac Successor HENRICUS dignitate *Ducis de Beaufort* à R. Carolo II. exeunte anno 1682. auctus, inter Equites Ordinis Georgiani quibus d. 3. Jun. 1672. aggregatus fuit, & intimiores Regis Consilianos locum obtinet, præterea que munus Præsidis Consistorii in Walliæ Principatu ornat.

Insignia *Somersettensis* familiæ *regiam* ostentant *originem*, constant quippe scuto *quadripartito è Francicis Anglicisque digmatibus*, sed *margine tessellato ex argento & cyano* distincto. Hæc insignia antehac non eodem, quo nunc solent modo gesserunt, ita nempè, ut totum implerent scutum, sed in *fasciæ* figuram compegerunt, quam *solo auro tincto* inducebant.



PARS

Hanc chartam vacuam reſecabit bibliopegus.

Dieſes ledige Blat wird der Buchbinder weg zu ſchneiden wiſſen.

PARS POSTERIOR,

DE

BARONIBUS SIVE PARIBUS BRITANNIÆ.









Mowbray D. Norfolc.



Fitz Alan C. Arundel



Varennes C. Surriæ.



La Pole C. Suffolc.



Brandon D. Suffolc.



Norris C. Berkshir



Hay C. Carlil.



Howard D. Norfolce.



Clare C. Hertford & Glocestr.



Seymour D. Somerset.



Stafford D. Buckingam.



Villers D. Buckingam.



Champagne C. Albemarla



De Fortibus C. Albamarla



Monk D. Albemarl.



Cavendish D. De Newcastle.



Rivers C. Devon.



Courtnay C. Devon.



Wriothesley C. De Southampton.



Bullen C. Ormond.



Butler D. Ormond.



Hamilton.



Percy C. Northumbr.



Paulet M. Winchester.



Quincy C. Winchest.



Savile M. Halifax.



Vere C. Oxford.



Talbot C. Salopiæ.



Burgh C. Cantuarien.



Holand C. Cantii.



Grey C. Cantii.



Ferrers C. De Darby.



Stanley C. De Darby.



Mannours C. De Rutland.



Hastings C. De Hunting.



Russel C. De Bedford



Herbert C. De Penbroke.



Clinton C. De Lincoln.



Sackville C. De Dorset.



Cranfeild C. De Middlesex.



Cecil C. De Salisburie & Exceter.



Daubenie C. De Bridgwater.



Egerton C. De Bridgwa.



Beaumont C. De Leicestre



Montfort C. De Leicestre.



Sidney C. De Leicester.



Parr M. De Northampton.



Compton C. De Northampton.



Beaumont C. De Warwick.



Mauduit C. De Warwick.



Beauchamp C. De Warwick.



Riche C. De Warwick.



Fielding C. De Denbighe.



Digby C. De Bristol.



Holles C. De Clare.



St. John C. De Bolinbrok



Fane C. De Westmorland



Mountague C. De Manchester et Sandwich.



Sheffeild C. De Mulgrave



Woodvile C. Rivers.



Darcie C. Rivers.



Savage C. Rivers.



Berty C. De Lindsey.



Mordant C. De Peterborough.



Finch C. De Winchelsey et Nottingham



Pierpont C. De Kingston.



Dormer C. De Carnarvan.



Stanhope C. De Chesterfield




Tufton C. De Thanet.



Weston C. De Portland.



Wentworth C. De Strafford.




Spenser C. De Sunderland.



Leke C. De Scarsdale.



Hyde C. De Clarendon.




Wilmot C. De Rochester.



Mandeville C. Essexiae.



Bohun C. Essexiae.




Capel C. Essexiae




Brudnell C. De Cardigan.




Annesley C. De Anglesey.



Bourchier C. De Bathe.




Grenevile C. De Bathe.




Craven C. De Craven.



Bruce C. De Ailesbury.



Boyle C. De Burlington.




Bennet C. De Arlington




Ashley Coper C. De Shaftsbury.




Lee C. De Litchfield.




Osborne C. De Danby.



Radcliff C. De Sussex.



Lennard C. De Sussex.



Gerard C. De Macclesfield.



Roberts C. De Radnor.



Paston C. De Yarmouth.




Berkley. C. De Berkley.



Noel C. De Gainsborough




Darcy C. De Holdernesse.
Windsor C. De Plymouth.
Bellasyse C. De Fauconberg.
Devereux Vicecom Hereford.
Browne Vicecom Monta.
Fines. Vicecom Say.
Vicecom Newport.
Vicecom Townshend.
Vicecom Hatton.
B. Cromley.
Nevill Bar Abergavenny.
Touchet Bar Audley.
West B. La Warre.
Parker B. Morley.
Sutton B. Dudley et Lexinton.
B. Ward.
B. Stourton.
B. Cromwell.
B. Evre.
B. Wharton.
B. Willoughby De Parham.
B. Paget.
B. North.
Brugges B. Chandos.
Carey B. Hunsdon.
B. Petre.
B. Arundel De Wardour
Roper B. Tenham.
Grevill B. Brook.
B. Gray. De Warke
B. Lovelace
B. Maynard.
B. Coventrie.
B. Mohun.
B. Leigh.
B. Jermon
B. Byron.
B. Vaughan.
Smith B. Carington.
B. Colepeper.
B. Astley.
B. Lucas.
Waston B. Rockingham.
B. Langdale.
B. Cornwallis.
Booth B. De Lamere.
B. Crew.
B. Clifford

INTRODUCTIO.

A Familiis, quæ Reges Britanniæ dederunt, quæq; ex illis ortæ sunt, ad stemmata Procerum *progredimur.* Horum *quinq; numerantur* gradus, *videlicet* : Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, *atq;* Barones *Vernaculo vocabulo* Lords *audiunt*, *&* superioris Parlamenti membra *constituunt, utpote* Consiliarii nati, *universi priscis temporibus sub nomine* Baronum Angliæ *comprehensi: vocantur etiam* Pares, *eo quod* pares *sunt* nobilitate, *licet gratu impares, plurimisque gaudent immunitatibus & privilegiis.* (a) *Tituli, quibus distinguuntur, nihil nec muneris, nec territorii, nec jurisdictionis involvunt, sed* mere honorarii *sunt, quantumvis olim secus se res habuerit; semel tamen a Rege in cujus potestate id situm est, collati, ad liberos posterosque masculos primi acquirentis transeunt, neque eis, nisi feloniæ convicti sint, abrogari possunt, id quod tamen non Regis solum, sed omnis Parlamenti calculis decernatur oportet. Numerus eorum indefinitus est; hac autem tempestate solito major, novis annuatim hominibus increscens. E vetustioribus familiis, quæ vel Normannorum vel Plantagenetarum sub imperio inclaruere, paucissimæ supersunt, plerisque æstu bellorum civilium, quibus nunquam non flagravit Britannia, eversis aut suopte jumento ad tristem interitum pertractis. Sane in omnium historia gentium nullam reperies tot tragicorum casuum, & magnatum ad supplicia raptorum exemplis fœdam, quam Britannicam, adeo ut inter clariores hujus Insulæ familias raræ se ostendant illæ, in quas sontes insontesve non sævierit aut animadverterit securis vel restis; unde equidem factum, ut remota tandem in illa gente infamia à suppliciis fuerit, neque id mortis genus probro amplius habeatur. Cæterum in magna copia familiarum, viventium pariter atque extinctarum, delectum propositi operis regula & supellectilis nostræ mediocritas exigunt: omnes enim enumerando percensere neque otii neque opis est nostræ; superstitum vero solummodo rationem habere, atque emortuos sicco prorsus pede transire, parum utile arbitror, eo quod priorum non adeo multæ longo censeantur stemmate, harum autem magna in annalibus & historiarum monumentis sit celebritas: atqui ancillari Historiæ & unde quam plurimum lucis affundi ei potest, id agere, partes sunt Genealogiæ. Quare constitutum est, hodiernorum Angliæ Procerum familias, secundum ordinem, quo in* Historia Coronationis Jacobi II. à Sandfordio *edita, recensentur, ita persequi, ut titulorum, qui in singulis nunc versantur, respectu habito indagemus, utrum novi sint, an aliquibus etiam ex priscis familiis communes fuerint, hocque casu veterum stirpium notitiam deductioni superstitum ac recentium vel præmittere vel subjungere.*

CAPUT I.

DE PRISCIS DUCIBUS ET COMITIBUS NORFOLCIÆ, NOTTINGAMIÆ ET ARUNDELIÆ *& familiis* BIGODICA, ALBINIO-MOLBRAIA ET FIZ-ALANA.

PRimas inter Duces Angliæ nunc tenet *Norfolcius*, è familia *Hovvard* prognatus; ea nobilitate & prisco spendore nulli secunda non illo tantum præminet titulo, sed aliis etiam bene multis gaudet: oriundi quippe ab eadem sunt *Comites Arundeliæ, Surriæ, Suffolciæ, Bercheriæ, Nottingamiæ & Carliliæ*, aliique Vicecomites & Barones; de quibus titulis, familiisque, quæ olim eosdem gessere, singillatim dicendum est, antequam ad Hovvardorum gentem stylus

M 3 dela-

(a) *Camd. Annal. Elis. p. 194.*

SCHEMA FAMILIÆ ALBINIO-
COMITUM DE ARUNDEL DUCUM

ROGERUS DE ALBINI. Uxor

Wilhelmus de Albini, expeditionis Wilhelmi Normanni in Angliam Comes, ejusque Pincerna.
Mathildis Bigod, Rogeri f.

Wilhelmus de Albini cogn. Fortimanus COM. ARUNDELIÆ † 11. Oct. 1176. *Adelisa, Godofredi D. Brabant. f. Henrici I. R. Angl. vid.*	Nigellus de Albini.	Oliverius de Albini.	Oliva nup. *Radulpho de Haja.*

Wilhelmus de Albini II. Com. Arundeliæ † 1222. *Mathildis Jacobi de S. Sidonio f. Rogeri C. de Clare vid.*	Godofredus de Albini.	Alicia nup. *Johanni C. ab Augie S. d' Eu.*	Oliva.	Agatha.

Wilhelmus de Albini III. C. Arundel. † *ἄπ.* 1234. *Mabilia, Ranulphi C. Cestr. sor. & cohær.*	Hugo de Albini C. Arundel. † *ἄπ.* 1243. *Isabella, Wilh. V. C. Warren. & Surr. f.*	Mabilia Ux. *Roberti de Tatshall.*	Isabella nup. *Johanni Fitz Alan.*	Nicola Ux. *Rogeri de Somery.*	Cecilia nup. *Rogero de Montall.*	Coleta.

SCHEMA FAMILIÆ BIGODORUM
COMITUM NORFOLCIÆ.

ROGERUS BIGOD Dn. sex dynastiarum in Essexia † a. 1107.
Adelisa.

Wilhelmus Bigod Præfectus aulæ R. Henrici I.	Hugo Bigod COMES NORFOLCIÆ. cr. a. R. Stephano 1140. † 1177.	Mathildis nup. *VVilhelmo de Albini.*

Rogerus Bigod. I. Comes Norfolciæ † a. 1220.

Hugo Bigod II. C. Norfolciæ † 1225. *Mathildis VVilhelmi Mareschal Com. Pembroc. f.*	Wilhelmus Bigod *Margarita Roberti de Sutton f.*	Margarita nup. *VVilhelmo Hastings.*

Rogerus Bigod II. C. Norfolciæ & Marescallus Angliæ † *ἄπ.* 1270. *Isabella VVilhelmi R. Scot. f.*	Hugo Bigod, *Johanna Nicolai d' Estouteville f.*	Radulphus Bigod *Berta Furnival.*

Rogerus Bigod III. C. Norfolciæ Marescallus Angliæ † *ἄπ.* 1297. 1. *Aliva, Philippi Basset f. & hær.* 2. *Alisa, Johannis de Anesine C. de Bayonne f.* 1290.	Johannes Brigod.

MOLBRAIANÆ
DE NORFOLK COM. DE NOTTINGHAM.

Amicia.

Nigellus de Albini, Regum Wilhelmi Conquestoris & Ruffi miles.
Ux. 1. *Mathildis, Richardi de Aquila f. à Roberto de Molbray Com. Northumbriæ separata.* 2. *Guntredis Giraldi de Gornay f.*

2. Rogerus de MOWBRAY, quod cognomen, Albinensi relicto, adscivit. *Alicia de Gant.* | 2. Henricus de Albini *Cecilia.*

Nigellus de Movvbray † in itinere in Palæstinam 1192. *Mabilia Comitis de Clare f.* | Robertus de Movvbray. | Robertus de Albini. | Nigellus de Albini. | Amicia.

Wilhelmus de Movvbray *Agnes* . . . . | Robertus de Movvbray ducta *Comitissa Scotica* genus suum illic proseвit. | Philippus de Movvbray. | Rogerus de Movvbray | Robertus de Albini † 1225.

Nigellus de Movvbray † an. 1229. *Mathildis Rogeri de Camvilf.* | Rogerus de Movvbray † 1267. *Mathildis Wilhelmi de Beauchamp in Bedford f.* | Robert. de Albini. | Isabella nup. *Wilhelmo de Hoston.* | Johanna Ux. *Goffredi de Beauchamp.* | Asselina nup. *Radulpho de S. Amand.*

Rogerus de Movvbray † 1297. *Rosa, Richardi C. de Clare f.* | Robertus. | Andreas. | Johannes. | Edmundus. | Wilhelmus. im — pro — le — — — — s. —

Johannes de Movvbray n. 2. Nov. 1286. *suspensus* 1321.
Aliva, Wilhelmi de Brevves in Govvher fil. & hær.

Johannes Baro Movvbray de Axholme, Govvher & Brember † 4. Oct. 1361.
Johanna, Henrici Com. Lancastriæ f.

Johannes Baro Movvbray n. 1326. occ. à Turcis in Thracia 1368.
Elisabetha, Johannis B. Segrave & Margaritæ Ducissæ Norfolciæ f.

Johannes B. Movvbray COMES NOTTINGAMIÆ cr. 1377. † cœlebs 1382. | Thomas B. Movvbray DUX NORFOLCIÆ, COMES MARESCALLUS & Nottingamiæ † 1400. exul. 1. *Elisabetha, Johannis le Strange de Blackmere f.* † *sterilis 23. Aug. 1383.* 2. *Elisabetha Fitz-Alan Richardi C. Arundel. f. Wilhelmi de Montacute vid.*

2. Thomas Movvbray C. Marescallus *decoll.* 2. 1405. *Constantia Holand Joh. D. Exon. f.* | Johannes Movvbray D. Norfolc. C. Maresc. & Nottingam † 19. Oct. 1432. *Catharina Nevil Radulphi C. Westmorland f.* | Margarita nup. *Roberto Hovvard Equiti.* | Isabella Uxor 1. *Henrici Ferrers,* 2. *Jacobi B. Berkley.* † 1452.

Johannes Movvbray II. Dux Norfolc. C. Maresc. † 1461. *Eleonora, Wilhelmi B. Bourchier C. d' Evve f.* | *Johannes Hovvard Dux Norfolciæ.* *Vid. Tab. XXI.*

Johannes Movvbray III. Dux Norfolciæ Comes Marescallus Warreniæ & Surriæ † 1475.
Elisabetha Talbot Johannis Com. Salopiæ f.

Anna, hæres unica n. 1473. desponsata *Richardo Duci Eboracensi R. Eduardi IV. filio secundogenito*, obiit sine prole.

WILHELMUS FITZ-ALAN, Sheriffus Salopiæ, Alani F. Flathaldi N. † a. 1159.

Wilhelmus Fitz-Alan II. Dn. in Osvvaldester & Clun, Sheriffus Salop. † 1172.

Wilhelmus Fitz-Alan III. † a. 1214. | Johannes Fitz-Alan Dn. Osvvaldester & Clun † 1239.

N. cui Uxor fuit *Thoma ab Erdington Gnata* † paulo post patrem. | 1. Johannes Fitz-Alan II. hæres castri Arundel, jure materno † 1267.

Johannes Fitz-Alan III. Dn. in Clun & Arundel † 1270.

Richardus Fitz-Alan COMES ARUNDELIÆ

Edmundus al. Richardus II. Fitz-Alan C. Arundeliæ *decoll.* 9. Oct. 1326. *Alisa, Johannis C. Warreniæ & Surriæ soror ac hæres.*

Richardus Fitz-Alan II. vel III: C. Arundeliæ, Admiralis sub R. Eduardo III. † 23. Jan. 1375. 1. *Isabella, Hugonis le Despenser f. repudiata.* 2. *Eleonora de Lancastria, Henrici C. Lancastr. f. Johannis de Beaumont vid.* † 1375.

1. Philippa nup. *Richardo Sergeaux.* | 2. Richardus Fitz-Alan III. vel IV. Arundeliæ Admiralis sub R. Rich. II. *decoll.* 1393. 1. *Elisabetha de Bohun Wilhelmi C. Northampt. f.* 2. *Philippa Mortimer. Edmundi Com. March. f. Joh. de Hastings vid.* | 2. Alisa nup. *Thomæ Holland Com. Cantii.*

1. Thomas Fitz-Alan C. Arundel. † ἄπ. 13. Oct. 1415. *Beatrix Johannis R. Lusitan. fil. nat. Gilberti Talbot vid.* 1404. | Richardus † juv. | Wilhelmus † juv. | Elisabetha nup. 1. *Wilhelmo de Montacute*, 2. *Thomæ Movvbray C. Nottingam.* 3. *Gerardo Vsflete Equiti*, 4. *Roberto Goushil Equiti.* | Johanna Ux. *Wilhelmi de Beauchamp B. Bergavenny.*

Johannes Fitz-Alan Comes Arundeliæ † 12. Maji 1434 *Mathildis Roberti Lovell f.* † *1436.*

Humfredus Fitz-Alan † in juventa. | Avisa nupta *Jacobo Butler C. de Wiltshire.*

Wilhelmus Fitz-Alan II. C. Arundeliæ B. Maltravers † 23. Jan. 1544. 1. *Anna Percy, Henrici C. Northumbr. f.* 2. *Elisabetha Roberti Willoughby, B. Brook f.*

1. Henricus Fitz-Alan Com. Arundel. B. Maltravers † 25. Febr. 1580. 1. *Catharina Grey, Thomæ M. Dorset f.* 2. *Maria Johannis Arundel de Lanherne f. Roberti C. Sussexiæ vidua.*

1. Henricus Fitz-Alan † ante patrem Bruxellis. | Johanna Uxor *Johannis B. Lumley.* | Maria nupta *Thomæ Hovvard D. Norfolciæ.*

FITZ-ALANÆ.

DELIÆ.

Isabella de Say, *Helia de Say Dn. de Clun f.*

1. *Isabella Wilhelmi de Albini II. C. Arundel f.* 2. *Havisa de Blancminster.*

Mathildis, *Rasi de Verdun. f.*

Isabella de Mortimer.

Alizon, *N. Marchionis Saluciarum f.*

Mathildis nup. *Philippo Baroni Burnel.* — Margarita Uxor *Wilhelmi Boteler de Wemme.* — Eleonora nup. *Henrico B. Percy.*

Edmundus Fitz-Alan *Clericus.* — Alisa nup. *Johanni de Bohun C. Hereford. & Essex.* — Johanna Uxor *Warini Gerard B. l' Isle.*

Eleonora † juv. — Johanna Ux. *Humfredi de Bohun C. Hereford.* — Maria nup. *Johani B. Strange de Blakmere.* — Johannes Fitz-Alan Banneretus † naufragus 15. Dec. 1380. *Eleonora, Henrici B. Maltravers soror & hær.* — Thomas Fitz-Alan *Episc. Eliensis* post *Archiepisc. Cantuar.* & Angliæ Cancell.

Margarita nup. *Rolando Lenthall Equiti.* — Alisa Uxor *Johannis Charleton B. Powys.* — 2. Johannes Fitz-Alan. † juv. — Johannes Fitz-Alan B. Maltravers † 29. Apr. 1422. *Eleonora Johannis Berkley de Beverston f.*

Wilhelmus Fitz-Alan C. Arundeliæ B. Maltravers, Justitiarius & Comestabilis castri Doverensis † 1487. *Johanna Nevill, Richardi C. Salisbur. f.*

Thomas Fitz-Alan II. C. Arundel. † 25. Oct. 1524. *Margarita Widvile, Richardi C. River f.* — Wilhelmus. — Georgius. — Johannes. — Maria.

Eduardus Fitz-Alan. — Margarita nup. *Johanni de la Pole C. Lincolnia.* — Johanna Ux. *Georgii Nevill B. Bergavenny.*

Anna, Margarita. Elisabetha. obi-ere — innuptæ. — Catharina nup. *Henrico Grey M. de Dorset.*

delabatur. A *Norfolcienfi* initium capiundum. Numeratur *Norfolcia* inter LII. Comitatus (Anglicè *Shires* vocantur) in quos dividi Anglia folet, & inftar peninfulæ *Waveneia, Oufa, Aufona* fluviis, atque Oceano Germanico, prope circumfcribitur. Primus, pofteaquam Wilhelmus Normannus Angliam fui juris fecit, cognomen ab illa beneficio ejusdem Regis accepiffe legitur *Radulphus Waher* five *Guader*, genere Norfolcienfis, non hujus tantum provinciæ, fed etiam Suffolciæ Comes creatus; qua equidem dignitate fe pofterosque fraudavit rebellione, adverfus dictum Regem unà cum *Rogero de Britolio* Comite Herefordiæ, cujus fororem *Emmam* in conjugio habebat, concitata, quam poft rem fuam male geftam expiaturus Cruciatæ nomen dedit, eaque in peregrinatione vivendi finem fecit. Poft illum HUGO BIGOD, clara & potenti ftirpe editus, axioma Comitis Norfolciæ obtinuit à R. Stephano, cui ad acquirendum regnum Angliæ plurimum operæ commodaverat, fed à R. Henrico II. eodem exutus, eo quod rebellioni filii ejus Henrici junioris manum præbuit. Reftitutus tamen in dignitatem illam fuit à R. Richardo I. ROGERUS *Bigod*, Hugonis F. quo natus Hugo II. familiæ fuæ titulum *Marefcalli Angliæ* (quod officium inter fuprema Coronæ Anglicæ octavum nunc tenet locum) uxorio jure intulit. Ei fucceffit filiorum natu maximus ROGERUS II. qui, luxatis in haftiludio corporis articulis, fine prole deceffit, relicto hærede fratris fui HUGONIS, Juftitiarii Angliæ, in prælio ad *Levves* occifi, filio ROGERO III. qui cum in R. Eduardi I. offenfionem incurriffe: omnes honores & hæreditatem fere univerfam in illum tranfcribere coactus eft. Operæ pretium duxi, *σκιαγραφίαν* gentis hujus ex *Baronagio Wilhelmi Dugdalii* excerptam *Tabulæ* XVI. fubtexere.

Proxime à *Bigodis* titulum *Comitis Norfolciæ* geffit *Thomas de Brotherton*, regio cretus fanguine, (*a*) à fratre confanguineo R. Eduardo II. fibi collatum; ab hoc mafcula prole orbato ad gnatam *Margaritam* gradu auctior tranfiit: hanc quippe R. Richardus II. *Duciffam Norfolciæ* a. 1397. creavit, eodemque tempore ejus è filia *Elifabetha*, quam priori marito fuo *Johanni B. Segrave*, peperit, nepotem, THOMAM MOLBRAIUM *Ducem Norfolciæ* defignavit. Is è vetufta & clara *Albiniorum* ftirpe (quam *Tab.* XVI. exhibet) prognatus, morte præmatura fratris fui natu majoris JOHANNIS *B. Movvbray* & *Comitis Nottingamiæ*, domus fuæ hæreditatem creverat, & Regis paulo ante dicti beneficio non fraternum tantum titulum, fed etiam munus ac axioma *Comitis Marefcalli* Angliæ acceperat, hocque ipfe primus honeftari meruit, cum antehac nudum Marefcallorum nomen in ufu fuiffet. Quantumvis verò tantis emineret dignitatibus & regio floreret favore, attamen folum denique vertere neceffe habuit, profcriptus una cum Henrico Lancaftrio, poftea Rege, quod fe invicem perduellionis poftulaffent, eo ipfo die, quo duodecim retro menfibus Thomæ Gloceftriæ Duci, Regis patruo, manum injecerat, mifere paulopoft Caleti interempto, quemadmodum (*b*) fuperius dictum fuit. Supremum itaque diem vagus ac extorris in Venetorum Urbe explevit, ibidemq; in Abbatia S. Georgii fepultus eft. Filiorum ejus natu major, isque *cognominis*, vulgò *Comes Marefcallus* dictus, cum adverfus R. Henricum IV. parentis fui quondam adverfarium, conjurationem feciffet, capite eam luit, alter autem JOHANNES primo regni Henrici V. anno in titulum *Comitis Nottingamiæ*, atque officium *Comitis Marefcalli*, pofteaque tertio regiminis Henrici VI. anno in dignitatem *Ducis Norfolciæ* reftitui meruit, quam filius ipfius ac nepos cognomines fartam tectam fibi fervarunt. Extincta denique in pofteriore, videlicet JOHANNE III. (quem vivente ipfius patre R. Henricus VI. *Comitem VVarreniæ & Surriæ* creavit) mafcula Molbrajorum ftirpe, præterea que gnata hujus unica ANNA, quæ in regiam *Eboracenfem* domum nupfit, fine prole mortua, omnis familiæ hujus hæreditas ad *Hovvardos* & *Berklejos* à *Margarita* & *Ifabella* Johannis Molbraji I. D. Norfolciæ fororibus, ortos delapfa, & *Ducis Norfolciæ* titulus *Johanni Hovvardo*, Margaritæ filio, collatus poftea eft, quemadmodum fuo loco dicetur.

Notandum de cætero *Molbrajanum nomen* familiæ, de qua verba nunc facta funt, *afcititium* nec originarium fuiffe, primumque ex illa id affumfiffe ROGERUM, filium NIGELLI DE ALBINI, qui ROBERTI DE MOLBRAY Comitis Northumbriæ, præpotentis viri, fed cui ob confpirationem adverfus R. Wilhelmum Ruffum initam, aqua & igni interdictum fuit, uxorem primis duxit nuptiis, omnibusque profcripti facultatibus ac ditionibus à dicto Rege donatus, eas ad gnatum fupra nominatum, è fecunda conjuge, quem illa dimiffa fibi fociavit, genitum, tranfmifit. *Albinenfe* verò cognomen & ftemma propagavit WILHELMUS DE ALBINI patre *cognomini*, qui *Nigelli* frater natu major *Dugdalio* audit, natus, & quod manu fortem ac validum fe præftitiffet, cognomento *VVith the ftrong hand* nobilitatus: fertur quippe leonem, cui à vidua Regis Galliæ (cujus nomen in obfcuritate & filentio reponitur) amore ipfius capta, fed ab eo fpreta, objectus fuerat, fuperaffe atque occidiffe, inque memoriam tanti facinoris *leonem infignum loco* accepiffe, & deinde conjugem *Adelifam de Brabantia* R. Henrici I. viduam, meruiffe, quæ ipfi caftrum & comitatum *Arundellia* Suffexia fitum atque à priore marito dotis inftar

(*a*) *Vid. fup. Tab. VI.* (*b*) *Parte priori Cap. 4.*

instar sibi relictum, attulit, *Comiti Arundeliæ* ea propter à Mathilde Imperatrice creato. Cito autem stirps *Albiniorum Comitum Arundeliæ* exaruit, in nepotibus nempe *Wilhelmi* & *Adelisæ*, WILHELMO & HUGONE, hæreditate eorum in sororiorum, quos quatuor habebant, familias devoluta, ex quibus JOHANNES FITZ-ALAN, *Johannis* & *Isabellæ de Albini* gnatus, Arundelense territorium sortitus est, unde posteris ejus titulus *Comitum Arundeliæ* accessit.

Ante Albinios verò & primitus, postquam Anglia in Normannorum ditionem concessisset, axioma Comitis Arundeliæ gessisse *Dugdalio (a)* memoratur *Rogerus Baro de Montgommery* in Normannia, *Hugonis* & *Joscelinæ de Ponteaudemer* filius, & Wilhelmi Conquestoris in expeditione Anglicana strenuus comes. Huic in ditiones in Anglia acquisitas, titulumq; Comitis Arundeliæ & Salopiæ successit filius è priore uxore (ea *Mabilia* erat *Domina de Belleme* & *Comitissa Alenzonii*) secundo loco natus *Hugo de Montgommery*, quo à Magno Rege Norvegiæ, Olai filio, occiso, frater ipsius natu major, *Robertus, de Belleme* cognominatus, qui parentum hæreditatem in Normannia adierat, sui juris illas fecit, sed improbitate & crudelitate sua odium Regis Henrici I. populique, exilium & jacturam omnium in Anglia facultatum sibi posterisque attraxit. Ex uxore sua *Agnete* Comitissa *de Ponthieu*, *VVilhelmum* suscepit, cui cognomen *Talvat* & conjux *Adela*, Eudonis D. Burgundiæ gnata, fuit, cum qua filios genuit, Comitum *Pontivi* & *Alenzonii* in Gallia satores, quorum deductio alterius est loci.

Fitz-Alanorum, ad quos ab Albiniis Comitatus Arundelensis transiit, genus nomenque *Dugdalius (b)* ad ALANUM quendam refert, *Flathaldi* filium, cui R. Wilhelmus Conquestor castrum *Osvvaldester* cum territorio adjacente contulerit, matrimonio gnatæ Warini *Sheriffi* Salopiensis, aliis etiam in hac provincia fundis aucto. Ex hoc conjugio natus WILHELMUS cognomen *Fitz-Alan* (quasi dicas *filius Alani*) assumsit, à progenie sua usque servatum, & Mathildi Imperatrici fidelem adversus R. Stephanum operam navavit, ab illius gnato Henrico II. posteaquam is regno potitus est, Custos, qui Anglis *Sheriff* audit, Comitatus Salopiensis propterea constitutus. Ejus pronepoti JOHANNI II. cum ex hæreditate materna castrum & dominium *Arundelium* obvenisset, RICHARDUS, hujus nepos, ratione possessionis modo dicti loci, *Comitis* titulum, *absque creatione*, regnante Eduardo I. sibi sumsit, eundemque ad posteros suos transmisit. Eo natus EDMUNDUS, qui *Sandfordio* Richardus hujus nominis II. audit, equestri dignitate à R. Eduardo I. a. 1360. ornatus, filio ejus ac successori Eduardo II. fidem ac fortitudinem in bellis Scoticis ac intestinis ita probavit, ut in intima ipsius admissione haberetur, reginæ propterea, utpote quæ capitali odio à Rege dissidebat, invisus infestusque; hinc conflata ab illa ejusque asseclis (quos inter *Rogerus Mortimer* primas tenebat) seditione, cum una cum ipso Rege & *Spenseris*, ejus gratiosis, in factiosorum potestatem delapsus esset, ad supplicium, urgente *Mortimerio* raptus, & securi percussus fuit; quo mortis genere nepos quoque ejus RICHARDUS III. aliis IV. jussu R. Richardi II. cujus odium, haud male de ipso meritus, incurrerat, affectus est, ditionibus ipsius in fiscum redactis, in quas tamen gnatus ejus THOMAS beneficio R. Henrici IV. plene restitutus fuit.

Hoc sine prole vivis exemto successionem in castrum *Arundel* fundosque eo pertinentes avitæ vigore dispositionis adiit JOHANNES Baro *Maltravers*, ejus patruelis, cujus gnatum *cognominem* ad Parlamentum anno octavo regni Henrici VI. habitum sub titulo *Comitis Arundeliæ* evocatum fuisse, & litem à Johanne Molbrajo Duce Norfolciæ eo, & ditionis Arundelianæ nomine sibi intentatam vicisse, monumentis consignatum est. Filio ejus HUMFREDO intra pubertatis annos mortuo successit WILHELMUS patruus vir magnæ apud Reges Henricum VI. & Eduardum IV. existimationis, & genitor THOMÆ, quem R. Henricus VII. cum magna nobilium & gregariorum manu Imperatori Maximiliano adversus Gallos auxilio misisse *Dugdalio* fertur. Hujus gnatus VVILHELMUS II. inter illos numeratur, qui epistolam R. Henrici VIII. ad Pontificem Romanum Clementem VII. qua omnis ei jurisdictio in Anglia abrogata fuit, subscripserunt.

De HENRICO *Arundeliæ Comite*, in quo nobilissimæ *Fitz-Alanorum* familiæ nomen defecit, *Cambdenus (c)* & *Thuanus (d)* memoriæ mandarunt, quod plenus ac satur honorum omnibus Regibus, sub quibus vixit, à sanctioribus consiliis fuerit, summisque muneribus perfunctus sub Henrico VIII. Præfectus Caleti, exercitus Tribunus in Bononiensi expeditione & Camerarius in Eduardi VI. inauguratione Angliæ Marescallus & Comestabilis, nec non in coronatione Mariæ, sub qua & Regiæ Senescallus & sanctioris consilii Præses fuit & Elisabethæ iterum Senescallus, cujus nuptias ad ætatem vergens ambivit, earumque spe magnas opes profudit; minus autem illi charus factus, postquam Thomæ Hovvardi Norfolcii nuptiis cum Maria Scotorum Regina clam agitatis se immiscuisset & Francisci Andini cum ipsa matrimonio palam se opponeret; pro aperto enim, quo erat animo, palam profitebatur, Gallos sibi minime placere, dicti-

(a) *Baronag. Tom. I. pag. 26.* (b) *Ibid. p. 314.* (c) *Annal. Elis. p. 330.* (d) *Hist. Lib. 70.*

tans, se à patre, in Suffexia Gallis vicina nato, edoctum, *ne Gallis crederet.* Decessit matura senectute, postquam liberos tres, quos à conjuge priore *Catharina Greja* suscepit, ordine naturæ turbato extulisset, quos inter mas unicus ipsi *cognominis*, juvenis optimæ spei Bruxellis obiit; filiarum natu major Baroni Lumlejo nupta sterilis fuit, natu minor autem Thomæ Howardo Norfolciæ Duci marito suo *Philippum Arundeliæ Comitem* peperit. Corpus defuncti tumulo majorum in æde Arundelensis castri illatum, memoriæque ejus à genero monumentum exstructum fuit, cum hoc Epitaphio:

VIRTUTI ET HONORI SACRUM.

Magnanimus Heros, cujus hic cernitur effigies, cujusque hic subter sita sunt ossa, hujus territorii Comes fuit: sui generis ab Alani filio cognominatus, à Maltraverso, Clunensi & Osvvaldestrensi honoribus eximiis, Dominus insuper ac Baro nuncupatus: Garteriani ordinis Equestris sane nobilissimi sodalis dum vixit antiquissimus: Arundeliæ Comitis Guilielmi filius unicus & successor, omniumque virtutum particeps: qui Henrico VIII. Edvvardo VI. Mariæ & Elisabethæ Angliæ Regibus, à secretis consiliis, villæ quoque Calesiæ præfecturam gessit, & cum Henricus Rex Boloniam in Morinis obsidione cinxerat, exercitus sui Marescallus primarius, deinde Regis fuit Camerarius: ejusque filio Edvvardo dum coronaretur Marescalli regni officium gerebat: ei, sicut antea patri Camerarius factus. Regnante vero Maria Regina coronationis solemni tempore summus constitutus Constabularius, domusque Regiæ postmodum Præfectus ac Consilii Præses: sicut & Elisabethæ Reginæ, cujus similiter Hospitii Senescallus fuit. Ita vir iste genere clarus, publicis benè functus magistratibus clarior, domi ac foris clarissimus: Honore florens, labore fractus, ætate confectus, postquam ætatis suæ annum LXVIII. attigisset, Londini XXV. Die Februarii Anno nostræ Salutis à Christo MDLXXIX. piè & suaviter in Domino obdormivit.

Johannes Lumley Baro de Lumley gener pientissimus, supremæ voluntatis suæ vindex, socero suavissimo & Patrono optimo magnificentissimè funerato, non memoriæ, quam immortalem sibi multifariis virtutibus comparavit, sed corporis mortalis ergò in spem felicis resurrectionis reconditi: hanc illi ex propriis armaturis statuam equestrem pro munere extremo uberibus cum lachrymis devotissimè consecravit.

Insignia denique quod attinet, familiarum, quarum hoc Capite mentio facta est; refert *Gibbonus* ex Camdeno, *Bigodos* usos esse in sigillis *Leonibus salientibus*, quorum tamen & numerus & color præteritur; alii verò *crucem cæruleam aureo campo impressam* eis tribuunt. *Albinei* in scuto *rubro Leonem aureum* gessere: quem *Molbraji argento* tinxerunt; *Fitz-Alanorum* digma eum Albinensi prorsus congruebat; hodieque in *Hovvardorum* clypeo non secus ac Molbrajanum conspicitur.

CAPUT II.

DE ANTIQUIORIBUS SURRIÆ ET SUFFOLCIÆ COMITIBUS, ET FAMILIIS VARENNENSI, POLANA ET BRANDONICA.



A *Surriæ* comitatu, qui Cantio, Suffexia, Bercheria & Tamisi fluvio definitur, titulum primus indeà Conquæstoris ætate gessit *Wilhelmus de Varennes*, genere Normannus, inque eo gnatum & nepotem cognomines, & demum, familia ad colum devoluta, postremi generis successores nactus est. Ex his *Hamelinus Plantageneta*, quem Regis Henrici II. fratrem nothum fuisse ferunt, novam Comitum Surriæ stirpem prosevit, quæ in ejusabnepote *Johanne* II. emarcuit, hæreditate ejus ad sororem *Alisam*, Edmundi *Fitz-Alan* C. Arundeliæ Uxorem, delapsa, quemadmodum è Schemate XVIII. liquet. Ex hujus equidem progenie, qui titulum à Surria gesserit, nullus repetitur, sed cessavit is usq; dum à Richardo II. *Thomas Holand* Cantii Comes eo cum *Ducali* axiomate auctus a. 1397. fuit, qui eodem sub initium regni Henrici IV. iterum exutus est. Thomas de Beaufort deindead hanc dignitatem à R. Henrico VI. provectus fuit. Demum verò *Johannes Movvbray* III. patre ipsius Duce Norfolciæ superstite, à R. Henrico VI. d. 24. Mart. 1451. *Comes Wareniæ & Surriæ* creatus fuisse memoratur, qui titulus genero quoque ejus *Richardo Duci Eboracensi* tribuitur, & denique *Hovvardis* collatus est.

Insignia Comitum Surriæ è *Varennensi* familia scuto constabant *ex auro & cyano tessellato*; neque aliis *Hamelini Plantagenetæ* posteros usos fuisse reperio.

Comitatus *Suffolciensis* Norfolcia, Essexia, Cantabrigiensi agro & oceano Germanico circumscribitur; titulum ejus primus gessisse legitur *Radulphus Waher*, sive *Guader* cum Norfol-

ciensi

SCHEMA COMITUM SURRIÆ.

WILHELMUS DE VARENNES I. COMES SURRIÆ † 24. Jun. 1089. *Gundredis, Gilbodi Flandri soror* † 27. Maji 1085.

Wilhelmus II. Comes Wareniæ & Surriæ † 1135. *Elisabetha Hugonis Magni C. Veromand. f. Roberti de Beaumont Com. de Meullent vid.*	Renaldus de Varennes.	Editha nup. 1. *Girardo de Gournay.* 2. *Droco de Monceaux.*	N. Uxor *Ernesti de Coulonces.*

Wilhelmus III. C. Varen. & Surriæ † 1148. *Ala, Wilhelmi Talvas Com. de Ponthieu f.* † *4. Dec. 1174.*	Gundredis nup. *Rogero C. Warwici.*	Adelina Uxor *Henr. de Scotia C. Angus. R. Davidis fil.*	Reginaldus de Varennes Dn. in Wirmgay, per Ux. *Alisam Dom. de Wirmgay.*	Radulphus de Varennes.

Isabella, hæres unica, nup. 1. *Wilhelmo Com. Mortan. & Bonon. nec non uxorio jure, Varenia & Surriæ* † *circ. a. 1160.* 2. *Hamelino Platageneta, eodem jure Comiti Varenia & Surriæ Godofredi Com. Andium notho* (vid. supra Tab. IV.) *ô* † *1202.* ipsa † 13. Jul. 1199.	Wilhelmus Warren de Wirmgay. 1. *Beatrix.* 2. *Milisenda, Richardi Muntfichet vidua.*

2. Wilhelmus V. Comes Varen. & Surriæ † 27. Maji 1240. *Mathildis, N. Com. Arundel. fil.* 2. *Mathildis Wilhelmi Mareschal Com. Pembroc. f. Hugonis Bigod Com. Norfolc. vid.* † 1248.	Beatrix nup. 1. *Dodoni Bardulf.* 2. *Huberto de Burgh. Com. Cantii.*

2. Johannes I. Com. Varen. & Surriæ † 27. Oct. 1304. *Alisa, Hugonis le Brun, Com. March. fil.* † *9. Febr. 1290.*	Isabella nup. *Hugoni de Albini C. Arundel.*

Wilhelmus de Varennes † ante patrem 15. Dec. 1285. *Johanna de Vere, Roberti C. Oxon. f.* † *22. Dec. 1293.*	Eleonora nup. *Henrico B. Percy.*	Isabella Ux. *Johannis Ballioli R. Scotiæ.*

Johannes II. posthumus Com. Varen. & Surr. n. 29. Jun. 1286. † sine prole legitima 1. Jul. 1347. 1. *Johanna, Henrici C. de Baar f.* 2. *Isabella de Houland. Ex Mathilde de Nereford* verò concubina ejus nati sunt	Alisa fratris hæres nup. *Edmundo Fitz-Alan Com. Arundeliæ.*

Johannes de Warren *nothus.*	Thomas de Warren *nothus.*

SCHEMA COMITUM AC
FAMILIA
WILHELMUS DELA

Richardus de la Pole in Miton.

Wilhelmus de la Pole, *Margarita Johannis Peverel soror & hæres.*

Michael de la Pole COMES SUFFOLCIÆ cr. 6. Aug. 1385. Cancellarius & custos Sigilli † 5. Sept. 1388.

Johannes de la Pole. *Johanna Johannis B. Cobham fil. ac hær.*

( )

Michael dela Pole II. Com. Suffolciæ † 14. Sept. 1415. *Catharina Hugonis C. Stafford, fil.*

Johanna nup. *Reginaldo, Braybrocke.*

Michael de la Pole III. occ. in pr. Azinc. 24. Oct. 1415. *Catharina.*

Wilhel. de la Pole Comes post MARCHIO & denique DUX Suffolciæ, Marchio Pembr. Eq. Pensc. *decoll.* 2. Maji 1451.

Catharina monialis in –

Elisabetha, Isabella nuptæ.

Johannes de la Pole Dux Suffolciæ † 1491.

Johannes de la Pole, Comes Lincolniæ cr. 1467. occ. in pr. Stok. 16. Jun. 1487. *ux. Margarita Fitz-Alan, Thomæ C. Arundel. f.*

Edmundus de la Pole Comes Suffolc. *decoll.* 5. Apr. 1513. *Margarita Richardi B. Scrope f.*

Humphredus de la Pole *Clericus.*

Anna de la Pole, filia unica, *monialis* in suburbio Londinensi.



FAMILIA
WILHELMUS BRANDON

Anna nup. *Johanni Sidney,*

Margarita Ux. N. *Lovel.*

Elisabetha nup. 1. *Johanni Cavendish,* 2. *Johanni Leventhorp.*

Wilhelmus Brandon occ. in pr. Bosworth, 22. Aug. 1485. *Anna Henrici Bruyn f. & h.*

Anna.

Wilhelmus Brandon.

Carolus Brandon DUX SUFFOLCIÆ cr. 1. Febr. 1513. † 24. Aug. 1545.

2. Anna nup. *Eduardo Grey, Bar. Powys.*

Maria Ux. *Thomæ Stanley Bar. Mont-Egle.*

3. Henricus Brandon C. Lincolniæ cr. 1525. † ante patrem.

DUCUM SUFFOLCIÆ.

LA POLE.

Mercator Regiodunensis.

Wilhelmus de la Pole, Banneretus cr. 1319.
Catharina Johannis Norvvich Eq. f.

Catharina Johannis de Wingefeld fil. ac hæres. — Blanca nup. *Richardo Bar. Scrope.* — Thomas de la Pole. — Edmundus de la Pole.

Richardus de la Pole † *ăn.* 1402. — Johannes de la Pole. — Anna nup. *Gerardo del Isle.* — Catharina.

Alicia, Thomæ Chaucer f. Johannis Phelip. vid. 1436. † 20. Maji 1475. — Alexander de la Pole occ. à Gallis ap. Jargæum 1429. — Johannes de la Pole.

Elisabetha, Richardi D. Eboraci fil.

Eduardus de la Pole *Archid. Richmond.* — Richardus de la Pole, occ. in pr. Ticin. 1525. — Catharina nupta *Wilhelmo B. Stourton.* — Anna, *monialis* Sionæ. — Dorothea. — Elisabetha Ux. *Henrici Lovel B. Morley.*

BRANDON.

Eques. *Elisabetha Roberti Wingfield Equitis f.*

Robertus Brandon. N. *Calthorp.* — Thomas Brandon Eq. Ord. Perisc. † *ăn.* N. *Baronis Dacres f.* — Eleonora. Ux. N. *Glemham.* — Maria nup. N. *Reding.* — Catharina. Uxor N. *Gimney.* — Anna nup. N. *Loveday.*

Ux. 1. Margarita Nevil, Johannis M. Mountagu f. Johannis Mortimer Eq. vid. 2. Anna, Antonii Browne Eq. f. 3. Maria Tudor Henrici VII. R. Angl. f. Ludovici XII. R. Gall. vid. 4. Catharina Wilhelmi B. Willougby de Eresby f. & h.

Francisca nup. 1. *Henrico Grey Duci Suffolciæ.* 2. *Adriano Stok Armigero* † 1563. — Eleonora Ux. *Henrici Clifford Com. Cumbriæ.* † — 4. Henricus Brandon Dux Suffolciæ † 14. Jul. 1551. in juv. — Carolus Brandon † juv. 14. Jul. 1551.

cienfi conjunctum, quemadmodum Capite superiore dictum fuit. Post longum temporis intervallum Rex Eduardus III. *Robertum de Ufford*, Equestri de genere natum, atque in bellis Gallicis præclare meritum, Comitem Suffolciæ creavit, anno scilicet XI. regni sui, qui seculi decimi quarti septimus supra tricesimum fuit. *Patrem* is habuit *cognominem*, Regii Hospitii Seneschallum, matrem *Ceciliam de Valoniis* Dominam *de Oreford*; uxorem *Margaritam* Walteri *Norwvich de Metingham* filiam; suscepit ex ea gnatos duos *Robertum* & *Wilhelmum*, fœmellas tres, videlicet *Ceciliam* Johanni Bar. *Willoughby ab Eresby* nuptam, *Catharinam* Roberto Bar. *Scales* elocatam & *Margaritam*, quæ Wilhelmo Bar. *Ferrers de Groby* in manum convenit. Patri Cal. Nov. a. 1369. mortuo successit filius natu minor *Wilhelmus*; major enim genitoris fatum anteverterat. Ille præfectura militiæ navalis sub Eduardo III. aliisque belli pariter & pacis negotiis etiam Richardi II. auspiciis præclarè perfunctus, morte repentina in robore ætatis rebus humanis exemptus est: nimirum delectus à Domo Communitatis, ceu vocant, in comitiis a. 1382. ut sententiam ejus Proceribus nunciaret, dum scalas eum in finem adscenderet, subitò exanimis concidit. Uxorem iterata duxerat vice, primò *Johannam*, Eduardi *de Montacute* ex Alissa Plantageneta filiam, deinde *Isabellam Beauchamp*, Thomæ Com. Warwici gnatam, Johannis le Strange viduam, liberos tamen nullos post se reliquit, proindeque natos è sororibus suis hæredes habuit. Suffolciæ Comitis titulum R. Richardus II. elapso quadriennio *Michaeli de la Pole* contulit.

Hujus parens atque avus amplæ & honestæ apud Regiodunenses Hullinos familiæ maximas divitias ex negociatione fecerant, ille etiam à R. Eduardo III. cui per bellum Gallicum exhausto, aliquoties pecunia opportunè subvenit, *Bannereti* dignitatem meruerat. *Michael* non opibus tantum à patre sibi relictis, sed etiam manu sua Regibus Eduardo III. & Richardo II. domi militiæque inserviendo gratiam eorum, posterioris præcipue, altioresque consecutus est honores; ab hoc enim munere *Cancellarii* & *Custodis magni Sigilli* a. 1383. & biennio post titulo *Comitis Suffolciæ* magnaque possessionum Wilhelmi ab Ufford recens defuncti parte auctus est. Proceribus verò tanquam novus homo invisus atque exosus invalescente eorum factione cedere invidiæ publicæ & fuga clandestina in Galliam se subducere necesse habuit; neque inde rediit, mortè Lutetiæ Parisiorum interceptus. Pars ditionum ejus fisco tunc addicta, posteaquam Henricus Bullingbrocensis ad regnum pervenit, restituta fuit MICHAELI *de la Pole* II. illius gnato, eidemque & posteris parentis sui masculis titulus Comitis Suffolciæ corroboratior redditus. Vitam is usque ad Henrici V. regnum produxit, huicque in expugnatione Harflæi præsto adfuit, paulo autem post è profluvio mortui successionem aditurus erat filius natu maximus & cognominis; sed intra mensis spatium fatorum iniquitate in celebri apud Azincurtium prælio raptus fratri natura proximo eam reliquit.

Hujus, cui nomen fuit WILHELMO, fortitudo atque opera in bello Gallico enituit, in quo totos XXIV. annos & miles & dux meruisse, & continuo XVII. annorum spatio pedem Gallia non extulisse prædicatur, plerisque magnis eventibus immixtus, & capta Cenomanorum urbe ejus præfectura donatus. Versa verò fortuna Jargæi cum fratre suo JOHANNE (alter ALEXANDER dictus eadem occasione mortem oppetiit) à Gallis captus, ut libertatem recuperaret, XX. millia librarum Anglicarum solvere necesse habuit. Exinde coronationi R. Henrici VI. Lutetiæ Parisiorum factæ, interfuit, adscitusque in intimiorem ejus Senatum, nuptiarum ipsius cum Margarita Andegavensi præcipuum se præbuit instrumentum; in gravem procerum invidiam propterea lapsus, quæ vehementer succrevit, cum reginæ partibus totum se applicando ad Humphredum Ducem Glocestriæ, & regni quondam, dum Henricus VI. impuber esset, protectorem, è medio tollendum plurimum operæ contulisset. Huic quippe, si absque prole decessurus esset, successor in titulum & honorem Comitis Pembrochiæ, quo æque ac Glocestrensi gaudebat, designatus jam tum a. 1443. fuerat, quem etiam isto è vivis sublato sibi sumsit, axiomate insuper *Marchionis* a. 1445. & denique sequenti anno *Ducis Suffolciæ* auctus, nec non instinctu reginæ muneribus *supremi Cubicularii* & *Admiralis Angliæ* decoratus. Verum cum res Anglicæ in Gallia quotidie in pejus ruerent, jamque Normannia etiam, Andiumque & Cenomanorum regiones amissæ essent, publicæ calamitatis & rerum male gestarum culpam subiit, à proceribus tanquam *pestis & pernicies patriæ* (Polydori Vergilii verbis (a) utor) *omnibus precibus detestatus, quod pecuniam publicam dilapidasset, exercitum stipendio fraudasset, supplementum mittendum non curasset, aulam bonis consiliariis vacuam fecisset, suoque arbitratu cuncta ageret*; quibus vocibus factum est, ut à multitudine concitata parricidii peculatusque ipse & ejus clientes accusati, atque publice ad supplicium petiti fuerint. Itaque à Rege reginaque seditionem veritis in carcerem conjectus, at paucis post diebus eo liberatus & in pristinum locum restitutus fuit. Frementibus autem ea propter proceribus & plebe, clientes ejus ad supplicium rapti,

(a) *Hist. Angl. Lib. XXIII.*

rapti, ipse verò in Galliam secedere à Rege jussus est; prima quaque opportunitate revocandus; qui cum navim conscendisset, subito à navarcho quodam adversarum partium comprehensus & ad sinum Doverensem ductus in scapha capite truncatus est. Ante Aliciam clandestinum cum *Comitissa* quadam *Hannoniæ* matrimonium, & filiam ex ea natam illi fuisse N. *Barentino* nuptam, *Dugdalius* refert.

JOHANNES DE LA POLE, *Wilhelmi* F. à R. Eduardo IV. cujus sororem in matrimonio habebat, in dignitatem *Ducis Suffolciæ*, qua parens ejus, perduellionis damnatus, exciderat restitutus fuit per diploma d. 23. Mart. anno III. regni ipsius. Post tria lustra ejusdem Regis beneficio Hiberniæ vicaria potestate ad vicennii spatium impositus & deniq; à R. Henrico VII. officio *Comestabilis* castri *Wallingford* auctus est. Filiorum ejus natu maximus, isque *cognominis* ab avunculo R. Eduardo anno regni sui VII. d. 13. Mart. *Comes Lincolniæ* creatus est; is, ceu *Fr. Baco Verulamius* in *Hist. regni Henrici* VII. memoriæ prodidit, *spiritus altos ac elatos gerebat, simulque strenuus erat & ingenio pollens, & sublimibus cogitationibus insuevit*, postquam à Richardo III. *hæres apparens Coronæ Anglicæ* declaratus atque in successionem regni destinatus fuisset. Hinc iniquo tulit animo Henricum Richmondiæ Ducem post cædem Richardi III. ad regnum pervenisse, utque ei incommodaret, in Flandriam ad Ducissam Burgundiæ materteram suam, pari agitatam livore, abiit, & ejusdem instinctu Martino Swarth, quem fulciendæ seditioni à Lamberto Symnel sub persona Eduardi Plantagenetæ Com. Warwicensis concitatæ, cum 4000. militibus in Angliam miserat, sese adjunxit, sed in pugna apud locum *Stoke*, in Nottingamiæ Comitatu, pugnata, cum maxima seditiosorum parte vitam amisit. Frater ipsius ætate proximus EDMUNDUS, titulum Comitis Suffolciæ gessit: huic initio cum R. Henrico VII. haud malè conveniebat, postquam verò accidisset, ut ille in iræ fervore (erat enim iracundus & cholericus) hominem plebejum occiderit, & Rex gratia quidem delicti ei facta, in judicium tamen palam eum produxisset, & diploma condonationis suæ apertè allegari voluisset, in contumeliam id rapuit Comes, ad eò ut eam altius ad animum revocaret, quàm gratiam. Infensus ergò animi clam in Flandriam aufugit ad materteram; benignis autem Regis nunciis emollitus rediit, veniamque accepit. Paulò tamen post querelis vulgi contra regimen Henrici ad spes novas pro levitate & temeritate ingenii sui erectus, & *vapores quosque* (ut *Verulamii* verbis utar) *in tempestates versum iri arbitratus*, cum fratre denuò in Flandriam aufugit & clandestina cum Burgunda consilia adversus Regem contulit, quæ detecta esse, sociosque suos pœnas pependisse postquam cognovit, vagus aliquandiu denique in protectionem Philippi Austriaci se dedit; qui tamen deinde, cum in Hispaniam navigans à tempestate littori Anglico appulsus fuisset, se à sæpè dicto Rege induci passus est, ut Suffolcium ei traderet, pollicito, se vitam ipsi minimè ademptHoc promisso ita stetit, ut Comitem salvo capite ipsius in custodia detineret; successor autem ejus Henricus VIII. promisso patris neutiquam se teneri ratus è carcere extractum securi subjecit. RICHARDUS ejus frater & exilii olim consors Gallis militasse atque in celebri ad Ticinum prælio mortem oppetisse memoratur.

Suffolciensem titulum, supplicio *Edmundi de la Pole* vacuefactum R. Henricus VIII. non ita multo post sub *Ducali* axiomate contulit CAROLO BRANDON, quem magno animo & corpore, fortibusque factis inclytum ac suo eum ingenio & natura congruentem ea propter sibi charum & cordi habitum, paulo ante *Vicecomitem L'isle* creaverat. Affectus ille deinde honore sororem Regis Mariam, Regi Gallorum Ludovico XII. desponsatam, in Galliam deducendi, ea in hastiludiis, inter nuptiales festivitates habitis, dexteritatis documenta edidit, ut reginæ gratiam & benevolentiam penitus sibi conciliaret, neque ea vidua brevi facta dubitavit matrimonii fidem illi, itidem secundum viduo, dare, hancque assentiente fratre liberare. Auctus exinde *Carolus Brandonus* Dux Suffolciæ officio *Stuarti* seu Præfecti regii Palatii, plerisque itineribus atque expeditionibus bellicis R. Henrici VIII. intervenit; extititque ultima ejus at eximia opera & gloria in expugnatione Bononiæ, cui haud diu superfuit, luculenta hæreditate post se relicta; hanc filiis duobus, quos è quarta uxore genitos superstites habuit morbo epidemico uno eodemque die præmaturè extinctis, amitini ejus inter se dispertiti sunt. Suffolciensis autem titulus transiit ad HENRICUM GRAJUM, de cujus stirpe in Comitibus Cantii hodieque florente, suo loco dicetur. Hic filiam illius FRANCISCAM, è Maria Dotaria Galliæ Regina natam, in matrimonio habuit, quæ varietate fortunæ jactata anno demum sexagesimo tertio superioris seculi *miseram vitam*, ut *Camdeni* (a) verbis utar, *exuit, cùm primum Janam filiam Reginam Angliæ promulgatam, & paulò post capite obtruncatam, mox maritum suum eodem supplicio sublatum, Catharinam secundam filiam Comitis Pembrochiæ filio nuptam, repudiatam & jam carcere conclusam, Mariamque filiam tertiam impari conjugio cum Regio aulico aleatorum arbitro conjunctam vidisset, & ipsa generis oblita Adriano Stokes minorum gentium nobili, suo dedecori, sed tamen securitati nupsisset.* Patrem de cætero habuit Carolus Suffolcius WILHELMUM BRAN-

(a) *Annal. Elisab. p. 80.*

DON, qui pro Henrico Duce Richmondiæ adversus Richardum III. in decretorio apud Bosworthum prælio strenue pugnando, & vexillum sibi commissum fortiter tuendo, egregia morte defunctus est; patruum THOMAM, qui Henrico VII. fidem ac fortitudinem suam adeo probavit, ut aureæ periscelidis insignibus decorari promeruerit.

Scutum Comitum ac Ducum Suffolciæ è *Polana* familia, *cæruleum* erat, *fasciam auream tribus capitibus leoninis argenteis stipatam*, deferens; *Brandonorum* verò *tæniis decem argenteis & rubeis variegatum, leonem aureum coronatum continens.*

CAPUT III.

DE COMITIBUS BERCHERIÆ, ET CARLEOLI ANTIQUIORIBUS.



Bercheria Comitatus Tamesi, Hantonia, Surria & Wiltonia terminatur, & Comitis honore primum hoc demum seculo insignivit FRANCISCUM NORRIS. Hujus genus à JOHANNE NORRIS *Dugdalius (a)* deducit, quem sub Regibus Henrico VI. & Eduardo IV. inclaruisse, & ab illo munere *Sheriffi* Comitatuum Oxoniæ & Bercheriæ, ab hoc autem præfectura vestiarii regii auctum fuisse refert. WILHELMUS NORRIS, Johannis gnatus, interduces, qui pro Rege Henrico VII. adversus seditiosos in Stokensi prælio pugnarunt, à *Polydoro Vergilio* numeratur. Hujus è gnato EDUARDO nepos HENRICUS NORRIS inter præcipuos R. Henrici VIII. cubicularios locum habuit, & castro *Walingford* Comestabilis præfuit, gratia etiam Annæ Bullenæ, Regi tunc nuptæ, florens, quæ quidem funesta denique ipsi evasit: postquam enim Rex Zelotypus diffidere conjugi cœpisset, eamque adulterii damnasset, *Norrisius* etiam una cum aliis, illa familiarius usis, securi percussus fuit, relicto post se filio *cognomini* è *Maria* Thomæ *B. Dacres* gnata suscepto, quem Regina Elisabetha equestri honore ornatum in Galliam Oratorem anno regni sui XIV. misit, postea que Paribus regni adscripsit, die 8. Maji ejus anni qui seculi superioris LXXII. fuit, ad Parlamentum evocatum. Habuit in conjugio *Margaritam*, Johannis B. *Williams de Tama* filiam ac hæredem, è qua bellicosam prolem suscepit, videlicet WILHELMUM, JOHANNEM (de quibus postea) THOMAM Momoniæ Præsidem, & aliquantisper Hiberniæ Justitiarium, ex levi vulnere neglecto sublatum. HENRICUM eodem fato eodem fere tempore ibidem extinctum: MAXIMILIANUM bello Britannico occisum: & EDUARDUM Ostendæ Præfectum qui solus patri a. 1601. mortuo superstes fuit. JOHANNES secundo genitus bellicis laudibus nulli ætatis suæ secundus, cum prima militiæ tirocinia in civili Gallorum bello sub Colinio Admirali posuisset, ordines in Hibernia juvenis sub Waltero Comite Essexiæ duxit, Chiliarcha generalis Anglorum sub Ordinibus in Belgio, Marescallus exercitus Ordinum sub Comite Hohenloico, Momoniæ Præses XII. annos, Generalis auxiliarium Anglorum in Britannia Armorica, & aliis belli muniis perfunctus, virtute meruit, ut per omnes gradus ad summum militaris laudis fastigium ascenderet. Verum in legatione Hiberniæ, quam ex meritis sibi promiserat, Thomæ Baroni *Borough* æmulo suo, sed rerum gestarum gloria impari, posthabitus, & sub ejus imperio in Momoniæ præfectura manere jussus, animi ægritudine victus succubuit, & brevi diem obiit, quemadmodum *Camdenus (b)* refert.

WILHELMUS natu maximus, Berwici Marescallus in Hibernia defunctus ex *Elisabetha* Richardi *Morison* gnata filium suscepit FRANCISCUM initio nominatum, qui avo successit, atque a. 1621. d. 28. Jan. à R. Jacobi I. *Vicecomes Thame* & *Comes Bercheria* creari meruit. Huic abhinc biennio cum in prætorio, præsente Rege & frequente Parlamento, rixa forte cum Barone Scroope orta esset, quam atrocius pro loci reverentia persequebatur; in carcerem jussu Regis conjectus fuit; qua ignominia vir alti ac ferocis ingenii adeò commotus est, ut arrepta balista semet feriret lethali vulnere, è quo paulò post decessit, *unica filia*, quam è *Brigita* Eduardi Com. Oxoniæ gnata genuit, post se relicta, nempe *Elisabetha* i ea *Eduardo Wray* nupta unicæ itidem sobolis sui sexus mater facta est, *Brigita* scilicet, quæ primis nuptiis *Eduardo Sackville*, Comitis Dorseti gnato, secundis *Montacuto Bertu* Com. Lindsejæ in manum convenit, atque è posteriore aliquot sustulit liberos, quorum natu maximus *Jacobus* titulum *Baronis Norrisii* assumsit, nunc *Comitis de Abington* dignitate auctus. Bercheriensis verò titulus in Hovardam transiit familiam. Insignia *Norrisia* gentis scuto constabant *quadripartito*, ita ut prima & extrema quadra *canderet*, secunda autem ac tertia *rubea clathros aureos* referrent, incumbente toti scuto *fascia cærulea, lunula falcata aurea* insignita: Galeam premebat *corvus*. Carleoli

(a) Baronag. III.403. (b) Annal. Elisab. ad a. 1597.

SCHEMA FAMILIÆ NORRISIÆ.

JOHANNES NORRIS, Sheriffus sive Custos Comitatuum Oxoniæ & Bercheriæ † 1. Sept. 1466.

Wilhelmus Norris † post a. 1500. Ux. 1. *Isabella, Edmundi Ingaldesthorp fil. & her. Johannis Nevill M. Montagu vid.* 2. *Jana Vere, Joh. C. Oxon. f.*

1. Wilhelmus. obiére in juventa.	Leonellus.	Richardus	N. nup. *Joh. Langeford de Bradfeild.*	Johanna Ux. *Joh. Cheney de Wodbey.*	Elisabetha nup. *Wilhelmo Farmer de Somerton.*	2. Eduardus Norris Eq. Aur. *Fridisvvida Francisci Vicec. Lovel fil. & cohær.*

Johannes Norris † improlis 21. Oct. 1564. *Elisabetha, Edmundi B. Bray soror.* Henricus Norris *decoll.* 1556. *Maria Thomæ B. Dacrés of the South fil.*

Henricus BARO Norris de Ricot cr. 8. Maji 1572. † 1601. *Margarita, Joh. B Williams de Tame fil. & cohær.* Maria nup. 1. *Georgio Carevv,* 2. *Arturo Champernon.*

Wilhelmus Norris † ante patrem 25. Dec. 1579. *Elisabetha, Richardi Morison de Cayshobury f.*	Johannes Norris, Eques auratus † 1597.	Eduardus Norris † † 1603.	Henricus Norris.	Thomas Norris.	Maximilianus Norris.

Franciscus B. Norris de Ricot, VICECOMES Thame, COMES DE BERCKSHIRE, cr. 28. Jan. 1618. † 1621. *Brigita Vere, Eduardi Com. Oxon. fil.*

Elisabetha, nup. *Eduardo Wray, Wilhelmi Wray de Glenthvvorth filio secundogenito.*

Carleoli Comites ab oppido hujus nominis in Cumbria sito titulum habent, quem primus gessit ANDREAS DE HARCLA, *Michaelis* F. à R. Eduardo II. anno 1322. sibi collatum: ei quippe manu, qua pollebat, strenue inservivit, tum Scotico in bello, tum præcipue in civili, à Thoma Comite Lancastriæ concitato, quem prælio victum cepit, & Regi, Eboraci tunc agenti, adduxit; Verum enim verò quam fidelitate dignitatem sibi pepererat, eandem brevi una cum vita perfidia perdidit: nimirum à dicto Rege in Scotiam missus, ut cum R. Roberto de pace ageret, bellum sevit, & proditionem adversus herum exorsus est, in tesseram reciprocæ fidei matrimonium cum Roberti sorore pactus. Re autem Eduardo detecta, cum nihil sibi metuens Carleolum rediisset, comprehensus, & facinoris convictus in patibulum actus & dissectus est. (*a*)

Ab illa tempestate cessavit titulus Comitis Carleoli usque ad regnum Jacobi I. qui eum JACOBO HAJO, genere Scoto, sibi gratioso, anno 1622. impertiit, jam antea anno 1615. primo Scotorum Baroni Angliæ sub titulo *Lord Hay of Sauley*, atque anno 1618. Vicecomiti *Doncaster* ab ipso creato, & aliquot legationibus in Gallia & Germania perfuncto. Conjugium ille bis contraxit, prius cum *Honora*, Eduardi B. *Denny* filia ac hærede, posterius cum *Lucia*, Henrici *Percy* Comitis Northumbriæ gnata, fatisque concessit die XXV. April. 1636. relicto *filio* ac successore *unico* sibi *cognomini*, qui mense Octobri anno 1660. nullis è *Margarita Francisci Comitis Bedfordiæ gnata* Uxore sua, liberis susceptis, supremum diem explevit: (*b*) unde vacuefactus denuo Carleolensis titulus in *Hovvardam* denique familiam translatus est. Digma *Hajorum* gentilitium *parmulas tres rubeas*, solo *argenteo* impressas referebat.

(*a*) Dugdal. Baronag. 1107. (*b*) Ibid. p. 437.

CAPUT IV.

DE FAMILIA HOWARDA.



Larissimam *Hovvardorum* familiam, in quam omnes, de quibus dictum est, tituli confluxerunt, *Dugdalius (a)* ad WILHELMUM HOWARD refert, latifundiis in *Wigenhalia*, quæ in regione Norfolciæ occidentali posita est, abundantem, & Judicis communium placitorum munere sub Regibus Eduardis I. & II. magna eruditionis fama functum. Eo natus JOHANNES inter Cubicularios R. Eduardi I. locum habuisse, sub Eduardo II. officium *Sheriffi* (quo nomine illi appellantur quibus à Rege custodia Comitatuum ad exequenda ibi ejus mandata committi solet) in Norfolcia & Suffolcia obiisse, castro Notwicensi præfuisse, eidemq; in Scoticis & Vasconicis bellis impigre militasse memoratur. Huic *filius* erat *cognominis*, quem R. Eduardus III. toti classi suæ Admiralem iterata præfecit vice. Primum verò ad summas, quibus gens ista effloruit, dignitates gradum struxit matrimonium, quod ROBERTUS HOWARD, nominis illius II. *Johannis* III. F. cum *Margarita Molbraja* contraxit: id enim non regia tantum cognatione Hovvardos extulit, sed etiam luculentæ Molbrajanæ familiæ hæreditate, & jure in Ducatum Norfolciæ auxit. Hinc JOHANNES IV. ex hoc conjugio ortus, & multis magnisque meritis de Regibus Eduardo IV. & Richardo III. inclutus, à priore Paribus regni adscriptus, præfectura rei maritimæ, & aurea periscelide ornatus, à Richardo autem ad dignitates *Comitis Marescalli Angliæ* & *Ducis Norfolciæ* uno eodemque die, qui 28. Jun. anni 1483. erat, & denique *Magni Admiralis* Angliæ, Hiberniæ & Aquitaniæ provectus; haud longiore tamen earum usura gavisus, ac Richardus regno per vim, & cædes rapto; eodem enim in prælio quo is coronam & vitam amisit, ille etiam fortiter ejus partes propugnando, occubuit.

THOMAS HOWARD, *Johannis* IV. F. titulo *Comitis Surriæ*, eodem die quo parens Norfolcianum accepit, donatus, in prælio Bosvvortensi, quo ille cecidit, captus, sed à victore Henrico VII. benigne habitus, & in gratiam receptus, neque solum in titulum illum restitutus, sed etiam officio *Magni Thesaurarii* auctus fuit, Vir *Polydori (b)* elogio, *prudentia, gravitate & constantia summa.* Accessere deinde R. Henrici VIII. beneficio dignitates *Comitis Marescalli Angliæ* & *Ducis Norfolciæ*, quarum priorem a. 1510. alteram Calendis Februar. a. 1513. adeptus est. De hoc scilicet & universo regno præclare meritus erat in expeditione adversus Regem Scotiæ Jacobum IV. qui Angliæ fines, dum Henricus Gallico distringeretur bello, invadere & populari ausus est, suscepta: illum enim in campo Floddonensi magno animo adortus, post pertinax & anceps certamen fudit ac fugavit; eoque ipse Scotorum Rex & magna procerum ejus pars cecidere prælio. In cujus victoriæ monumentum hoc etiam decus ipsi à dicto Rege collatum est, ut fasciæ argenteæ, quæ in ejus clypeo gentilitio cernitur, *dimidium leonis, cujus os sagitta transfixum, limbo duplici ejusdem coloris, & utrinque liliato, Scotici scuti modo, cincti*, inscriberet.

THOMAS HOWARD II. à prima juventa bellicæ laudis cupidine tactus, tirocinium mari fecit, eaque militia brevi illustratus est, ita ut fratri suo EDUARDO, quem R. Henricus VIII. anno regni sui IV. Admiralem per Angliam, Walliam, Hiberniam, Normanniam, Vasconiam, & Aquitaniam constituerat, in conflictu quodam navali cum Gallis prope Brestum adverso casu vivis exempto, in eodem, quod is ornaverat, officio surrogaretur. Deinde cum terrestris etiam militiæ peritiam in Floddonensi contra Scotos prælio, ubi una cum fratre EDMUNDO primos rexit ordines, exeruisset, eodem die quo parens ejus ad dignitatem Ducis Norfolciæ evectus est, ipse *Comitis Surriæ* titulum obtinuit, successu temporum & meritorum ejus munere etiam *Summi Angliæ Thesaurarii*, & *Generalis omnium Regis copiarum* auctus, id quod anno XIV. regni Henr. VIII. contigit. *Norfolciæ* postea *Dux* parentis morte factus, novennio abhinc, anno scilicet 1533. *Comes Marescallus Angliæ*, & *Prorex Hiberniæ* creari meruit, nec desiit sequenti etiam tempore diversis in expeditionibus fortem ac fidelem Regi regnoque operam navare. Verum enim verò quem benignum ac sibi benevolum usque expertus est herum, eum inimicum ac durum extremo vitæ ejus articulo nactus est, invidia & criminationibus adversariorum, præcipue Seimororum, autoritate tunc præpollentium. Hi sumptis obtentui insignibus, quibus R. Eduardus Confessor usus esse fertur, quæque scuto suo Howardi inserere jam diu cœperant, Norfolcium apud Regem malignis differre sermonibus, quasi, potentia sua fretus, novis studeret rebus, filiusque ejus HENRICUS *Comes Surriæ*, Mariæ regiæ gnatæ nuptias affectaret, turbas Eduardo legitimo regni hæredi aliquando daturus, eoque illum suapte sponte ad diffidentiam

(a) *Baronag. II. 265.* (b) *Hist. Angl. Lib. 26.*

dentiam & sævitiam pronum perpellere, ut utrumque patrem & filium comprehendi & in Turrim conjici juberet. Hic paucis post diebus in Curia civitatis Londinensis, tanquam subditus, eo quod inter Pares receptus nondum esset, perduellionis damnatus & capite truncatus fuit, excelsi animi, multarum virtutum atque omnigenæ eruditionis juvenis. Nec aliud fatum patrem manebat, utpote à Parlamento pridie quam Rex vita concederet, capitis damnatum; cujus equidem sententiæ executio licet morte Regis suffiaminata fuerit, novusque Rex plerisque in custodia relictis veniam & libertatem concesserit, Norfolcius tamen, eo quod nondum detumuissent adversariorum suorum odia, in vinculis manere & miserum ibi spiritum trahere coactus est, usque ad regnum Mariæ, cujus beneficio, rescissa sententia adversus ipsum olim lata, libertati redditus fuit. Filiorum ejus natu minor THOMAS cùm ducta primis nuptiis *Elisabetha Marneja* non hujus tantùm familiæ, sed etiam *Nevvburorum* sive *de Novo Burgo* amplam in Dorsetensi agro hæreditatem crevisset, *Vice-Comes de Bindon*, quæ jam pridem Dominorum de Marney villa erat, creatus fuit; is verò honos cum filiis ejus mascula destitutis prole iterum expiravit.

THOMAS HOWARD III. avo in dignitatem & facultates recens, ceu modo dictum est, recuperatas successit, neque apud Mariam tantum, sed apud Elisabetham quoque aliquandiu gratia & existimatione floruit, de regno in domesticis externisque bellis haud male meritus; Verum postquam suspicionem nimiæ erga Reginam Scotorum propensionis præbuisset, malum suo fuit capiti. Ex aula enim in Norfolciam formidine carceris absque venia, digressus, cum amicorum svasu rediisset, quasi novis rebus studeret insimulatus & custodiæ mandatus est: qua tamen paucis interjectis mensibus liberatus fuit, per imprudentiam se lapsum fassus, & fide scripto obligata nihil sibi amplius de matrimonio cum Regina Scotorum inconsulta Elisabetha futurum. Pravis autem consiliis eo retractus, ut contra quam promiserat, de nuptiis cum Scota denuo cogitare & cum exteris & Pontificiis eapropter consilia conferre cœperit, re casu detecta, ad arcem Londinensem reductus fuit. Convicto à Regina 17. Calend. Februarii anno 1572. judices, quos Pares vocant, dati, qui de ejus causa cognoscerent: hi post deliberationem more in Anglia recepto habitam cum Norfolcium perduellionis teneri retulissent, pronunciata est à Georgio Talboto Salopiæ Comite, qui Senescalli instar judicio præerat, sententia in hunc modum: *Quandoquidem tu Thoma Dux Norfolciæ criminum læsæ Majestatis postulatus & Parium judicio reus peractus es, hic consessus judicat, te hinc in arcem reducendum, inde crati impositum per mediam urbem ad furcas trahendum, ibi suspendendum; semimortuum deponendum, eviscerandum, capiteque abscisso in quatuor partes dissecandum. De capite & corporis partibus fiat, quod Reginæ visum fuerit: animæ autem tuæ misereatur Deus!* Quo audito Dux, *in me*, inquit, *ut in proditorem sententia lata est; in Deo & Regina confido, vestro consortio exclusum me cœlesti fruiturum spero: ad mortem subeundam me comparabo. Hoc unum peto, ut Regina liberis & famulis propitiam se præbeat, & debita dissolvenda curet.* Quarto itaque Nonas Junii hora VIII. matutina ad pegma in colle juxta arcem Londini erectum deductus, post longam orationem ad populum habitam, qua nonnulla crimina de agitatis inscia Regina nuptiis, & consiliis cum Pontificiis initis palam agnovit; cætera quod Regnum Reginæ eripere conatus esset, & quasi Pontificiam religionem in occulto amplecteretur, asseveranter pernegavit, gratia pœnæ, mutato supplicii genere, ei à Regina facta, cervicem securi percutiendam præbuit, quæ actutum uno ictu amputata, populo, primaria dignitate viri, eximiisque fortunæ ac naturæ dotibus ornati tristem casum collachrimanti, luctuoso fuit spectaculo. (a)

HENRICUS *Hovvard*, *Thomæ* III. frater, eleganti doctrina ornatus, à R. Jacobo primo regni sui anno inter arcanorum arbitros cooptatus, quinque portubus & Doverensi castro præfectus, Baronibus Angliæ sub titulo *Lord Hovvard of Marnhill* adscriptus, & *Comes Northamptoniæ* creatus, tertio anno d. 29. April. *aurea Periscelide* decoratus, & octavo denique anno *Privati Sigilli Custos* constitutus est. *Cancellarium* quoque *Cantabrigiensis Academiæ* eum fuisse monumentum in æde Doverensi positum indicat. Memoriam ejus *Johnstonus (b)* ambiguo signavit stylo, ita fatus: *Desinente anno* (1614.) *Henricus Hovvartus, Northamptoniæ Comes, cui Nobilitas & splendor Norfolcianæ familiæ, ingenium par, adversa valetudine afflictus, vita functus est, meliore Literatura quam fama: quippe ingenio suo abusus, & ad perniciosam assentationem prolapsus, Professionem liberalium artium adulatorii dedecoris infamia fœdavit. Is moriens charitate invidiam civium mitigavit, Arondeliæ Comitem spectatissimum juvenem, propter propinquam cognationem heredem reliquit. Ptochodochia sive hospitales domus tres construxit, in pauperum usus; quibus reditus opimos & agros fertiles donavit; & pias aliorum procerum mentes ad Christianæ pietatis monumenta bono exemplo accendit. Rumor interea, defuncto infensum*

O 3 restau-

(a) Camden. Annal. Elisab. p. 223. Thuanus Hist. Lib. 51. (b) Rer. Brit. Lib. XVI.

restaurata Ecclesia animum objecit, & perstrinxit, cum maritimam Cantii oram imperio teneret, Jesuitas & sacrificulos applicare impune permisisse. Credo eum à Pontificia religione non abhorruisse, quam tempore Elisabethæ ferventiore studio secutus est. Tradidere quidam Romæ sepultum, antequam falsi convincerentur, & in Fano Doverensis castelli humatum constaret, cui præerat.

PHILIPPUS HOWARDUS, *Thomæ* III. *Dux Norfolciæ*, filius primogenitus, ob perceptam ex hæreditate materna ditionem Arundeliam, titulum *Comitis Arundeliæ*, qui tanquam localis honos veteri Parlamenti scito possessoribus terræ illius adjudicatus fuerat, sibi sumsit, à Regina Elisabetha anno 1582. natalibus restitutus, & paulo post ejus gratia (referente *Camdeno*) (a) occultis præpotentium quorundam (quorum familiam Leicestrius ducebat) insimulationibus dejectus, ansam præbente religione Pontificia, cui clam se devoverat. Ob hanc etiam in regium vocatus consistorium, objecta quidem diluit, jussus tamen est ut intra suos parietes se contineret. Postea juris sui factus, & lege, contra Jesuitas & Sacerdotes Pontificios promulgata, territus, secessum ex Anglia adornavit, sed navigium in obscuro Sussexiæ sinu conscensurus, suorum perfidia comprehensus, in Londinensem arcem conditus, atque à Camera Stellata X. millibus librarum mulctatus, & carceri quamdiu Reginæ visum, addictus fuit. Elapso abhinc triennio, nempe anno 1589. in Prætorio Westmonasteriensi à Paribus perduellionis & capitis damnatus, *mitem Reginæ severitatem* (Camdeni (b) verbo) *expertus est*, vitæ enim ipsius parcitum, sed libertas reddita non fuit, quin in custodiam funesta securi adversa prægestata reductus, post exactum ibi adhuc sexennium, totus in meditationibus defixus, & arctissimo religionis instituto astrictus, austero vitæ genere se macerando, naturæ debitum persolvit.

THOMAS HOWARDUS IV. beneficio Regis Jacobi I. primo quo regnum obtinuit anno, in dignitates *Comitis Arundeliæ & Surriæ* & quasdam alias, quibus parens atque avus ipsius, perduellionis rei peracti, exciderant, restitutus, atque anno 1611. die XIII. Maji Equitibus Ordinis aureæ Periscelidis aggregatus est. In Italiam deinde cum uxore profectus, cum illic degeret, ex antiquarum Asiæ, Græciæ & Italiæ urbium ruinis, opera doctissimi viri *VVilhelmi Pettæi* in hac re usus, summis impensis conquisivit marmora, eaque Londinum in hortos Palatii Arondelliani curavit transferenda; à nepote ejus *Henrico Norvvici Comite* postea Oxoniensi Academiæ consecrata, atque ab eruditissimis viris *Johanne Seldeno* & *Humphrido Prideaux* publicata atque explicata. Redux ad penates factus *Thomas Hovvardus* officio *Comitis Marescalli*, ad vitam ipsius restricto anno 1621. ornatus, & denique sequentis anni die 6. Junii titulo *Comitis Norfolciæ* auctus fuit. Demum, regnante Carolo primo, cum Parlamentaria factio invalesceret, neque ipsi propter ætatem sat virium ad ferenda arma superesset, impetrata à Rege venia, denuo in Italiam migravit, Pataviiq; morte est interceptus. Exuviæ ejus in Angliam transportatæ & Arundeliæ humatæ sunt. Filiorum ipsius natu major HENRICUS sub nomine *Lord Moubray & Maltravers*, quo patre superstite ad Parlamentum evocari solebat, innotuit: huic complures fuere filii, inter quos tres nascendi sorte potiores illustrati sunt. THOMAS V. natu maximus, ingenio adeo flagranti fuisse *Gregorio Leti* (c) fertur, ut accedente morbo quodam in cerebrosum degeneraverit, proindeque Patavium accurante avo missus vitam ibi inter custodes, sed laute habitus, exegerit, benignitate tamen Regis Caroli II. precibus fratris illius HENRICI & gentilium id dantis, ad dignitatem *Ducis Norfolciæ* die 8. Maji anno 1661. provectus; in qua fratrem natu proximum & modo nominatum successorem habuit. Is jam antea titulo *Baronis Hovvard de Castle-Rysing* primitus anno 1669. posteaque anno 1672. honore *Comitis Norvvici* decoratus fuerat atque impetraverat, ut dignitas *Comitis Marescalli*, quam majores ejus olim tenuerunt, sibi & hæredibus masculis ex ejus corpore quasi jure postliminii restitueretur; quoniam verò ex decreto Parlamenti veritum est Pontificio, qualis ipse erat, officio Coronæ fungi, substituendus fuit Robertus Bruce Comes Ailæsburiæ qui vice ejus id muneris obiret. PHILIPPUS tertiogenitus *Henrici B. Maltravers* filius, Ecclesiasticum vitæ genus amplexus, Ordini Monachorum Prædicatorum nomen dedit, anno autem 1677. die XXVII. Maji à Papa Clemente X. in Collegium *Cardinalium Presbyterorum* Tituli *S. Ceciliæ*, quem biennio elapso cum *S. Mariæ Minervanæ* commutavit, cooptatus est.

WILHELMUS HOWARDUS, Thomæ IV. filius natu minor, ducta in uxorem hærede inclutæ Staffordorum gentis (de qua loco congruo dicetur) titulum *Baronis & Vice-Comitis Stafford* à Rege Carolo primo, anno 1640. obtinuit. Provecta ætate conspirationi, quam nostra ætate *Titus Oats* & *Wilhelmus Bedlovv* prodiderunt, implicitus, & in carcerem conje-

(a) *Annal. Elis. p. 397.* (b) *Ibid p. 653.* (c) *Theatr. Britan. P. II. L. 7.*

conjectus est: ubi biennio fere exacto demum die VII. Decembr. 1680. in Parlamento tunc congregato à Camera inferiore perduellionis accusatus, atque ab utraque, Cancellario Judicis & Senescalli munia obeunte, pluralitate suffragiorum ad supplicium, in perduelles lege & consvetudine Anglicana receptum, condemnatus est: id tamen Regis Caroli Secundi clementia mitigatum, ipseque die XXIX. Decembris, secundum veterem computationem in area, *Tovverhill* dicta, post lectam ad populum prolixam orationem capite plexus fuit, (a) ætate LXX. annorum verendus, aliquot post se liberis utriusque sexus relictis, quorum natu maximus HENRICUS in paternam dignitatem, nondum quantum quidem scimus, restitutus est; secundo genito verò JOHANNI munus Oratoris Extraordinarii in aula Hispanica à Rege Jacobo demandatum fuisse, è novellis accepimus.

Norfolcianæ lineæ proxima agnatione est Suffolciensis, quam THOMAS HOWARDUS Thomæ Tertii, Ducis Norfolciæ filius è secundo matrimonio genitus, condidit. Hic à Regina Elisabetha natalibus restitutus, anno 1596. ad comitia publica sub titulo *Lord Hovvard of Walden* evocatus fuisse reperitur. A Rege Jacobo sub initium sui in Angliæ regni inter intimiores Consiliarios cooptatus, *Comes Suffolciæ* creatus, & muneribus *Summi Cubicularii* nec non *Thesaurarii Angliæ* auctus, sed posteriore officio, postquam id sexennii spatio non sine avaritiæ probro obiisset, iterum exutus fuit. Filiorum natu maximum THEOPHILUM successorem in dignitate Comitis Suffolciæ habuit, aurea Periscelide à Rege Carolo Primo ornatum, & amplissima hæreditate in Northumbria & agro Bervicensi, jure uxorio auctum; secundum, cui nomen THOMÆ, Rex Jacobus die XXIII. Januarii 1622. titulo *Baronis de Charlton*, & *Vice-Comitis Andover* auxit, & Equitibus aureæ Periscelidis adscripsit, ab ipsius in regno successore ad dignitatem *Comitis Bercheriæ* Calend. Febr. 1630. provectum. Natu minimus EDUARDUS ab eodem Rege *Baro Hovvard ab Escrick*, quam dynastiam è materna perceperat hæreditate, anno 1628. creari meruit.

WILHELMUS HOWARDUS Thomæ III. D. Norfolciæ F. à castro *Navvorth* in Comitatu Cumbriæ sito, atque ab uxore sibi allato, cognomentum sumsit, à progenie sua retentum, donec ejus pronepos CAROLUS fideli ac forti opera, qua Regis Caroli II. restitutionem adminiculavit, ad dignitates *Baronis Dacres de Gillesland Vice-Comitis Hovvard de Morpeth* & *Comitis de Carlisle* extolli promeruit. Eundem legationes, quas dicti Regis nomine in Moscovia, Svecia & Dania annis 1663. & 64. obiit, & literis consignavit, illustrarunt.

WILHELMUS HOWARDUS, Thomæ I. Ducis Norfolciæ è secunda ejus uxore filius, à quo *Tab.* XXIV. initium ducit, à Rege Henrico VIII. multis legationibus adhibitus, tandem autem in societatem culpæ, quam neptis ipsius è fratre Catharina capite luit, pertractus, perpetuis addictus carceribus, sed ejusdem Regis beneficio libertati redditus est. Deinde à Rege Eduardo IV. Caleto præfectus, in Baronum numerum à Regina Maria sub titulo *Lord Hovvard of Effingham* adscitus, & *Magnus* Angliæ, Hiberniæ & Walliæ *Admiralis* constitutus est; Huic postea Cubicularius fuit, uti etiam Elisabethæ, donec ætate fractus Sussexiæ Comiti paucis ante obitum mensibus cessit, privati Sigilli Custos factus, qui in Anglia quartus est honoris gradus; *vir* (*Camdeni* (b) elogio) *fidei spectatissimæ & animi invicti*. Successit ei in Baroniæ honore CAROLUS filius, qui postea Reginæ Elisabethæ Cubicularius & *Magnus* itidem *Admiralis*, & titulo *Comitis Nottinghamiæ*, qui in Molbrajana gente, à qua sanguinem derivabat, quondam erat, auctus fuit, cum hoc elogio in honorariis creationis literis: illum Angliæ regnum anno 1588. victoria parta ab omni invasione Hispanica & periculi suspicione tutum reddidisse, atque etiam conjunctim cum Roberto Comite Essexiæ fortiter & magnifice cepisse vi aperta insulam & urbem de Cadiz, fortiter munitam in ulteriore Hispania, aliamque classem integram Regis Hispani, in dicto portu paratam contra regnum totaliter expugnasse & destruxisse. (c) Idem in Regno Jacobi Primi inauguratione officio Senescalli functus, & anno ætatis octavo supra octogesimum cum auream periscelidem annos LII. gestasset, rebus humanis exemptus est. Extincta in nepotibus progenie mascula dignitas Comitiva alio translata est, Baronia verò ad agnatum FRANCISCUM *Hovvardum*, à primo ejus acquisitore Wilhelmo oriundum, transiit.

Scutum

(a) *Vid. Libellum, cui titulus: Evenements Tragiques d'Anglet. p. 96. & seqq.* (b) *Parte II. p. 254.* (c) *Camdenus annal. Elis. P. IV. ad a. 1597.*

SCHEMA FAMILIÆ
DUCES DE NORFOLK, COMI-
DE

WILHELMUS HOWARD de Wigenhale,

Johannes Hovvard, Sheriffus Norf.

Johannes Hovvard II. de Wigenhale

Robertus Hovvard, Eques, † ante patrem d. 3. Jul. 1378.

Johannes Hovvard III. Eques

1. Johannes Hovvard IV. Eques: † ante patrem
Uxor.

Elisabetha nup. *Johanni de Vere Com. Oxoniæ.*

1. Thomas Hovvard, COMES DE SURREY cr. 1483. Dux Norfolc. 1513. Com. Maresc. 1510. † 21. Maj. 1524. 1. *Elisabetha, Friderici Tilney Eq. f. Humfredi Bourchier B. Berners vid.* 2. *Agnes, Philippi Tilney Eq. f.*

1. Thomas Hovvard II. D. Norfolc. Com. Maresc. & Surriæ, *Eq. Perisc.* † 1554. Ux. 1. *Anna Eduardi IV. R. Angl. f.* 2. *Elisabetha, Eduardi Stafford D. Buk. f.*	Eduardus Hovvard, Admiralis Angl. *Eq. Perisc.* periit in conflictu navali cum Gallis ad Brestum 1513. *Alicia Lavel Henrici Parker vid.*	Edmundus Hovvard, Ux. 1 *Joicia, Richardi Culpeper de Hullingburn Eq. f.* 2. *Dorothea Thomæ Troys Armig. f.*	Henricus. Johannes. Carolus. Henricus. Richardus.	obiere in juventa.

2. Henricus Howard, Surriæ, *Eq. Perisc. decoll.* 19. Jan. 1547. *Francisca de Vere Johannis C. Oxoniæ f.*	Maria nup. *Henr. Fitz Roy D. Richmond & Somerset.*	Thomas Howard, VICE-COMES DE BINDON cr. 13. Jan. 1559. † 1582. 1. *Elisabetha, Johannis B. Marney f. & cohær.* 2. *Gertrudis, Wilhelmi Lyte de Billesdon f.* 3. *Mabilia, Nicolai Burton de Carshalton f.* 4. *Margarita, Henrici Manning de Greneuvich f.*	1. Henricus Hovvard † juv.	Georgius Hovv.	Carolus Hovvard occis. in Gallia.

THOMAS HOWARD III. Dux Norfolc. *Vid. Tab. seq.*	Henricus Hovvard C. de Northampton, *Eq. Perisc.* † cælebs 15. Jun. 1624.	Johanna ux. *Caroli Com. Westmorl.*	Margarita nup. *Henr. B. Scroope de Bolton.*	Catharina ux. *Henr. B. Berkley.*	1. Henricus Hovvard Vicec. de Bindon. *Francisca Petri Mewtas Eq. f.*

Duglassia nup. *Arturo Gorge, Equiti.*

HOWARDÆ.

TES DE SURREY, VICECOMITES
BINDON.

vixit ætate R. Ed. I. & II.

& Suffolc. a. 1331.

Admiralis sub R. Ed. III.

Margarita, Roberti B. Scales f.

1. *Margarita, Johannis Plaiz Eq. f.* 2. *Alicia, Wilhelmi Tendring Eq. fil. & hæres.*

2. Robertus Hovvard II. † ante patrem. *Margarita, Thomæ Movvbray Duc. Norfolc. f.*

Joh. Hovvard IV. D. Norf. & C. Maresc. Angl. cr. 1483. *Eq. Per.* occ. in pr. Bosvvorth 22. Aug. 1485.
1. *Catharina, Wilhelmi B. Molins f.* 2. *Margarita, Johannis Chedvvorth Eq. f.*

Anna nupta *Edmundo Gorge Eq.* | Isabella uxor *Roberti Mortimer.* | Johanna nupta *Johanni Timperley Armigero.* | Margarita uxor *Johan. Windham de Crovvherst.* | 2. Catharina nupta *Johanni Bourchier Bar. Berners.*

Elisabetha ux. *Thomæ Bullen Com. de Wiltshire & Orm*

Muriel nup. 1. *Joh. Grey, Vicec. L'Isle* 2. *Thomæ Knevet de Buckenham.*

2. WILHELMUS B. EFFINGAMIÆ *fil.* *Vid. Tab. XXV.*

Thomas Hovvard † in carcere, 1. Nov. 1537. *Margarita Duglas, Archibaldi C. Angus. f.*

Richard. Hovvard † 1517.

Anna uxor *Johannis de Vere C. Oxoniæ.*

Doroth. nup. *Eduardo Stanley Com. Derbiæ.*

Elisabetha ux. *Henrici Ratcliff Com. Sussexiæ.*

Catharina nupta 1. *Rhesio Thomæ Eq.* 2. *Henr. Daubeney C. de Bridgewater.*

Margarita nup. *Thomæ Arundel de Wardour Eq.* | Catharina uxor quinta *R. Henrici VIII.* 8. Aug 1540. *decoll.* 13. Febr. 1541. | Maria nup. *Edmundo Trafford.* | Joicia uxor *Johannis Stanney.* | Isabella uxor *N. Baynton.*

Thomas Hovvard Vicec. de Bindon. & de Marney, *Eq. Per.* 1606 † ā. 1619. *N. Dufseild.* | Franciscus Hovvard. | Ægydius Hovvard. | Elisabetha innupta. | Gratia nupta *Joh. Horsey de Clifton.* | 2. Carolus Lyte al. Hovvard. | 3. Francisca nup. 1. *Henrico Pranel, cauponi*, 2. *Eduardo Seymour Com. Hartford* 3. *Ludov. Stuart D. Richm. & Lenox.* † 8. Oct. 1639.

FAMILIÆ HOWARDÆ

THOMAS HOWARD III. Henrici Comitis Surriæ F. DUX NORFOLCIÆ, *Eques Periscelidis* aureæ cr. 1559. *decoll.* 2. Jun. 1572.

1. Philippus Hovvard COMES ARUNDELIÆ † in carcere 10. Nov. 1595. *Anna, Thomæ B. Dacres de Gillesland f.*

2. Thomas COMES SUFFOLCIÆ *Vid. Tab. seq.* A.

Thomas Hovvard IV. Dux Norfolciæ, Comes Marescallus, Arundeliæ & Surriæ *Eques Perisc.* † Patavii d. 4. Oct. 1646. *Alathea Talbot, Gilberti Com. Salop. fil. & cohær.*

Henricus Hovvard, dictus vulgo Baro Maltravers C. Norfolc. Arundel. & Surr. † 17. Apr. 1652. *Elisabetha Stuart, Esmai D. Lenox. f.*

Jacobus Hovvard † juv.

Thomas Hovvard † juv.

Thomas Hovvard V. Dux Norfolc. Com. Arundel. & Surr. *Eq. Perisc.* † Patavii 1677 ἄγαμος.

Henricus Hovvard Comes Marescallus & Norvvici, post Dux Norf. C. Arund. & Surr. † 11. Jan. 1684. *Anna Somerset, Eduardi M. Wigorniæ f.* † 1660.

Philippus Hovvard Rom. Eccl. *Cardinalis* cr. 27. Maji 1677. antea *Monachus* Ord. Dominic.

Carolus Hovvard.

Talbotus Hovvard.

Eduardus Hovvard.

Franciscus Hovvard.

Bernardus Hovvard.

Henricus Hovvard Dux Norfolc. C. Marescallus Angl. & Arundel *Eq. Perisc.* cr. 16. Maji 1685. *Maria Mordant Henrici C. de Peterborough f. unica m. Aug.* 1677.

Thomas Lord Hovvard *Maria, Johannis Savile de Copley fil. & hæres.*

Elisabetha uxor *Georgii Gordon March. de Huntley, nunc Ducis de Gordon.*

Francisca nup. N. *M. de Valparaiso in Flandria* 1680.

SCHEMA II.

Ux. 1. *Maria Fitz-Alan Henrici C. Arundel. fil. & cohær.* † 25. *Aug.* 1557. 2. *Margarita, Thomæ, B. Audley de Walden f. Henrici Dudley vid.* 3. *Elisabetha, Francisci de Leiburne Eq. f. Thomæ B. Dacres vid.* † 1567.

Wilhelmus BARO HOWARD de Naworth-Castle. *Vid. Tab. XXII. B.*

Elisabetha † in juv.

Margarita nupta *Roberto Sackvile C. de Dorset.*

Wilhelmus Hovvard VICECOMES STAFFORD cr. 11. Nov. 1640. *decoll.* 29. Decemb. 1680.

8. Januarji 1681.

Maria Henrici B. Stafford soror & her.

Gilbertus Hovvard † juv.

Carolus Hovvard † juv.

Eduardus Hovvard.

Anna † juv.

Catharina uxor *Johannis Digby de Gothursf.*

Elisabetha nupta *Alexandro Mac-Donald Cdi Antriae.*

Henricus Hovvard.

Johannes Hovvard.

Franciscus Hovvard.

Alathea.

Isabella uxor tertia *Johannis Paulet M. Wintoniæ.*

Ursula.

Maria.

Anastasia.

A.

COMITES DE SUFFOLCK ET

THOMAS HOWARD Thomæ III. Ducis Norfolciæ è secunda uxore F. COMES SUFFOLCIÆ cr. 21. Jul. 1603. Summus Angliæ Thesaurarius & *Eques Perisc.* aur. † 28. Maji 1626.

Theoph. Hovvard C. Suffolc. *Eq. Perisc.* † 3. Jun. 1640. *Elisabetha, Georgii B. Hume, C. de Dunbar f. & coher.*

Elisabetha nup. 1. *Willelmo C. de Banbury* 2. *Eduardo Baroni Vaux.*

Francisca uxor *Roberti C. Essex* à quo separata *Roberti Carr C. Somerset.* † 23. Aug. 1632.

Catharina ux. *Wilhelmi Cecill C. Salisbur.*

Margarita † infans.

Thomas Howard C. BERCHERIÆ cr. 1630. *Eq. Perisc.* † 16. Jul. a. 1669. *Elisabetha Wilhelmi Cecill C. Exon. f.*

Jacobus Hovvard Comes Suffolciæ. 1. *Susanna, Henrici Rich C. Holand f.* 2. *Barbara Eduardi Villers Eq. f. Bar. Weinman vid.* † 23. Dec. 1681. 3. *Anna Mountague, Roberti C. de Monchester f.*

Thomas Hovvard.

Georgius Hovvard.

Henricus Hovvard.

Catharina, nup. *Georgio Stuart B. d'Aubigny.*

Elisabetha, *Algernonis, C. Northumbriæ ux.*

Margarita, nup. *Rogero Boyle C. d'Orrery Hib.*

Anna uxor *Thomæ Walsingham.*

Villers.

Francisca, nup. *Eduardo Savage f.*

...yothea, Thomæ Viscc.

Carolus Hovvard Com. Bercher. & Vicec. Andover † 167. . Do.

Andover.

Thomas Hovvard Com. Bercheriæ & Vicec.

1. Essexia nup. *Eduardo Griffyn de Dingley.*

2. Elisabetha uxor . . . . . *Felton Cubicul. Reg.* † m. Dec. 1681.

Thomas, Henricus Hovvardi obiere ju-

B.

COMITES DE

WILHELMUS HOWARD, Thomæ III. Duc. Norfolc. F. è secunda uxore natu minor, B. de Navvorth-Castle † m. Aug. 1640.

Philippus Hovvard † ante patrem. *Maria Joh. Carrel de Harting f.*

Maria nupta *Johanni Winter de Lydney.*

Elisabetha uxor *Henrici Bedingfield ab Orborough.*

Wilhelmus Hovvard de Navvorth-Castle *Maria Wilh. B. Evre f.*

Johannes Howard

Philippus Hovvard occ. ap. Kovvtonheath pro R. Car. I.

Elisabetha nup. *Bartholomæo Fromund de Cheme.*

Alathea ux. *Thomæ B. Fairfax ab Emeley in Hibern.*

Wilhelmus Howard † ante patrem.

Carolus Hovvard B. Dacres de Gillesland Vicec. de Morpeth. COM. DE CARLISLE † m. Febr. 1685. *Anna Hovvard, Eduardi B. d'Escrick f.*

Philippus Hovvard Eques, † m. April. 1686.

Thomas Hovvard.

Eduardus Hovvard Vicecom. de Morpeth, C. de Carlisle. *Elisabetha.* . . . . .

Maria nup. *Johanni Fenvvike de Wallington.*

Anna uxor *Richardi Graham de Netherby.*

Fridericus Christianus Hovvard, n. Hafniæ 1664.

. . . . . Hovvard, Lord Morpeth dictus. *Anna Capel, Arturi C. Essex f.* 1688.

SCHEMA III.

DE BERKSHIRE, BAR. D' ESCRICK.

Elisabetha, Henrici Knevet de Charlton f. & cohær. Richardi Riche vid.

HenricusHovvard *Elisabetha, Wilhelmi Basset de Blore f.*

CarolusHovvard *Maria Fitz, Thomæ Darcy vid.*

RobertusHovvard Eq. Baln.

Wilhelmus Howard Eq. Baln.

EduardusHovvardBaro d'Escrick†24. Apr. 1675 *Maria, Johannis B. Butler de Bramfeild f.*

Henricus Hovvard† *Elisabetha, Wilhelmi B. Spenser f. Johannis B. Greven vid.*

Wilhelmus Hovvard.

Eduardus Hovvard.

Robertus Hovvard Eques.

Philippus Hovvard.

Jacobus Hovvard.

Algernon Hovvard.

Elisabetha ux. *Johannis Dryden.*

Diana.

Francisca nup. *Conyers Darcy.*

Maria.

Elisabetha ux. *Joh. Harper de Swarston.*

Tomas Hovvard Baro d'Escrick† . . . *Elisabetha, Johannis Mordant C. de Peterborough fil.*

Francisca. . . .

Wilhelmus Howard Baro d'Escrick.

Cecilius Howard Eques

Anna nup. *Carolo Hovvard C. de Carlisle.*

Johannes venes.

Anna nupta *Henrico Bedingfield.*

Elisabetha †juv.

CARLISLE.

Ux. *Elisabetha, Thomæ B. Dacres f.*

Margarita nup. *Thomæ Cotton de Conington.*

Wilhelmus Hovvard de Brafferton.

Franciscus Hovvard.

Johannes Hovvard.

Maria nup. *Jonathan Atkyns.*

Elisabetha ux. *Thomæ Gower de Stittenham.*

Catharina nup. *Johanni Lawson de Brough-ton.*

Francisca ux. *Georgii Dovvning ab East Hatley.*

Margarita nup. *N. Com. de Leven in Scotia.*

Catharina.

Carolus Hovvard n. 5. Sept. 1668. †3. Apr. 1670.

FAMILIÆ HOWARDÆ SCHEMA IV.

BARONUM EFFINGHAMIÆ, COMITUM NOTTINGHAMIÆ.

WILHELMUS HOWARD, Thomæ I. Duc. Norfolc. F. BARO ab EFFINGHAM cr. 11. Mart. 1554. Magnus Admirallus, *Eques Perisccl. aur.* † 11. Jan. 1573. Uxor. 1. *Catharina, Johannis Broughton de Tuddington f.* 2. *Margarita, Thomæ Gamage Eq. f.*

1. Agnes nup. *Wilhelmo Paulet M. Vintoniæ.*

2. Carolus Hovvard B. Effingham. COMES NOTTINGHAMIÆ cr. 1597. 22. Oct. *Eq. Perisc.* † 13. Dec. 1624. 1. *Catharina, Henrici B. Hunsdon f.* 2. *Margarita Stuart, Jacobi C. Morav. f.*

Wilhelmus Hovvard de Lingfeild. ⊙

Eduard. Hovvard † juv.

Henricus Hovvard † juv.

Duglassia nup. 1. *Johanni B. Sheffeild,* 2. *Roberto Dudley C. Leicestr.* 3. *Eduardo Stafford de Graffon Eq.*

Maria nup. 1. *Eduardo B. Dudley,* 2. *Richardo Monpesson Eq.*

Francisca nup. *Eduardo Seimour Com. Hertford* ⊙ † 1599. 14. Maji.

Martha ux. *Georgii Bourchier Eq.*

Catharina † juv.

---

1. Wilhelmus Howard † ante patrem. *Anna Johan. B. St. John de Bletsofil. ac bar.*

Carolus Hovvard C. Nottingham. B. Effingh. † . . 1. *Charitas White.* 2. *Maria Wilhelmi Cokaine Eq. f.* 3. *Margarita Stuart Jacobi C. Moraviæ fil.*

Elisabetha nup. *Roberto Southwell de Wood-Rising.*

Francisca nupta 1. *Henrico Fitz Gerald C. de Kildare,* 2. *Henrico B. Cobham.*

Margareta ux. *Richardi Leveson de Trentham.*

2. Jacobus † juv.

2. Carolus Hovvard Eques.

2. Eduardus Howard † ἄγ.

Franciscus Howard Eques.

Elisabetha nupta *Joh. Bar. Mordant C. de Peterborough.*

3. Jacobus Hovvard † ἄγαμος.

Carolus Hovvard. C. Nottingham. B. Effingham. † ἄγ. *Arabella Smith.*

Carolus Hovvard. Eques.

Franciscus Hovvard de Great-Buckham, Baro Effinghamiæ. *Philadelphia.*

Scutum *Hovvardorum* gentilitium *rubet, sex cruciculis cruciatis & fpiculatis argento tinctis* distinctum, quas permeat *fascia diagonalis ejusdem metalli*; eam *Norfolciæ Duces* exornant *parmula aurea*, quæ *dimidiatum leonem rubeum*, *sagitta ore transfixum*, *intra limbum duplicem lilliatum ejusdem coloris* continet. *Comites* verò *Suffolciæ & Bercheriæ* fasciam *lunula falcata nigra* distinguere solent. *Galeam* vidi tectam vel *corona rubea*, è qua *aquila argentea* evolat, vel *vitta coccinea*, cui *leo argento tinctus* insistit, *Telamones* etiam variare observavi, vel *equo* cum *leone*, vel *leonibus duobus* vel *leone* & *tauro*, vices eorum explentibus.

CAPUT V.
DE ANTIQVIORIBUS COMITIBUS SOMERSETTIÆ ET HERTFORDIÆ.



Ecundum inter Angliæ Duces locum nunc occupat *Somerfettenfis*, idemque *Marchio Hertfordiæ*, clarissima *Seymororum* familia satus. *Somersettiæ* in Australi insulæ regione ad Sabrinianum fretum sitæ *primi Comites*, referente *Camdeno* (*a*) fuere *Wilhelmus* & *Reginaldus de Mohum*, Domini *de Dunster*: quibus longo post tempore successere *Bellofortii* à Johanne de Gandavo Duce Lancastriæ prognati, de quibus *parte priori* (*b*) actum est. Eorum legitima propagine æstu civilium bellorum exhausta, R. Henricus VII. filiolum *Edmundum*, qui statim obiit, deinde Henricus VIII. nothum suum, *Henricum Fitz-Roy* dictum, Somersettiæ Duces crearunt: hocque in flore ætatis defuncto Eduardus VI. *Eduardum Seymorum* avunculum suum eodem honore investivit, quo tamen is breviuna cum vita spoliatus fuit. Ab eo tempore quievit hic titulus, donec à R. Jacobo I. *Roberto Carr* collatus fuit. (*c*) Is genere Scotus inter pueros nobiles modo dicti Regis educatus, atque ab eo die inaugurationis suæ in Regem Angliæ *Eques Balnei* creatus est. Elapso abhinc novennio, cum Georgius Humius Dumbariæ Comes vita excessisset, præcipuus in gratia Regis evasit, illico festinatis honoribus elatus, & amplis prædiis donatus, atque ad Summi Thesaurarii munus *Vice-Comitis Roffensis (de Rochester)* dignitatem, *ac aureæ Periscelidis* ordinem, moxque ad *Comitis Somersettiæ* fastigium indulgentia heri provectus. (*d*) Verum enim vero tanta felicitate ad licentiam, luxuriam & libidinem abusus, *Franciscam Hovvardam*, Thomæ C. Suffolciæ gnatam, cui matrimonium cum Roberto *d'Evereux* C. Essexiæ fuerat, impotenter amare cœpit, & donis beneficiisque plurimis in reciprocum amorem facile pellectam, atque à conjugio Essexii, cui actionem impotentiæ ac divortii intentare haud erubuerat, solutam, fatis induxit penatibus, post quam *Thomam Overberium* familiarem suum, sed his nuptiis omni adversatum conatu, in carcerem perfide impingi, ibidemque uxoris instinctu veneno è medio tolli curasset. Id facinus cum interjecto circiter quadriennii spatio fortuito emanasset casu, atque Overberii pater principio anni 1616. *Somersettio* & *Franciscæ* diem dixisset, constituti illi ante procerum tribunal, causa liquide comperta & cognita, rei nefariæ cædis pronunciati sunt. (*e*) Rex assiduis Procerum precibus victus, *Franciscam* noxæ quidem exemit, maritum quoque pari clementia servavit, sed fine abolitione criminis, & in carcere regentum atque honoribus exutum. Elapso tamen quinquennio è custodia Londinensi dimissus, & in ædes Vicecomitis *de Wallingford* relegatus est, multis adhuc annis superstes, atque anno demum 1645. mense Julio fato suo perfunctus, pater filiæ unicæ *Annæ*, Wilhelmo *Russel* C. Bedfordiæ nuptæ.

Hertfordia, quam etiam *Hartfordiam* vocant, Essexia, Middlesexia, Buckingamia & Bedfordia circumscribitur, ejus titulus primitus in clara *Clarorum* gente fuit, cujus Originem *Dugdalius* (*f*) ad *Richardum I. Ducem Normanniæ*, qui R. Wilhelmi Conquestoris proavus fuit, refert. Huic quippe gnatum tribuit, è pellice susceptum, *Godefredum Brionæ Comitem*, quo satus *Gilbertus*, dicti Conquestoris vitricus, idemque genitor RICHARDI fuit, à quo *Clarorum* pariter & *Fitz-Walterorum* illustres familiæ *Tabula* XXV. exhibitæ, defluxerunt. Adstipulatur Dugdalio *Camdenus* (*g*) cujus verba huc transferre est opinor operæ pretium: *Tunbridg in Cantio vetus*, inquit, *est castellum quod Richardus Comes de Clare construxit, qui commutationis jure pro Brionio in Normannia accepit: ejus enim avus Godefredus, naturalis Richardi Ducis Normanniæ filius, Aucensis & Brionis Comes erat. Cum etenim diu de Brionio disceptatum fuisset, Richardus, ut scribit* Guilielmus Gemeticensis, *pro repetitione ejusdem castri in Anglia accepit oppidum Tunbrige. Asserunt enim Leucam Brionii cum funiculo circumcirca fuisse mensuratam, & eodem fune in Angliam delato ad Tunbrige tantundem spatii in metiendo recepisse, Veruntamen Manerium, ut vocant, de Tunbrige ejus successores Glocestriæ Comites clientelari jure ab Archiepiscopis Cantuariensibus ea lege tenuerunt, ut Archiepiscopi in inthronisatione Senescalli & eorum liberi ipsis in tutela essent.* Cognomen de Clare à *Clara*, Suffolciæ oppido sortiti sunt, Comitivo postea axiomate amplificatum, quale hoc seculo *Hollesia* genti collatum fuit.

RICHAR-

(*a*) *Descr. Brit. p. 171.* (*b*) *Cap. 5.* (*c*) *Dugdal. Baron. P. III. p. 425.* (*d*) *Johnston. rer. Brit. Lib. 15.* (*e*) *Id. Lib. 16. p. 510.* (*f*) *Baronag. Tom. I. p. 206.* (*g*) *Descr. Brit. p. 245.*

SCHEMA FAMILIÆ DE CLARE

COMITES DE CLARE, HERTFORD, GLOCESTER ET

RICHARDUS, Gilberti Comitis de Brione f. Godofredi, qui Richardi II. Duc. Normann. nothus erat. N. expeditionis Wilhelmi Conquestoris in Angliam Comes, Dynasta Claræ in Suffolcia, & Tonebrugæ in Cantio, occisus per insidias à Jorvvertho, Morgani de Caërleon fratre a. 1136.

Gilbertus de Tonebruge, *Adelisa N. Comitis de Clermont f.*

Robertus de Benefacta † improlis.

Walterus † improl.

Richardus Abbas Eliensis.

Richardus COMES HERTFORDIÆ occ. à Wallis. N. *Ranulphi C. Cestriæ soror.*

Gilbertus COMES PENBROCHIÆ cr. a. 1138 † 1148. *Elisabetha Roberti C. de Meullent f.*

Walterus fundator Abbatiæ Tinternæ in Cambria.

Adelisa nup. *Alberico de Vere Jun.*

Gilbertus C. Hertfordiæ & CLARÆ † cir. 1151.

Rogerus C. Hertfordiæ, & Claræ † 1173. *Mathildis Jacobi de S. Hilario (al. de S. Sidonio) fil.*

Alicia ux. *Caduvalatri ap Griffith Pr. Northwalliæ.*

Richardus C. Hertford. & Claræ † anno 1206. *Amicia Wilhelmi Comitis Glocestriæ filia ac heres.*

Gilbertus de Clare C. GLOCESTRIÆ & Hertfordiæ † anno 1229. *Isabella, Wilhelmi Mareschal C. Pembroch f. & coher.*

Rosa nup. *Rogero de Mowbray.*

Richardus C. Gloc. & Hertf. † 19. Jun. 1262. *Mathildis de Lacy, Johannis C. Lincoln f.*

Wilhelmus de Clare occ. veneno 1258.

Gilbertus de Clare.

Amicia uxor *Balduini C. Devon.*

Agnes

Isabella nup. *Roberto de Brus.*

Gilbertus de Clare, cogn. Ruffus Comes Glocestr. & Hertford † 25. Dec. 1295.
1. *Alicia, Guidonis C. Engolismensis f. repudiata* 1285.
2. *Johanna d'Acres, R. Eduardi* 1. *fil.* 2. Maji 1290.

Thomas de Clare.

2. Gilbertus de Clare C. Glocestr. & Hertford. n. 1291. occ. in pr. de *Banoksborovv* 24. Jun. 1314. *Mathildis Johannis de Burgh f.*

Eleonora uxor *Hugonis le Despenser Jun.*

Margarita nup. 1. *Petro Gaveston C. Cornub.* 2. *Hugoni de Audley C. Glocestr.* † 1342.

Elisabetha nup. 1. *Johanni de Burgh* 2. *Theobaldo B. Verdon.* 3. *Rogero Damory B. d'Armoy.*

Johannes de Clare † in infancia.

ET FITZ-WALTER.

PEMBROCK, BARONES FITZ-WALTER.

Uxor: *Robesia, Waltheri Gifford Comitis Buckingamiæ filia.*

N. Uxor *Radulphi de Tillieres.* — N. nup. *Baldrico cogn. Teutonico.* — Robertus de Dunmovv in Essexia, Stuartus R. Henrici I. † 1134. *Mathildis de S. Liz, Simonis C. Huntingdon f.*

Balduinus de Clare, pater Wihelmi Roberti & Richardi, quorum propago deficit. — Walterus † a. 1198. Ux. 1. *Mathildis de Lucy* 2. *Margarita de Bohun.* — Simon de Daventre in Nochamptonia.

Richardus cogn. *Strongbovv* C. Pembr. Hiber. Justitiarius † 1176. N. *Dermutii Dubliniæ reguli f.* — Balduinus. — Robertus Fitz-Walter, celebris bellator † a. 1234. 1. *Gunnora, Roberti de Valoines fil. ac hær.* 2. *Rosa.*

Isabella nupta *Wilhelmo Mareschal C. Pembroch.* — Walterus Fitz-Walter de Valoines † 1258. *Mathildis.* — Christiana nup. *Wilhelmo de Mandevil C. Essex.*

Robertus Fitz-Walter Comestabilis castri Londinensis dicti tunc Baynards-Castle. † 1326. 1. *Dergovilla, Johannis de Burgh. f.* 2. *Eleonora N. C. de Ferrariis f.*

1. Christiana. — 2. Robertus Fitz-Walter † 1328. *Johanna, Johannis de Moulton ab Egremond fil. & cohær.*

Johannes Fitz-Walter Eques & Baro † 1361. *Eleonora Henrici B. Percy fil.* † 1363.

Walterus Baro Fitz-Walter † 1386. *Philippa de Mohun Johannis B. de Dunster f. Eduardi D. Eboraci & Albemarle vid.* † 1433. — Alicia nup. *Alberico de Vere V. Com. Oxon.*

Walterus B. Fitz-Walter † 1408. *Johanna Johannis Devereux Eq. f.*

Humphredus Fitz-Walter † minorennis. — Walterus Baro Fitz-Walter captus à Gallis in pugna ad Baugiacum 1421. † 1432. *Elisabetha.* . . . . — Eleonora.

Elisabetha, innupta. — Anna, Uxor *Thomæ Ratcliffe, Armigeri.*

Johannes Ratcliffe Baro Fitz-Walter.

RICHARDUS, supra nominati nepos, primus Hertfordiæ Comitis titulum obtinuit, fratre ipsius ad Pembrochiæ Comitis dignitatem evecto. Bella ille cum Wallis gessisse, nec exiguam Cambriæ partem sui juris fecisse, sed postremo cæsus ab eis fuisse memoratur. Filii ipsius Claræ Comitis titulum cum Hertfordiensi conjunxerunt, quo tamen pronepos ejusdem GILBERTUS iterum abstinuit, postquam Glocestrensi jure materno auctus esset.

Hujus gnati RICHARDI magna regnante Henrico III. fuit potentia ac autoritas, quam non minor æmulorum invidia excepit, & ferunt veneno aliquando tentatum fuisse una cum fratre WILHELMO, quo etiam is perierit, illo vix servato. Virtutes cæterum ejus ac mores hoc epitaphio, *Thekesburiæ* in Cantio posito, expresserunt: (*a*)

Hic pudor Hippolyti, Paridis gena, sensus Ulyssis,
Æneæ pietas, Hectoris ira jacet.

GILBERTUS *de Clare*, Glocestriæ & Hertfordiæ Comes, *Richardi* filius, rebellionis, quam plerique regni Barones adversus R. Henricum III. concitarunt, initio consors, postquam ad officium reversus est, victoriæ apud *Evesham* de illis à regiis reportatæ præcipuum extitit momentum, cumque fidem & fortitudinem suam etiam Eduardo I. probasset, filiam ejus uxorem accepit. Hæc illo mortuo ad secunda vota cum mediocris loci viro Radulpho *de Mountehermer* transiit, clam patre, qui primo indignari, sed intercessione Episcopi Durhamensis lenitus potestatem illi facere, titulo Comitis Glocestriæ & Hertfordiæ utendi, donec privignus GILBERTUS *de Clare* ad justam perventurus esset ætatem. Is itaque sui juris factus avitos resumsit titulos, mox cum familia sua expiraturos: filio enim unico intra pubertatis annos amisso, vitam R. Eduardo II. in bello Scotico impendit, & in prælio apud *Bannockburnum*, primorum ordinum ductor, post acre certamen præmaturè mortem oppetiit, hæreditate opulenta sororibus suis relicta.

Insignia familiæ *de Clare cantherios tres rubeos, aureo solo* inductos referebant: ea *Fitz-Walteri*, eodem genere creti, ita mutarunt, ut cantherio intermedio omisso, *fasciam* substituerent.

CAPUT VI.

DE DUCIBUS SOMERSETTIÆ ET MARCHIONIBUS HERTFORDIÆ HODIERNIS ET FAMILIA SEYMORIA.



Nobilissima *Seymororum* sive *de Sancto Moro* familia in Wiltonia regnante Richardo II. clara jam tum & conspicua fuit, quo temporis tractu *Rogerus Seymour ab Evenswinden*, cui Johannis *Beauchamp ab Hacche* vel soror & cohæres, vel ex sorore neptis (neque enim hoc loco sibi *Dugdalius* (*b*) constat) nuptiis juncta erat, illam ornavit. Superiore autem seculo magis illustrari cœpit, eximium matrimonio *R. Henrici* VIII. cum *Johanna Seymora* splendorem assecuta. Habuit ista fratres aliquot, ex quibus EDUARDUS & THOMAS ad summos honores pertigerunt, sed, qui Fortunæ Anglicæ ludus est, eis denique exitiosos. Prior in ipsis nuptiarum sororis suæ follemnibus *Vicecomes Beauchamp* & paucis elapsis diebus Capitaneus insulæ *Jersey* factus est. Deinde d. 18. Oct. a. 1537. titulo *Comitis Hertfordiæ* & abhinc biennio munere *Supremi Cubicularii Angliæ* auctus, variis adversus Scotos pariter & Gallos expeditionibus præfectus est, quibus haud improspere ad finem perductis, à Rege animam agente inter Executores testamenti sui filiique ac successoris Consiliarios denominari meruit. Mortuo verò Henrico postridie ab universo Senatu *Protector Regis impuberis ac regni*, decimumque post diem *Summus Angliæ Thesaurarius* constitutus; porrò eodem adhuc mense, qui Februarius anni 1547. erat, in censum Baronum Angliæ relatus, & ad dignitatem *Ducis Somersettiæ* provectus, tandemque *Comes Marescallus* ad dies vitæ suæ creatus est. Ejus auspiciis Angli memorabilem de Scotis victoriam apud Musselburgum reportarunt, aliaque mira prosperitate gesserunt, ita ut præsente Somerseto nihil improspere evenire posse confiderent. Accessit ad felicitatem, qua valebat, candor ac fidelitas, summa cum humanitate ac modestia conjuncta, quibus virtutibus defectus, quos habuisse fertur, abunde pensavit: prudentia quippe & animi præsentia non æque præditus fuisse memoratur, unde apertus & incautus adversus æmulorum fraudes in casses sibi structos misere se fratremque præcipitem dedit. Hic, cui nomen erat THOMÆ, vir strenuus & potens, titulo *Baronis de Sudley* & *Supremi Angliæ Admiralis* indutus, uxorem duxerat *Catharinam Parre*, R. Henrici

(*a*) *Matth. Westmonast. Fl. Hist. p. 381.* (*b*) *Vid. Baronag. Tom. I. p. 254. & Tom. II. p. 361.*

rici VIII. viduam; hanc inter & *Annam Stanhope*, Somersetti conjugem, ab illius moribus ac virtutibus longe remotam; cum grave exarsisset odium, neque id mortua etiam Catharina Parra in alterius animo deflagrasset, quin potius ea maritum adversus fratrem irritare non desisteret, iste etiam propria agendi ratione invidum ac malevolum erga Protectorem animum, rerumque novarum studium proderet, usus est hac occasione Johannes Dudlejus Dux Northumbriæ, cui vasta ac immoderata cupienti Seimororum anthoritas dividiæ erat, & arte, qua pollebat, quasdam quasi verborum faces Somersetto admovit, eumque adeo adversus fratrem inflammatum reddidit, (a) ut eum in extrema necessitate, cum scilicet nuptias Elisabethæ sororis regiæ aliaque majora affectasse delatus & perduellionis à Parlamento damnatus esset, desereret, suppliciumque ipsius indifferenter ferret. Hoc facto voti compos factus Northumbriæ Dux, cum ad summam potentiam in se derivandam aliud non superesset, quam ut Somersettum ipsum de medio tolleret, præ se hominis contemptum ferens eo illum adegit, ut quo autoritatem suam vindicaret, de Dudlejo occidendo consilium iniret. Igitur ad ejus domum specie illum visendi accedit, occulta lorica tectus & alios secum armatos trahens, quos in proximo cubiculo reliquerat: sed cum ad Dudle um, nudum & lecto decumbentem, summa benevolentiæ significatione introductus fuisset, vir miti ingenio, pœnitentia ductus, quod destinaverat, exequi noluit, atque inde re infecta discessit. Re postea detecta, suis ipsum prodentibus, accusatus, quantumvis invito Rege, cujus pueritia sub eo adoleverat, ad mortem damnatur, quod in legem nuper latam peccasset, qua constitutum erat, ut si quis aliquem ex regio Senatn occidendi consilium cepisse deprehenderetur, quamvis rem non perfecisset, capite lueret; illam verò mira subiit constantia, casum ejus omni collacrymante populo. (b)

EDUARDUS SEYMORUS II. quem parens exhæredatis filiis è primo matrimonio prognatis, quorum progenies in Comitatu Devoniensi superat, in dignitates ac opes à se acquisitas substituerat, illis penitus cum magna patrimonii parte, adversariorum invidia spoliatus, & primo demum anno Elisabethæ in titulos *Baronis Bellocampii* & *Comitis Hertfordiæ* restitutus est. Inito postea clanculum matrimonio cum *Catharina Greja*, Reginæ agnatione juncta, & ab Henrico filio natu maximo Comitis Pembrochiæ repudiata, ac diu neglecta, cum id Catharinæ graviditate palam factum esset, neque illi conjugium diffiterentur, in carcerem ambo conjecti sunt, lataque est ab Archiepiscopo Cantuariensi aliisque ad causam cognoscendam delegatis sententia; illum illicitam & illegitimam carnalem copulam cum illa habuisse, atque ea propter ambos ex lege puniendos. Catharina mox filium primogenitum in carcere peperit, posteaque & alterum, corruptis custodibus ex Hertfordio, progenuit; quare denuo in Camera Stellata triplici de crimine accusatus fuit: nempe, quod virginem Regia stirpe natam in Regia vitiarat, carcerem effregerat, & iterum compresserat. Ille protestatus se matrimonium cum ea legitime contraxisse, non dissimulavit, quin per fores carceris patentes eam adierit, ut de sententia pronunciata mœrentem solaretur, debitumque conjugale solvisse. Unde pro singulis criminibus quinque millibus librarum mulctatus, & novem annos in custodia detentus fuit. Illa post aliquot annos gravi morbo correpta, coram Hamptono Arcis præfecto culpam à Regina, quod matrimonium ea inconsulta contraxisset, deprecata, liberosque & mariti libertatem e-us fidei obtestando commendans pie & placide in Christo obdormivit, quemadmodum *Camdenus* (c) memoriæ prodidit. *Hertfordius* è custodia denique emissus, duas adhuc uxores successive duxit, è neutra verò prolem suscepit, senectaque ætate fato suo functus est.

WILHELMUS SEYMORUS in honores titulosq; avi, fratre suo natu majore ejusdemq; liberis præmortuis, successit, atque ob eximia merita à R. Carolo I. per diploma d. 3. Jun. 1640. scriptum axiomate *Marchionis Hertfordiæ* auctus, & regii filii pueritiæ moderator admotus est. Perpetuam deinde fidem atque operam eidem Regi in calamitosis ejus temporibus præstitit, cumque ad auspicatam Carolii II. in regnum restitutionem superstes fuisset, ejus beneficio in Parlamento d. 25. April. a. 1660. inchoato, per singularem actum, dignitatem *Ducis Somersettiæ*, quam proavus ejus gesserat, recuperavit, brevi quidem exiguoq; tempore ea fruiturus, quoniam eodem adhuc anno natura ei finem vitæ fecit. Hæredem nactus est nepotem è filio tertiogenito *Henrico*, cujus ut & fratrum ejus natu majorum funera turbato mortalitatis ordine extulit, WILHELMUM II. huic fatorum iniquitate præmature abrepto, patruus JOHANNES successit, qui prole destitutus honores titulosque avitos ad patruelis sui filios transmisit.

His FRANCISCUS SEYMORUS Wilhelmi Ducis Somersettiæ frater natu minor avus fuit, à Rege Carolo I. d. 19. Febr. 1641. ad dignitatem Baronis regni elatus, & titulo *Lord Seymour of Troubridge* in Com. Wiltoniensi insignitus. Gnatum post se reliquit CAROLUM haud diu sibi superstitem, sed multæ prolis utriusq; sexus patrem, è maribus tamen uno tantum adolevere,

 FRAN-

(a) *Vid. Burnet. Hist. Reform. Angl. P. III. Lib. I.* (b) *Thuan. Hist. L. 9. Burnet eod. loco.* (c) *Annal. rer. Angl. ad a. 1561.*

JOHANNES SEYMOUR de Wolfhall in Comit. Wiltonienſi, Eques, † 21. Dec. 1536.

Johannes Seymour † cœlebs 15. Jul. 1510.	Eduardus Seymour VICEC. BEAUCHAMP 1536. COM HERTFORDIÆ 1537. Protector regni ſub Eduardo VI. BARO Angl. & DUX SOMERSETIÆ 1547. Eq. Periſc. *decoll.* 24. Jan. 1552. 1. *Catharina, Wilhelmi Fillol de Woodlandf.* 2. *Anna Eduardi Stanhope de Shelford f.* † *17. Apr. 1587.*	Johanna Ux. tertia Regis *Henr.* VIII. ducta 20. Maj. 1536. † 14. Oct. 1537.	Eliſabetha nup. 1. *Antonio Oughtred Eq.* 2. *Gregorio B. Cromvvell.* 3. *Johanni Paulet B. S. John de Baſing.*

1. Eduardus Seymour *de Bery-Pomerie* in Comit. Devon.	Johannes Seym.	2. Eduardus Seymour II. Com. Hertford. B. Beauchamp † m. Apr. 1621. Ux. 1. *Catharina Grey, Henrici D. Suffolc. f. ab Henrico B. Herbert repud.* 2. *Franciſca Hovvard, Wilhel. B. Effingham f.* † *14. Maji 1598.* 3. *Franciſca Hovvard, Thomæ Vicec. de Bindon f.*	Henricus Seymour *Johanna Percy, Thomæ C. Northumbr. f.*

1. Eduardus Seymour III. Baro Beauchamp † ante patrem 1618. *Honora, Richardi Rogers de Brianſton f.*	Catharina † in juv.

Eduardus Seymour IV. † ante patrem *Anna Sackville Roberti Com. Dorſet. f.*	Wilhelmus Seymour Com. Hertfordiæ dein MARCHIO cr. 1640. DUX SOMERSET. 1660. *Eq. Periſc.* † 24. Oct. 1660. 1. *Arabella Stuart, Caroli C. Lenox. f.* † *27. Sept. 1615.* 2. *Franciſca Devereux, Roberti C. Eſſex. f.*

Eduardus Seymour † inf.	Anna † juv.	Wilhelmus Seymour † cœlebs.	Robertus Seymour † æt. 20.	Henricus Seymour B. Beauchamp † æt. 28. ante patrem *Maria, Arturi B. Capel f.*	Eduardus Seymour † inf.

Wilhelmus Seymour Dux Somerſet. M. Hertford. B. Beauchamp † 12. Dec. 1671. cœlebs.	Franciſca. † in juv.	Maria. † in juv	Eliſabetha nupta *Thomæ Bruce nunc C. Ailesbur.* 30. Oct. 1676.	1. Eduardus. Seymour † inf.	Cathar. † innup.	Franciſca Ux. *Georgii Hungerford de Cadenham.*

SEYMORIÆ.
COMITES AB HERTFORD, BAR. BEAUCHAMP.

Uxor: *Elisabetha, Henrici Wenthvvorth de Nettelsted f.*

Henricus Seymour *Barbara Thomæ Morgan f.*	Dorothea Ux. *Clementis Smith Eq.*	Thomas Seymour BARO SUDLEY Supr. Admiralis Angliæ 1547. *Eq. Perisc. decoll.* 20. Mart. 1549. *Catharina Parr, R. Henrici VIII. vidua* † 1548.	Johannes † juv.	Antonius † juv.

Eduardus.	Anna nupta 1. *Johanni Dudley C. Warvv. 2. Eduar. Impton. Eq.*	Margarita † innup.	Johanna † 19. Mart. 1560. æt. 19.	Maria nupta 1. *Andreæ Rogers 2. Henr. Peyton.*	Catharina. † innup.	Elisabetha Uxor secunda *Richardi Knightley de Faussey.*

Thomas Seymour, *Isabella, Eduardi Onley de Catesby f.*	Eduardus Seymour.

Honora nup. *Ferdinando Dudley, Eq. Baln.*	Franciscus Seymour, BARO de TROWBRIDGE cr. 1640 † 12. Jul. 1664. 1. *Francisca, Gilberti Prinne ab Arlington f. & hær.* 2. *Catharina Roberti Lee de Bilsley f.*

Johan. Seym. D. Somerl. † *div.* m. Apr. 1675. *Sara, Richardi Alston Eq. f.*	Arabella. † innup	Francisca nup. 1. *Roberto Vicec. Molineux.* 2. *Thomæ C. Southampton.* 3. *Conyero B. Darcie.*	Maria. ux. *Heneagi C. de Winchelsey.*	Johanna nup. *Carolo B. Clifford de Landsborough.* † 3. Nov. 1679. æt. 42.	Carolus Seymour B. de Trowbrigde † m. Aug. 1665. 1. *Maria Thomæ Smith de Soley f. & h.* 2. *Elisabetha Wilhelmi B. Alington f.*	Francisca nup. *Wilhelmo Ducie de Tortvvort.*

2. Francisc. Seym. † inf.	Wilhelm. Seym. † inf.	Wilhelm. II. Seymour † inf.	Franciscus B. Seymour de Trovvbridge, Dux Somerset, n. 17. Jan 1657, occ. 1678.	Carolus Seymour Dux Somerset, *Eq. Perisc. Elisabetha Percy, Joscelini C. Northumb. f. Henrici Cavendish. C. de Ogle vid.* 30. *Maji* 1682.	Elisabetha † juv.	Honora.

. . . . . .

natus 1687.

FRANCISCUS nempe & CAROLUS quorum prior agnato *Johanni* in honores & titulos gentilitios a. 1675. successit, eo autem post triennium in itinere Italico prope Genuam à zelotyporum fratrum biga trucidato, illi ad fratrem *Carolum* devoluti sunt, qui in præsentia *Dux Somersettiæ, Marchio Hertfordiæ & Baro Bellocampius* audit. Præfectus à R. Carolo II. a. 1682. Eboracensis provinciæ atque a. 1684. die 20. Januarji, *aurea periscelide* decoratus, claram superioribus annis & opulentam fœminam *Elisabetham Perciam* uxorem accepit, è qua prole, eaque masculâ a. 1687. auctus fuit.

Insignia *Seymourorum* gentilitia *alas binas deauratas, sibi connexas & expansas, sed deorsum versas*, in campo *coccineo* repræsentant. His R. Henricus VIII. honorificum addidit *auctarium*, cui priores partes tribuere solent: nempe parmam *auream sex caruleis liliis* ornatam, quæ inter *palos in cuspidem attenuatos, & tribus Angliæ leonibus decoratos* descendit. In *galea* auro coronata *avis* conspicitur, *Phœnici* similis, eodem tincta metallo, & nido flagranti insidens. Sustinent clypeum à dextris *unicornis candidus*, à sinistris *taurus cæruleus*.

CAPUT VII.

DE BUCKINGAMIÆ COMITIBUS AC DUCIBUS ANTIQUIORIBUS ET FAMILIA STAFFORDENSI.



Ertium inter Duces Angliæ locum novissime occupabat *Buckingami.* è *Villeria* gente oriundus, sed improlis mortuus. Titulum à Buckingamiæ Comitatu, Hertfordiæ ad ortum contermino, primus gessisse *Dugdalio* (a) memoratur *Walterus* Gifford, ab ipso Wilhelmo Conquestore in præmium operæ ei navatæ acceptũ. Parentes illi tribuuntur *Osbernus de Bolebec & Avelina*, uxor *Agnes, Gerardi Flaitell* gnata, liberi *Walter*. II. & *Rohesia, Richardo Fitz Gilbert*, autori familiæ *de Clare*, nupta. Ille patri a. 1103. defuncto successit, & de R. Henrico I. & II. egregie meritus, sine sobole mortem obiit. Longo post tempore *Thomas de Woodstock* R. Eduardi III. filius natu minimus à Richardo II. *Comes Buckingamiæ* creatus fuit, gnatumque *Humphredum* tituli hujus hæredem habuit, sed fato suo præmature functum. Inde in *Humphredum Stafford*, è filia Thomæ natu maxima genitum, id nominis translatum est.

Hujus genus per vetustum ac nobilissimum ad *Malahulcium*, Rollonis primi Normanniæ Ducis avunculum, supra citatus autor (b) refert, ejusq; posteros aliquandiu cognomine *de Tœnei* usos esse tradit, donec *Robertus* castri *Staffordensis* sub Wilhelmo Conquestore præfectus, illo omisso à domicilio aliud mutuavit, posteris suis usq; servatum: mascula quidem ejus progenies citò defecit, in pronepote scilicet ipsi cognomini; erat autem huic soror *Milisenda Herveo Bagot* viro nobili nupta, eademq; mater HERVEI B. STAFFORD, qui paternum cognomentum cum materno commutavit. Hujus pronepos EDMUNDUS regnante Eduardo I. multis fortibus factis in bellis Scoticis inclaruit, primusq; è gente sua ad comitia a. 1299. habita inter regni Barones evocatus fuit. Ejus vestigia ingressus filiorum natu major RADULPHUS R. Eduardo III. fidem & fortitudinem suam in bellis Scoticis pariter & Gallicis probavit, victoriæque de Gallis apud Creciacum reportatæ magna pars extitit; à dicto Rege inter primos aureæ Periscelidis equites festo hujus Ordinis initiali cooptatus, & non ita multo post nempe d. 5. Mart. a. 1350. *Comes de Stafford* creatus biennioque abhinc elapso Aquitaniæ vicaria potestate impositus; Mortem ejus cum elogio conjunctam in Chronico quodam MSto Bibliothecæ Bodlejanæ ita referri *Dugdalius* (c) memorat: *Anno XLV. Ed. III. ultimo die mensis Augusti obiit Nobilissimus Comes Staffordiæ, Radulphus nomine, apud Tunbrig; homo quondam validus, fortis, audax, bellicosus in armis, strenuus; senio confectus, longo squallore maceratus.*

HUGO C. Staffordiæ *Radulphi* F. post strenuam operam Regibus Eduardo III. & Richardo II. domi forisq; navatam, peregrinationem in Palæstinam suscepit, cumque ad penates remearet, Rhodi morte interceptus, successorem nactus est filium secundogenitum THOMAM, natu maximo à Johanne Holland, qui R. Richardi II. frater uterinus erat, prope Eboracum dum ille in vivis esset, impie trucidato. *Thomas* sub signis soceri sui, Principis regii sanguinis in Gallia meruit, & fato suo mature defunctus, titulum avitũ fratri natu proximo WILHELMO reliquit, à quo intra bienni spatium rebus humanis exempto ad EDMUNDUM is transiit: Hic Rege indulgente, viduam à Thoma fratre suo relictam, eamq; regio genere ortam, matrimonio sibi junxit, multaq; latifundia cum ex socrus suæ *Eleonoræ de Bohun*, quæ Humphredi C. Herefordiæ ac Essexiæ gnata erat, tum ex *Radulphi B. Basset*, cujus amita magna ipsi proavia fuit, hæreditatibus percepit, mortemque in prælio Salopiensi pro R. Henrico IV. adversus Percios rebelles fortiter dimicando, oppetiit, relicto filio unico HUMPHREDO. Is prima militiæ rudimenta in castris R. Henrici V. posuit,

(a) Baronag. T. I. p. 59. (b) Ibid. p. 156. (c) L. c. p. 161.

posuit, hocque mortuo successori ejus Henrico VI. singulari fide & constantia operam suam commodavit præfecturis Caleti, Dovernicastri & quinq; portuum auctus, atque ad dignitatem *Ducis Buckingamiæ*, d. 14. Sept. a. 1446. evectus cum jam antea titulis Comitis Buckingamiæ Herefordiæ, Staffordiæ, Northamptoniæ & Perchiæ usus esse reperiatur. Orto deinde ex rubeæ & albæ rosæ dissidiis bello civili postquam regii, à quorum partibus ipse stabat, infeliciter apud Albani Fanum pugnam, qua *filius* quoque ejus natu maximus & *cognominis* cecidit, pugnassent, Rexque in adversariorum potestatem delapsus esset, à quibus simulacri loco fallacibus colebatur & circumducebatur honoribus blanditiisque, secreto cum aliis Henrici fautoribus reginam Margaritam, *Polydoro (a)* referente, adiit, cum ea consilia communicavit, „
ac exposuit, Eboracensem fraude petere, ut scilicet eum per artificia incautum facilius op- „
primat, & propterea velit rebus mature prospicere, quod naviter faceret, si virum ab in- „
sidiatoribus segregaret; quibus monitis regina valde permota paucis post diebus nacta occa- „
sionem cum Rege evasit & Conventriam se recepit, ubi ille coacto amicorum conventu undi- „
que omnes contraxit copias, totis viribus novi cum Eboracensibus belli discrimen aditurus. „
Id *Humphredo* fatale fuit: in prælio enim ad Northamtoniam fortissimè pro Rege pugnans „
morte occubuit.

HENRICUS *Dux Buckingamiæ*, avi *Humphredi* hæres præcipuus ac successor, cum Richardo Duci Glocestriæ consilium operamque ad occupandum per tyrannidem regnum gnaviter præbuisset, atque eximiis ab eo dignitatibus auctus fuisset, mox sive indignatione denegatæ sibi à Richardo partis ex patrimonio Herefordensi, sive pœnitentia obsequii tyranno præstiti stimulatus, ab illo defecit, & collatis cum Johanne Mortono Episcopo Eliensi consiliis, regnum in Henricum Richmondiæ Comitem, unicum Lancastricæ familiæ hæredem, transferendi, eundemque cum R. Eduardi IV. gnata matrimonio jungendi impetum cepit. Id cum ad Richardum aliqua emanasset, hic initio dissimulationem in consilium adhibens, literis humanissimis ducem ad se accersere, adversa autem valetudine se excusantem, minaciter & pro imperio vocare, Buckingamius verò apertè detrectare, atque simul bellum copiasque & amicos parare. Richardus contracta vicissim ingenti armatorum manu Londino Sarisburiam movit, cui ille cum magno Wallorum robore obviam processit; tumescentibus autem casu fluviis Savernæ transitu prohibitus, & mox ob pecuniæ & commeatus inopiam à majore militum suorum parte destitutus, fuga sibi consulere & in domum cujusdam alumni & familiaris sui, cui *Humphredo Banaster* nomen erat, sesubducere necesse habuit, illic in occulto mansurus, donec opportunitatem res suas restaurandi nancisceretur. At *Banaster*, perfidus homo ac avarus, pretio, quo Richardus caput Buckingamii licitatus est, herum ac evergetam prodere nullus dubitavit; comprehensum itaque sine mora regii Sarisburiam ad Richardum duxerunt, ibidemque, nequicquam cuncta spe veniæ fassum, capitis supplicio affecerunt. EDUARDUS filiorum ejus natu maximus à R. Henrico VII. in paternam dignitatem ac possessiones, quas Richardus publicaverat, restitutus, par fatum regnante Henrico VIII. subiit: namque cum Cardinalis Volsæi, regia amicitia florentis, offensam & odium sibi liberiore attraxisset ore, criminationibus ejus, nec non delationibus Cneveti, ab illo subornati, quod hariolum, quis futurus esset in regno successor, interrogasset, de proditione appellatus, & quasi spe potiundi regni teneretur, regemque è medio tollere aliquando in animo habuisset in jus vocatus est; ubi licet causam suam acriter defenderit, attamen propter affectati regni culpam capitis damnatus & securi percussus fuit, *(c)* summo bonorum omnium dolore. Feruntur Imp. Carolum V. cum nuncium indignæ tanti viri necis accepisset, dixisse, *pulcherrimum Angliæ cervum à molosso lanionis devoratum esse;* qua similitudine Cardinalem *Volsæum*, qui lanionis filius erat, notavit. Cæterum gesserat ille officium *Constabularii* Angliæ, quod inter supremo regni munera, septimum numeratur, & plurima olim potestate pollebat, eaque propter Regi Henrico invisum erat, ita ut ex casu Buckingamii ansam ejus enervandi arriperet, nullum in ejus locum surrogando. Hinc postea usu invaluit, ut tantum in coronationibus Regum & monomachiis solemnioribus Constabularii ad hujus generis functionem crearentur, tanta dignitate post illam peractam protinus exuendi. Filius Ducis HENRICUS ab eodem Rege, iterumq; ab Eduardo natalibus quidem, nec verò dignitatibus avitis restitutus, sed in nudo *Baronis Staffordii* titulo acquiescere coactus est; atq; hunc posteri ejus gessere, donec maribus in abnepote extinctis, hujus sororius *Wilhelmus Hovvardus* Vicecomitis Staffordii axiomate auctus fuit.

Cæterum præter memoratos Staffordios fuere etiam alii, cognomento *de Hoocke* distincti, quorum originem *Dugdalius (d)* æque ac priorum ab *Herveo Bagot & Milisenda Staffordia* derivat, serie autem deductionis non expressa, & saltu inde usque ad *Wilhelmum Staffordium de Bromshul* commisso, genitorem JOHANNIS qui MARGARITAM Radulphi Com. Staffordiæ gnatam, uxorem habuit; cui etiam rami istius propaginem subnectere visum fuit. Eam impri-

(a) Hist. Angl. L. XXIII. p. 504. (b) Polyd. L. XXV. Dugdal. l. c. p. 169. (c) Polyd. L. XXVII. (d) T. I. p. 172.

SCHEMA FAMILIÆ
BARONES DE STAFFORD

HERVEUS BARO DE STAFFORD, Hervei Bagot & Milesendæ de Stafford F. † 1237.

Herveus B. Stafford † improlis.	Robertus Baro Stafford † 1282.

Nicolaus Baro de Stafford † 1297.

Edmundus Baro de Stafford † 1309.

Radulphus COMES de Stafford 1351. Eques Penscel. aur. † 31. Aug. 1372. *Margarita ab Audley, Hugonis C. Glocestr. f. & h.*

Radulphus de Stafford † ante patr. impr. *Mathildis Henrici Com. Lancastr. f. Wilhelmi de Burgh. C. Ult. vid.*	Hugo Comes de Stafford E. P. † 26. Sept. 1386. *Philippa, Thomæ Beauchamp C. Warvvici f.*	Beatrix nup. 1. *Mauricio B. Fitz-Thomas. 2. Thomæ B. Ros de Hamlake. 3. Richardo Burley.*

Radulphus de Staff. occ. à Jo'i Holland 1384.	Thomas C. Stafford † 4. Jul. 1392. ἄγ. *Anna Thomæ de Woodstock D. Glocestr. f.*	Wilhelmus C. Staff † 6 Apr. 1394 æt. 18.	Edmundus C. Staff. E. P. occ. in pr. Salop. 1404. 21. Jul. *Anna Plantagenet, Thomæ fr. ejus vid.*	Hugo Stafford E. P. B. Bourchier per Ux. *Elisabetham Bartholomæi B. Bourchier f. & h.* † ἄγ. 1421.

Humphredus C. Stafford DUX BUCKINGAMIÆ Eq. Per. 1398. cr. 1445. occ. in pr. Northampton, 27. Jul. 1460. *Anna Nevill, Radulphi C. Westmorland. f.*	Philippa † infans.	Anna nup. 1. *Edmundo Mortimer C. March. 2. Johanni Holland. C. Huntingdon.*

Humphredus C. Staff. occ. in pr. S. Alban. 1455. 22. Maii. *Margarita Beaufort. Edmundi D. Somerset. f.*	Richardus Stafford † infans.	Henricus Staff. † ἄγ. *Margarita Beauf. Edmundi Tudor C. Richm. vid.*	Edmund. Staff.	Georg. Staff.	Wilhelm. Staff.	Anna nup. 1. *Alberico de Vere. 2. Thomæ Cobham.*

Henricus Stafford Dux Buckingamiæ Eq. Persc. *decoll.* 1483. *Catharina Richardi Widevill Com. Rivers f.*

Eduardus Stafford D. Bucking. E. P. *decoll.* 17. Maji 1521. *Eleonora Percy, Henrici X. Comitis Northumbr. f.*	Henricus Stafford Com. Wiltoniæ cr. 1509. E. P. † 6. Mart. 1523. *Muriel Grey, Johannis Vicec. Lisle sor. & coh.*	Humphr. Stafford † juv.	Elisabetha Uxor *Roberti Ratcliffe B. Fitz-Walter C. Sussexiæ.*

Henricus Baro Stafford † *Ursula, Richardi Poole f.*	Elisabetha nup. *Thomæ Hovvard II. D. Norfolciæ.*	Catharina Uxor *Radulphi Nevill C. Westmorl.*

Eduardus Baro Stafford † *Maria Stanley, Eduardi C. Derb. f.*	Dorothea nup. *Wilhelmo Nevill de Chebsey Eq.*	Richardus Stafford.

Eduardus Baro Stafford † 25. Sept. 1625. *Isabella, Thomæ Forster de Tonge f.*	Ursula nup. *Waltero Erdsvvike.*	Dorothea Ux. *N. Gerveis.*	Rogerus Stafford † ἄγ. 1638.

Eduardus Baro Stafford n. 1600. † ante patrem. *Anna Jacobi Wilforde de Nevvnham-Hall f.*

Henricus Baro Stafford, posthumus † ἄγαμος 1637.	Maria nupta *Wilhelmo Hovvard Vicecomiti Stafford.*

STAFFORDIENSIS.
DUCES DE BUCKINGHAM.

Uxor: *Petronilla, VVilhelmi de Ferrers Comitis Devoniæ f.*

Ux. *Alicia, Thomæ Corbet de Caus fil. ac coheres.* Johannes

1297. Uxor *incomperta.*

Uxor. *Margarita, Radulphi B. Basset de Draiton f. & h.*

Richardus Stafford de Cliffton, Eques. Mathildis, *Richardi de Camvile f. & h.*

Johanna uxor *Johannis Cherleton B. Povvys.* Elisabetha nup. *Fulconi le Strange de VVhitchurch.* Margarita uxor *Johannis Stafford Equitis.* Richardus Stafford Baro Angl. † 13. Aug. 1380.

Margarita nup. *Radulpho Nevill C. VVestmorland.* Catharina ux. *Michaelis de la Pole II. C. Suffolciæ.* Johanna nup. *Thomæ Holland C. Cantii D. Surr.* † 1. Oct. 1443. Humphredus Stafford Eques. Edmundus Stafford Episc. Exon. M. Sigilli Custos. Thomas Stafford Eques.

Humphredus Stafford cogn. cum argentea manu † 1413. *Elisabetha Dynham, Joh. Maltravers vidua.* Thomas Stafford † improlis. Catharina nup. *Johanni Ardern* Equiti.

Johannes Stafford COM. WILTONIÆ 1472. E.P. † 8. Maji 1473. *Constantia Henr. Green f.* Johanna nup. 1. *VVilhelmo Vicec. Beaumont* 2. *Wilhelmo Knevet de Buckenham.* Elisabetha. Margarita. Catharina ux. *Johan. Talbot III. C. Salop.* † 26. Dec. 1476. Humphredus Staff. † 1442. *Elisabeth. Joh. Maltravers Eq. f. & h.* Johannes Staff. *Episc.* Bathon. *Archiep.* Cantuar.

Eduardus Stafford C. Wilton † m. Mart. 1499. improlis. Johannes Stafford † ante patrem *Anna Wilhelmi B. Botreaux f.* Wilhelmus Stafford *Catharina Johannis Chidiock Eq. f.*

Anna nup. 1. *VValtero Herbert*, 2. *Georgio C. Huntington.* Humphredus Stafford occ. ap. Sevenock in Com. Cant. 1452. Humphredus Baro Stafford de Suthwike COM. DEVON. 1464. *decoll.* 17. Aug. 1469. *Isabella, Johannis Barre Eq. f.*

Maria nup. *Georgio Nevill B. Bergavenny.* Humphredus Stafford † 6. Aug. 1461. improlis.

Stafford. Thomas Stafford *decoll.* 1557.

imprimis nobilitavit HUMPHREDUS, in quo emarcuit: hunc etenim R. Eduardus IV. nono regni sui anno *Comitem Devoniæ*, quo titulo Curtenæi tunc multati fuerant, creavit, sed vix spatio trium mensium interjecto, quod missus cum exercitu adversus rebelles Comitem Pembrochiæ privatam ob offensam deseruisset, eoque ipso cladis, quam is paulo post accepit, causa extitisset, capite truncari jussit.

Insignia Staffordiensis familiæ *cantherium rubeum aureo* superinductum *solo* repræsentabant.

CAPUT VIII.

DE DUCIBUS BUCKINGHAMIÆ RECENTIORIBUS ET FAMILIA VILLERIA.



Illeriam familiam è Gallia, ceu ferunt, oriundam, & postquam in Angliam transplantata est, atque in Leicestriæ Comitatu consedit, Equestribus aggregatam, duæ hoc seculo personæ, ex ea ortæ, eædemque diversi sexus, illustrarunt, videlicet: GEORGIUS DUX BUCKINGAMIÆ & BARBARA DUCISSA CLEVELANDIÆ. Hæc *VVilhelmi Villerii Vicecomitis de Grandison* in Hibernia, quem in bello civili ultimo pro Rege fortiter pugnando mortem oppetiisse *Dugdalius (a)* refert, filia atque hæres unica, *Rogero Palmer*, nobili genere nato, atque à R. Carolo II. anno regni sui XIII. titulo *Comitis de Castlemain* in Hibernia aucto, in manum convenit primaque extitit, quæ modo dicti Regis, ex quo is in regnum restitutus est, amicitia floruit, ad quam cum formæ suæ venustate ac illecebris, tum artibus illorum, qui Franciscæ Theresiæ Stuartæ, Carolo Duci Richmondiæ postea nuptæ, amorem & conjugium, quod metuebant, regium invidere, *(b)* irrepsit. Paribus regni, sub titulo *Baronissæ de Nonsuch* in Surria per diploma d. 3. Aug. anno 1670. adscripta, deinde *Comes Southantoniæ* creata, & denique ad dignitatem *Ducissæ de Cleveland* provecta, hoc pacto, ut eam ipsa, dum viveret, teneret, moriens vero ad filiorum, quos è Rege suscepit, natu maximum *Carolum*, & si forte hunc absque prole decedere contingeret, ad *Georgium* natu minimum transmitteret. Postquam vero corrivales in amore herili nacta, eisdemque sensim inferior facta est, ex Anglia in Galliam trajecit, ibidemque aliquot annorum spatio se continuit, donec ad lares reversa inter Matronas Ex-Reginæ Mariæ honorarias locum accepit. Cæterum *Vicecomitis Grandisonii* titulum cum parente Clevelandiæ non expirasse, sed usum eo paucis abhinc annis fuisse *Georgium Villerium*, præfectum satellitum regiorum, eumque *Mariæ*, quæ Francisci *Leigh C. de Chichester* gnata & cohæres est, maritum, atque ex ea trium filiorum *Eduardi* scilicet, *Francisci* & *Caroli* genitorem, ex *Notitia Angliæ* ab *Ed. Chamberlano* edita *(c)* constat; quo vero consanguinitatis gradu *Georgius* Wilhelmo Vicec. Grandisonio junctus fuerit, numque ille ex hujus fratre *Eduardo* & *Francisca Hovvarda* prognatus sit, affirmare integrum non est.

GEORGIUS VILLERIUS, *Georgii* è secundo toro filius, à prima licet juventa saltatorium versare orbem edoctus, æquilibrium tamen aulica in scena tam male tenuit, ut miserabili denique casu ruerit. Simul ac instinctu familiaris sui Joh. Grahami, Cubicularii regii, & missa, quam procari cœperat, Rogeri Ashtoni viri nobilis, gnata, aulam frequentavit, *statim* (verbis *Johnstoni (d)* utor) *modesta indole, moribus, decora specie, aut fortunæ beneficio, pronum ad opes, potentiam, honores, ad amplissimum gradum dignitatis iter invenit. Primum à Rege Jacobo I. admissus à Poculis decora modestia & festivitate non herum tantum benevolum sibi reddidit, sed etiam plurimorum procerum animos sibi conciliavit*, à quibus Roberto Carr Comiti Somersetensi, gratia ejusdem Regis ad superbiam & insolentiam abuso, tanquam æmulus objectus fuit. In thalamum deinde interiorem heri adscitus atque Equestri gradu ornatus, depulso Somersetio, brevi primas in Regis gratia partes una cum munere Hipparchi obtinuit, honoribusque cumulatus est: namque die 24. April. anno 1616. in *Periscelidis* ordinem cooptatus, postridie Custos generalis & summus Justitiarius omnium regiorum saltuum cis Trentanorum factus, postea d. 27. Augusti *Baro* regni sub titulo *Lord Whaddon*, & brevi temporis spatio interjecto *Vicecomes Villers*, mox d. 5. Jan. 1617. *Comes*, elapso autem anno *Marchio Buckingamiæ*, Custos magni sigilli, & Summus Thesaurarius, denique a. 1618. Angliæ Hiberniæ & VValliæ Thalassiarcha, & Windsoriæ *Comestabilis* creatus fuit. *(e)* Missus a. 1622. cum herili filio in Hispaniam ad nuptias ejus cum Infante Hispanica conficiendas, ac collisus cum Comite Olivario supremo tunc regni illius ministro, Principi ut re infecta & prope abrupta discederet autor fuit, postquam absens à Rege per diploma d. 18. Maji scriptum titulo *Comitis de Coventre* auctus, atque ad dignitatem

(a) T. II. p. 484. (b) Greg. Leti Theatr. Britann. P. II. L. 4. (c) Part. I. p. 199. 210. & 213. (d) Lib. XVI. p. 500.
(e) Dugdal. Bar. p. 429.

tem *Duci Buckingamiæ* provectus fuisset, Redux in Angliam factus, licet magna flagraret invidia, præfectura tamen quinque portuum auctus, atq; ab accusationibus tum Hispanici legati, tum C. Bristoliæ Oratoris Anglici in Iberica aula absolutus est. Ab eo tempore dum cuncta ad suum arbitrium revocaret, publicum in se derivavit odium, à plebejo imprimis ordine extremis R. Jac. annis acerrime exagitatus, & atrocissimorum criminum postulatus; attamen perstitit in fastigio quod occupaverat atque in R. Car. I. inauguratione munia summi Senescalli implevit, nihilque honorificentius duxit, quam unanimi Cleri & Academiæ Cantabrigiensis suffragio præturam ejus, morte Suffolcii Comitis tunc vacuefactam, sibi decerni, quam a. 1626. adeptus, eo vanitatis, *Johnstono (a)* referente, prolapsus est, ut ab eximiis pictoribus in tabula novem Musas, ipsum Apollini in Parnasso offerentes, venerantesque exprimi curaret, eamq; in atrio inter statuas imaginesque illustres dedicaret. Hoc tamen veram acquisivit laudem, quod opera *Erpinii*, viri exoticarum linguarum callentissimi, Arabica MSa passim erui & colligi curaverit, post ipsius fatum dictæ Academiæ consecrata. Ad extremum auctor & dux belli adversus Galliæ regem in auxilium Protestantium, inprimis Rupellanorum, suscepti, cum in prima expeditione sive consilio sive fortuna destitutus successu caruisset, nec sine magna clade vela vertere necessum habuisset, eaq; propter obtrectationibus & maledictis vulgi laceratus, secunda expeditione prioris damna resarcitum ac emendatum iret, pridie diei, quo vela in altum dare decreverat, rabiei tumultuantium militum vix ereptus, à quodam centuriæ legato, viro turbido ferocique ingenio, cui nomen erat *Johanni Feltono*, Portsmuthi cultello per costas graviter adacto, lethaliter vulneratus est, cumque cultello arrepto sicarium consequi conaretur, in mensam prolapsus sanguinē vomuit, & calentibus adhuc membris sublevatus inter sublevantium manus expiravit. *(b)* Cadaver ejus Londinum delatum in Sacello Henrici VII. magnificentissime reconditum, & elogiis sepulchralibus decoratum est. Refert *Wil. Sanderson* in Historia R. Caroli I. *Epigramma* in Buckingamium à cordato factum viro, quod huc transscripsisse non erit crimini:

Nunc quia pauca domi non sunt benè gesta, foriuque
paucula successus non habuere suos:
creditur esse dolus, fuerat quæ culpa; putatur
esse scelus, lapsus qui juvenilis erat.
Rumpatur livor (dicam quod sentio) certè
imprudens potius quàm sceleratus erat.

Exitio ejus superfuit, haud tamen diu, mater *Maria Bellomontia*, quam R. Jacobus singulari gratia *Comitissam Buckingamiæ* creaverat, fœmina *superba*, Johnstoni (c) verbis, *atque ambitiosæ vitæ*, quam etiam arguit, exstructum monumentum in dicto sacello opere magnifico, additaque inscriptio, sic se habens: *Ossa Mariæ de Bellomonte Comitissæ Buckingamiæ, è quinque potentissimorum totius Europæ regnorum Regibus, idque per totidem immediatos descensus oriunda. Vixit annos LXII. menses XI. dies XIX.* Ex filiis Ducis Buckingamiæ natu maximus intra infantiæ annos è vita decessit, minimus FRANCISCUS magni vir animi, cum ad liberaudum è Vectensi custodia R. Carolum I. arma corripuisset, & milites scripsisset, à majore hostium manu apud *Kingstonum* ad *Thamesin* d. 7. Jul. 1648. interceptus, & post acre certamen cæsus est. *(d)* Medius GEORGIUS in paternam dignitatem successit, à R. Carolo II. aurea Periscelide decoratus, & munere Hipparchi, nec non præfectura Comitatus Eboracensis auctus. Explevit is naturæ debitum haud ita pridem nulla prole post se relicta, sed scripto, si Novellis fides, hærede *Wilhelmo Villerio*, agnato suo.

De fratribus Georgii I. Ducis Buckingamiæ hæc apud *Johnstonum (e)* leguntur. *Buckingamius in dies inflatior omnes honores & capere ipse ac dare aliis ad arbitrium. Minimus ejus frater, ex utroque parente genitus,* CHRISTOPHORUS VILLERIUS *ad ministerium Regis provectus gratia fratris & indulgentia Principis ad Comitis* (Anglesejæ scilicet) *honorem pervenit, majore vulgi invidia, quam fama. Maximus natu* WILHELMUS VILLERIUS, *Equestri dignitate & paterna hæreditate contentus, fortunam fratris aspernatus est, crebris nunciis incitantis, ut auctoritatis potentiæque partem capesseret, ac patrimonium amplificaret prædiis & pecunia: neu Johanni Christophoroque, fratribus ætate minoribus, cederet. In eundem modum* EDUARDUS *frater composuit literas, hortans complecti fortunam, & augere patrimonium, protulitq; multos testes fraternæ liberalitatis. Ille opes, gloriam, potentiam erecto animo sprevit.* JOHANNI de cætero à R. Jacobo *Baroni de Stocke* & *Vicecomiti Purbeck* d. 19. Jun. 1619. creato, quem sæpe citatus autor *(f) hominem prope stupidum* vocat, & in furorem ac dementiam denique incidisse refert, secundis nuptiis ducta est *Elisabetha Slingsbia* famosa mulier, atque adulterii cum Roberto Howardo, Suffolciana stirpe orto, palam & magno cum strepitu accusata, productis testibus qui juvenem per tectum vicinæ ædis cubiculum intrasse, non sine magno discrimine suo concubuisse, ex adulterio filium conceptum & natum esse asseverabant. *(g)* Spurius iste *Roberti Wright* nomen initio gessit, ducta vero gnata Johannis Danvers Equitis (qui inter parricidas R.

(a) Lib. XXI. p. 686. (b) Id. L. XXII. p. 722. (c) Ibid. p. 725. (d) Dugdal. Baron. T. III. p. 432. (e) L. XVII. p. 536.
(f) Lib. XVI. p. 513. & lib. XVII. p. 547. (g) Vid. Johnst. L. XX. p. 647.

SCHEMA FAMILIÆ
VICECOMITUM DE GRANDISON ET PURBECK.

GEORGIUS VILLERS, Eques, Ux. 1. *Andrea, Wilhelmi Sanders f.*

1. Wilhelmus Villers de Brookesby, Baronettus, 1619.	1. Elisabetha nup. *Johanni Butler de Halfeild B. de Bramfeild.*	1. Eduardus Villers Eques.	1. Anna uxor *Wilh. Washington de Packington.*	2. Johannes Villers B. de Stoke, VICEC. Purbeck † 18. Febr. 1657. Ux. 1. *Francisca Eduardi Coke f.* 2. *Elisabetha, Wilhelmi Slingsby de Kippar f.*

Georgius Villers de Brookesby.	Maria ux. *Georgii Sondes C. de Feversham.*	Wilhelmus Villers VICEC. GRANDISON † . . . . *Maria Pauli Vicec. Bannings f.*	Barbara nup. 1. N. *Wenmann.* 2. *Jacobo Hovvard C. Suffolc.* † 23. Dec. 1681.	Eduardus Villers Eques. *Francisca Hovvard, Theophili C. Suffolc. f.*

Wilhelmus Villers de Brookesby.	Barbara nup. *Rogero Palmer C. de Castlemain* in Hib. quo deserto *Amica R. Caroli* II. facta, & ab eo Bar. de Nonsuch, C. de Southhampton & denique Ducissa de Cleveland creata est.

Catharina uxor secunda *Philippi Herbert II. C. Pembroch.*

VILLERIÆ.

DUCUM DE BUCKINGAM, COMITUM D' ANGLESAY.

2. *Maria Antonii Beaumont fil.*

2. Georgius Villers n. 28. Aug. 1592. B. Whaddon COMES MARCHIO & DUX BUCKINGAM. *Eq. Perisc.* occ. 23. Aug. 1628. *Catharina Manmours Francisci C. Rutland. f.*

2. Susanna nup. *Wilhelmo Fielding Com. Denbigh.*

2. Christophorus Villers BARO Daventre COMES d' Anglesey † 24. Sept. 1624. *Elisabetha, Thomæ Sheldon de Honby f.*

Jacobus Villers † in infantia.

Georgius Villers II. Dux Bucking. *Eq. Per.* † 16. Apr. 1687. æt. 60. improl. *Maria, Thomæ B. Fairfax de Camrone f.*

Maria nupta 1. *Carolo B. Herbert, 2. Jacobo Stuart D. Richmond.*

Franciscus Villers occ. ad Kingston 7. Julii 1648.

Carolus Villers, C. d' Anglesey † improl. 1659. *Maria Banning Wilhelmi Villers, Vic. Grandison vid.*

Anna nup. *Thomæ Savile C. Sussexiæ.*

Georgius Villers Vicecomes Grandison.

Maria Leigh, Francisci C. de Chichester fil.

Eduardus Villers.

Franciscus Villers.

Carolus Villers.

Caroli I. numeratur) facultatem à Cromwello protectore accepit, cum *Danversii* titulo illud commutandi. (a) Num vero is ipse fit, qui ope matris suæ Dom. de Purbek jus sibi intitulum Buckingamium nunc arrogat adversantibus illis, qui à filia Comitis Anglesejæ descendunt, non liquet.

Scutum Villeriorum gentilitium *argento* tinctum est, & *crucem rubeam, quinque conchis auratis* ornatum, repræsentat.

CAPUT IX.

DE COMITIBUS ET DUCIBUS ALBÆMARLÆ.



Qui ab Albamarla, Normanniæ oppido in diœcesi Rotomagensi ad flumen Auciam vulgo Brestam sito, nuncque *Aumale* dicto, primitus titulum gessere, è *Campanica*, illustrissima apud Gallos, stirpe oriundi fuere. Nimirum ODO DE CAMPANIA, *Henrici Stephani Comitis Campaniæ & Tricassiorum* filius, sive pulsus & exutus ditionibus paternis à Theobaldo III. Carnutum & Blesarum Comite patruo suo, sicut à Gallicis scriptoribus (b) memoriæ proditum est, sive ob cædem in viro summæ dignationis perpetratam domo profugus, quod *Dugdalius* (c) tradit, ad Wilhelmum Normanniæ Ducem cum se recepisset, ab eo non benigne tantum acceptus, sed etiam matrimonio sororis suæ uterinæ nec non dominio oppidi *Albæmarlæ* auctus, prætereaque postquam ille regno Angliæ potitus esset, Comitatu *Holdernesi*, qui largam Eboracensis diœceseos partem, versus Boream & Occidentem positam, continebat, locupletatus est. Gnatum post se reliquit, cui nomen erat STEPHANO: is solo *Comitis Albæmarlæ* titulo usus est, & Godofredi Bullionii Cruciatam secutus in celebri illo ad Antiochiam prælio d. 28. Junii anno 1098. commisso, quo Saracenorum & Turcarum copiæ ad internecionem cæsæ sunt, strenuum hominem se præbuisse memoratur. Ex ejus filiis WILHELMUS CRASSUS primi inter fortes sui ævi viros nominis fuit, refertque *Dugdalius (d)* ex *Ealredi Rhievallensis* vetusti scriptoris *chronico* MSto *de bello Standardico*, quod in Cantabrigiensi extat bibliotheca, cum David Scotorum Rex Regi Angliæ Stephano bellum intulisset, *illius juvenis tunc strenuissimi & in armis multum exercitati, habentis secum milites plurimos non minus astutia militari quam animi virtute præstantes*, in pugna apud locum *North Alvertonan.* 1138. insigni Scotorum clade pugnata egregiam ac eximiam enituisse virtutem atque operam, ob quam à dicto Rege agnato suo ad honorem *Comitis Eboracensis* provectus fuerit. Idem prole mascula destitutus gnatam HAVISIAM facultatum suarum hæredem habuit, quæ ter nupta maritis singulis titulos Comitis Albæmarlæ & Baronis Holdernessiæ communicavit, dominium vero avitarum possessionum in filium è viro secunda susceptum transtulit.

A WILHELMO DE FORTIBUS itaque nova *Comitum Albæmarlæ* familia provenit, cujus è dicta *Havisia* filius *cognominis* id tituli post vitrici sui Balduini mortem assumsit, multis & egregiis & adversis de R. Henrico III. meritis juxta nobilitatus: ei enim fortem contra factiosos operam navasse, & vicissim rebellione iterata negotium exhibuisse prædicatur; hujus vero crimen denique expiaturus cum peregrinationem Hierosolymas suscepisset, in itinere maritimo ipso Parasceves die a. 1241. mortalitate interceptus est, relicto post se filio ac hærede WILHELMO III. cui primis nuptiis viri inter Scotos primarii *Alani Gallovidii* gnata, eaque præmature defuncta, secundis *Balduini de Ripariis* hujus nominis VI. *Com. Devoniæ* soror ac hæres ducta est. Ex hac tres equidem gnatos genuit, sed eos non secus ac parentem mors fato propera abstulit; hinc universa hæreditas, eaque oppido luculenta ad AVELINAM, istorum sororem, devenit, quæ Edmundo C. Lancastriæ, R. Henrici III. filio, nuptui locata, mox & antequam mater facta esset, vitam immatura morte finivit. Ditiones, quas habuit, ad Regem relapsæ, aliis processu temporum collatæ fuere: *Albæmarlam* equidem, sive ut Galli truncata syllaba eam vocitare amant, *Aumalam* in Normannia, ceu dictum, sitam, Rex Galliæ Philippus Augustus jam tum a. 1196. captam everterat, Comitatus ejus nominis proprietate Renaldo de Bononia Comiti de Dammartin ejusque hæredibus concessa, quemadmodum *Laroquius (e)* ex *Alberici Chronico* refert; quare factum, ut per seculi & quod excurrit intervallum Albæmarlensis titulus in Anglia cessaret, usque dum invalescente more, titulum, quod ajunt, sine vitulo dare, *Eduardus Plantagenetæ* tunc Comes Rutlandiæ, Edmundi Ducis Eboraci filius natu maximus, *Dux Albæmarlæ* à R. Richardo II. creatus est, id quod d. 21. Sept. a. 1397. contigit: isto autem sine liberis mortuo id axiomatis rursum expiravit, hoc demum, quo agimus, seculo resuscitatum in GEORGIO MONK, quem R. Carolus II. ob præclara de se merita summis exaggeravit honoribus, & denique *Ducem Albæmarlæ* nominavit, habito forte ad maternum ejus genus respectu, quod ab Eboracensibus, in quorum familia postremum id tituli fuerat, derivabat.

Nimi-

(a) Dugdal. Baron. T. III. p. 432. (b) Vid. Laroque Hist. Harcurt. L. 8. c. 14. (c) Baron. T. I. p. 60. (d) Ib. p. 61. (e) loco supra citato.

SCHEMA PRISCORUM COMITUM ALBÆMARLIÆ.

ODO DE CAMPANIA, Henrici Stephani Com. Campan. & Tricass. F.
COMES ALBÆMARLIÆ ET HOLDERNESSÆ.
Adelisa, VVilhelmi Conquestoris soror uterina.

Stephanus Comes Albæmarlæ. *Havisia Radulphi de Mortimer f.*	Judich nup. *VValtheofo C. Northumbr. & Hundington.*

Wilhelmus cogn. Crassus C. Albæmarl. & Eboraci † 1179. *Cecilia, Wilhelmi Fitz-Duncan C. Morav f.*	Stephanus.	Ingelramus.	N. nup. N. *Vicedomino de Pynkeney.*	N. uxor N. *Viced. de Verberay.*	N nup. *Berstano de Brikebet.*	N. nup. 1. *Wilhelmo de Romare* 2. *Petro de Brus*

Havisia C. Albæmarlæ, B. Holdernessæ nup. 1. *VVilhelmo de Mandevil C. Essexiæ* 2. Wilhelmo de Fortibus † 1184. 3. *Balduino de Bethune Dn. de Choques.*	Amicia nup. N. *Eston.*

2. Wilhelmus de Fortibus II. Com. Albæmarlæ † 1241.
Avelina, Richardi de Munfichet fil.

Wilhelmus de Fortibus III. Com. Albæmarlæ † 1260.
1. *Christiana, Alani de Galovvay fil. & coh.* † *1246.*
2. *Isabella Rivers, Balduini IV. C. Devon. fil.*

2. Johannes † juv.	Thomas † juv.	Wilhelmus † juv.	Avicia † inf.	Avelina Com. Albæmarlæ & Devoniæ, Bar. de Sckipton, Dom. insulæ Vectis nup. *Edmundo cogn. Crouchbak Com. Lancastriæ* 8. April. 1269. † improlis 10. Nov. ejusd. anni.



SCHEMA FAMILIÆ MONCKIÆ,

DUCUM D' ALBEMARLE, COMITUM DE TORRINGTON.

THOMAS MONCK de Potheridge, Uxor: *Francisca Plantagenet, Arturi Vicecom. L' Isle f. Johannis Basset ab Umberley vid.*

Antonius Monk de Potheridge † 1620. *Maria Richardi Arscot ab Ashvvater f.*

Thomas Monk de Potheridge. *Elisabetha Georgii Smith de Madevvorthy f.*

Thomas Monk de Potheridge. *Maria Wilhelmi Fold ab Hayes f.*

Georgius Monk DUX D' ALBEMARLE, COM. de TORRINGTON, B. de Potheridge, Beauchamp & Teys, *Eq. Perisc.* n. 6. Dec. 1608. † 4. Jan. 1679. *Anna, Johannis Clarges f.* † 2 *Febr.* 1670.

Nicolaus Monk *Episc. Hereford.* † 11. Dec. 1661. *Susanna, Thomæ Paine de Plimtree f.*

Thomas Monk de Potheridge † æt. 12.

Elisabetha, nup. *Thomæ Pride,*

Francisca ux. *Johannis le Neve de St. Giles,*

Christophorus Dux Albæmarlæ, Comes de Torrington, Baro Monk de Potheridge, Beauchamp & Teyes, *Eq. Perisc.* † in Jamaica 1688. ἄπαις.
Elisabetha Cavendish, Henrici D. de Neucastle C. d' Ogle f. 30. Dec. 1669.

Georgius Monk † Dalkeitniæ in Scot. vivo patre.

Maria nup. *Arturo Fairwell de Barington.*

Elisabetha ux. *Curwen Rawlison de Carke,*

Nimirum erat Regi Eduardo IV. nothus, *Arturus*, *Vicecomes L'Isle*, jure uxorio, creatus: is, ceu è Tab. VIII. partis prioris constat, trium filiarum pater extitit, inter quas media, cui nomen fuit *Francisca*, secundis nuptiis, THOMÆ MONK (dicto antiquitus *le Moyne* sive Monacho) *de Potheridge* in manum convenit. Hunc proavum GEORGIUS paulo ante nominatus habuit, qui prædium avitum *Potheridge*, in Devonia situm, ex successione nepotis sui ex fratre natu majore, præmaturo fato rapti, obtinuit, & maximam vitæ partem in militia terrestri pariter & maritima, foris primo, deinde domi, contrivit. Gliscente funesto Regem Carolum I. inter & Parlamentum bello prioris partibus se adjunxit, quas cum strenne propugnaret, casu infesto in adversæ factionis potestatem & captivitatem devenit, qua ut tandem liberaretur Parlamento operam suam addixit, & præfecturam copiarum, quas in regione Boreali alebat, sibi delatam accepit, magnamque processu temporis autoritatem & supremam militiæ in Scotia præfecturam adeptus est; eam verò omnem, postquam morte Oliveri Cromwellii mutare reip. Angliæ status cœpisset, eo convertit, ut patriam ad pristinum habitum reduceret, & Carolum Stuartum II. in regnum avitum restitueret; qua re ex sententia & egregia fama perfunctus, condignis à novo Rege præmiis honoribusque ornatus & cumulatus fuit: namque per diplomad. 17. Jul. a. 1660. datum, *Baro Monk de Potheridge*, *Beauchamp & Teyes*, *Comes de Torrington* nec non *Dux Albemarlæ* creatus, & paulò post suprema regiarum copiarum præfectura atque *aurea periscelide* decoratus, in secretiorem Regis Senatum adscitus & denique post fata magnificis exsequiis in regio Henrici VII. sacello humatus est. (a) Vitam ejus & res gestas Anglico sermone in Historiam contulit *Thomas Gumble*, qui à sacris ipsi fuerat; eam deinde in Gallicam linguam *Guido Miege* transtulit. Filium post se reliquit unicum CHRISTOPHORUM, qui in paternas dignitates successit, atque inter Cubicularios & intimiores consiliarios Regis, Equitesque *aureæ Periscelidis* locum obtinebat, & Comitatus Devonensis præfectura gaudebat; quam denique a. 1686. cum Jamaicensi in novo orbe commutare jussus & omnis Americæ Anglicanæ Gubernator generalis constitutus vitæ munus hac in provincia implevit, nulla post se relicta sobole.

Delineanda supersunt *insignia Comitum ac Ducum Albemarlæ*, de quibus hoc capite actum est: *Eudo Comes Albemarlæ*, è Campanica familia ortus, non usus est avito digmate, quod in *scuto cæruleo fasciam diagonalem argenteam duplici renitentium aurearum patibulatarum & contrapatibulatarum* (ut feciales loqui amant) *jugo stipatam*, repræsentabat; sed clypeum *rubeum*, cui *crux florida*, *petasis argenteis & cæruleis variegata*, inscripta erat, dedisse *Gibbono* (b) fertur. *E Fortium* stirpe prognati scutum *argenteum*, *cephalo rubeo* distinctum, juxta eundem autorem gestarunt. *Monkiorum* denique familiare digma *cantherium argenteum*, *cinctum tribus capitibus Leonis avulsis*, *& eodem metallo tinctis*, in campo *coccineo* repræsentat, & *Atlantes* habet à dextris *gryphum*, à sinistris *leonem*, utrumque palmam unguibus tenentem.

CAPUT X.

DE DUCIBUS NOVICASTRI ET COMITIBUS DEVONIÆ E FAMILIA CAVENDISHIA.



PRoximus à Duce Albemarlio, erat *Jacobus Scot Dux de Monmouth*, inter liberos nothos, quos R. Carolus II. ex se genitos palam agnovit & natalibus donavit, ætate ac fama nominis præcipuus, idemque ob immaturum & tristem, quem suo quidem jumento sibi accersivit, vitæ exitum infelicissimus; affectus enim capitali supplicio ob causas lippis & tonsoribus notas, filios, quos *Parte priori Tab. XIII.* recensuimus, ex sortes honorum sibi à parente collatorum, reliquit: Uxor ejus, quæ filia est natu minor & cohæres *Francisci Scot Comitis de Buccleugh* in Scotia, & soror *Mariæ*, *Waltero Scot Comiti de Tarras nupta*, nunc in conjugio *Baronis Cornwallii* vivit. Sequitur HENRICUS CAVENDISH DUX DE NEWCASTLE. Is nobili satus est familia, cujus originem ad *Gernones*, illustres pridem viros in Norfolcia & Essexia, *Dugdalius* (c) refert, eorum aliquis translato *Cavedishum*, in Suffolcia situm, domicilio, novum inde cognomen assumsit. Ex ea progenie claruit postremis regni Eduardi III. annis *Johannes Cavendish*, qui supremi in regio tribunali *Justitiarii* munus obiit, & regnante Richardo II. in rebellione à Jacobo Straw facta immaniter trucidatus est. Sub finem seculi XV. *Johannes Cavendish* vixit, qui *Elisabetham Brandonam*, Ducis Suffolciæ amitam, in matrimonio habuit. Superiore autem seculo *Thomas Cavendishus* famam sibi peperit, viri *Johnstoni* (d) elogio, *nobilissimus & fortissimus*, *qui* S *orbem*

(a) *Sandford. Geneal. Hist. of Engl. Lib. V. c. 10. Dugdal. Baronag. T. III. p. 477.* (b) *Introd. ad Lat. Blas. p. 73.* (c) *Baronag. T. III. p. 40.* (d) *Hist. Rer. Brit. L. K.*

SCHEMA FAMILIÆ
COMITES DE DEVONSHIRE ET

WILHELMUS CAVENDISH de Chatsworth, Eques Auratus

Henricus Cavendish de Tutbury † *s. p. Gratia Talbot Georgii C. Salopia f.*	Wilhelmus Cavendish B. de Hardvvike COM. DEVON. 1618 † 3. Mart. 1625, *1. Anna, Henrici Kighley f. & hær. 2. Elisabetha, Eduardi Boughton de Causton f.*	Francisca nupta *Henrico Pierpoint Eq. aurato.*

1. Gilbertus † juv.	Wilhelmus Cavendish II. Com. Devon. † 20. Jun. 1628. *Christiana, Eduardi B. Bruce de Kinlose in Scot. f.*	Jacobus † inf.	Francisca nupta *Wilhelmo Maynard, Eq. Baronetto.*	Maria, Elisabetha obiere in juv.

Wilhelmus Cavendish III, Com. Devon. † m. Decembr. 1684. *Elisabetha Cecill, Wilhelmi C. de Salisbury f. † m. Nov. 1689.*	Carolus Cavendish occ. ap. Gainesburgum m. Aug. 1643.	Henricus † juv.	Anna nupta *Roberto Rich C. Warvvici.*

Wilhelmus Cavendish IV. Comes Devoniæ B. de Hardwike, *Eques Perisc. Maria Butler, Jacobi D. Ormund. f.*	Carolus Cavendish † cœlebs.	Anna nup. 1 *Carolo B. Rich* 2. *Johanni Cecill, B. Burghley.*

Wilhelmus Baro Cavendish N. *Wilhelmi B. Russel f.* 1688.	Henricus Cavendish.	Elisabetha.

CAVENDISHIÆ
DE OGLE DUCES DE NEUCASTLE.

Uxor: *Elisabetha Joh. Hardvvike f. Roberti Barley vid.*

Carolus Cavendish de Welbeck Eques auratus † 1617. *Catharina Cathberti Bar. Ogle f. & h.*

Elisabetha Uxor *Caroli Stuarti Com. Lenoxia*

Maria nupta *Gilberto C. Salopia.*

---

2. Johannes Cavendish Eqes Baln. † juv.

Wilhelmus Cavendish Baro Ogle, Vicec. Mansfeild, Comes, Marchio, & DUX de NEUCASTLE, *Eques Periscelid.* † 25. Decembr. 1676. æt. 84. 1. *Elisabetha, Wilhelmi Basset de Blore f. & h. Henrici Hovvard. vid.* 2. *Margarita, Thomæ Lucæ de Colchester Armig. f.*

Carolus Cavendish.

Carolus Cavendish † ἄπ. ante patrem N. *Richardi Rogers de Brianston f.*

Henricus Cavendish Dux de Neucastle. C. d'Ogle *Eq. Perisc.* *Francisca, Wilhelmi Pierpoint de Thoresby f.*

Johanna nup. *Carolo Cheney de Chesham Boys.*

Elisabetha Ux. *Johannis Egerton C. de Bridgvvater.*

Francisca nup. *Oliver. St. John C. de Bolinbroke*

Henricus Cavendish C. d'Ogle ἄπ. † 1680. *Elisabetha Percy, Josselini C. Northumbr. f. ac hæres* 1679.

Elisabetha Ux. *Christophori Monk, D. Albamarlæ*, † 1689.

Francisca.

Margarita.

Catharina nupta *Thomæ Tufton. Com. de Thanet.* 1684.

orbem terrarum magna cum gloria circum navigavit, cumque a. 1591. quinque navibus instructis cursum denuo ad Fretum Magellanicum direxisset, neque id tempestatibus adversis superare potuisset ad Brasiliæ litora rejectus, ibi cum suis fluctibus obrutus immature periit; quo autem consanguinitatis gradu is junctus fuerit WILHELMO CAVENDISHO *de Chatsvvorth* in Derbia, à quo *Dugdalius* seriem familiæ hujus genealogicam exorsus est, equidem me fugit. *Wilhelmo Cavendisho* modo nominato occasionem emergendi præbuit, cœnobiorum domuumque religiosarum abolitio, regnante Henrico VIII. facta; ea enim cum regii reditus ad immensum augerentur, nova instituta est Camera, *Augmentationum Curia* dicta, cujus inter Ratiocinarios locum ille obtinuit, quo officio sexennii spatio rite functus, a. 1545. ad munus Thesaurarii Cameræ regiæ & secretiorem Senatum provectus est; atque utramque hanc spartam etiam sub Eduardo VI. & Mariæ regno ornavit. Majori tamen commodo atque incremento familiæ ipsius fuisse prædicatur uxor *Elisabetha* formosissima & prudentissima fœmina, cui & à primo marito *Roberto Barlay*, & à tertio *Wilhelmo St. Lovv* Regii Satellitii Capitaneo, quorum neutri liberos peperit, magnæ opes ac possessiones obvenere, à quarto autem, qui *Georgius Talbot* Salopiæ Comes erat, eximia accessit dignatio, ita ut liberos è Cavendisho susceptos è mediocri fortuna ad amplissimam proferendi adminicula cuncta affatim haberet, & longa à Deo vita donata (major enim octogenaria a. 1607. demum decessit) filium secundo genitum WILHELMUM, quippe qui fratre natu majore, HENRICO, sine prole legitima præmature defuncto, præcipuam parentum hæreditatem crevit, Paribus Angliæ sub titulo *Baronis Cavendish de Hardvvike* à R. Jacobo aggregatum conspiceret. Eundem tredecim annorum spatio interjecto nempe d. 7. Aug. 1618. modo dictus Rex titulo *Comitis Devoniæ* auxit, quem ille fato suo functus ad *gnatum cognominem* transmisit. Is triennio tantum patri superstes fuit, quod intemperantia mortem sibi accelerasset, quemadmodum *Johnstonus* extremis *Historiæ* suæ *Rerum Britannicarum* verbis refert, quæ sic se habent. *Hoc anno, nempe 1628. Gulielmus Cavenditius, Devoniæ Comes, Neophytus, opibus, prædiis, aliisque proventibus clarus, cæterorum procerum sumptuosam lautitiam, profusa luxuria, superavit; qui cogitavit sibi se natum esse, & suis voluptatibus. Itaque splendidissimo rerum omnium apparatu, lautiores hospites excepit. Parum abfuit quin ditissimæ familiæ opes, sapientia & moderatione patris amplificatæ, constitutaque magnificentiæ studio, dissiparentur: nisi diutino morbo, ex crapula contracto, in medio robore ætatis, extinctus fuisset. Illo defuncto conjux, gente Caledonia orta, domus magnum firmumque subsidium fuit, & dignitati familiæ, maximaque liberorum hæreditati cautiore ac moderatiore liberalitate consuluit.* Ex ejus filiis natu minor CAROLUS R. Carolo I. in bello civili Dux legionis militavit, atq; ab hostibus prope *Gainesburgum* in Lincolnia cæsus est. Natu major in paternos honores successit, eosque paucis abhinc annis è vivis exemptus gnato cognomini WILHELMO IV. reliquit, cujus filium natu majorem Baronis Russelii gnatam in matrimonium duxisse, hæc scribens è Novellis percipio.

Sed nec reliquam *Wilhelmi Cavendishi & Elisabethæ Hardvvikiæ* progeniem, à *Carolo* filio eorum natu minimo, ortam, fortuna & honores destituere, quin amplius etiam ac agnatos extulere; namque WILHELMUS, Caroli F. à R. Jacobo a. 1610. Eques Balnei, a. 1620. d. 3. Nov. Par regni & *Baro Ogle*, nec non *Vicecomes Mansfeild*, atque à R. Carolo I. a. 1627. d. 7. Martii *Baro Cavendish de Bolesovor* & *Comes Novi Castri* (de *Neucastle*, à qua civitate, Northumbriæ primaria, ante illum solum Ludovicum Stuartum Lenoxiæ Ducem titulum gessisse reperio) postea a. 1643. *Marchio* creatus, & denique à R. Carolo II. cujus antehac pueritiam moderatus fuerat, dignitatibus *Comitis d'Ogle* & *Ducis de Neucastle* d. 16. Mart. 1665. amplificatus est. Merita cæteroquin ejus monumentum exprimit, in æde Westmonasteriensi ipsi erectum, cujus inscriptionem subjicere operæ pretium duco:

Hic situs est Heros ille inclytus Wilhelmus Cavendish, de Balneo Miles, Baro Ogle, jure materno, Vicec. Mansfeild, Baro Cavendish de Bolesover, Comes de Ogle, Comes Marchio & Dux de Novo Castro super Tinam. Notingh. & Northumbr. Comitat. Locumtenens. Præcipuus Regii Cubiculi generosus: Carolo Principi Curator potissimus è secretioribus Domini Regis consiliis, & Nobilissimi Ordinis Periscelidis Eques, Vir qui fidelitatem ac fortitudinem, Majestati Regiæ ubertim indicans, conjuratione nequissima primitus exorta legionum omnium in Borealibus regni partibus ad tunc conscriptarum Capitaneus Generalis merito constitutus, in præliis diversis (ubi prorsus victor extitit) ac in Eboraci Civit. adversus Scotos munimine se fidum strenuumque militem usque quaque comprobaverit, qua propter invalescente rebellione à primis morti destinatus totius rei familiaris jacturam longumque exilium (maximo autem animo) inde sustinuit. -- Diem obiit 25. Decemb. anno salutis humanæ 1676. ætatis suæ 84.

HENRICUS *Cavendish* per fratris sui natu majoris præmaturam mortem patri in Ducatu Novocastrensi successit, eaque dignitate nunc eminet, à Rege defuncto inter intimiores Consiliarios & Equites aureæ Periscelidis cooptatus. Filium, quem, ni fallor, unicum habuit, *Comitem d'Ogle* vulgo dictum, turbato mortalitatis ordine jam extulit, in ipso ætatis flore mortuum, cum non

non ita multo ante opulentam illustrissimæ Perciorum Northumbriæ Comitum hæredem penatibus suis induxisset. Ea postea sub nomine *Madame d'Ogle* inclaruit, atque ob invita cum *Thoma Thyn* Equestris loci viro sponsalia, discessumque in Hollandiam publicis in schedis celebrata est, de qua re inferius plura dicendi locus erit.

Insignia Cavendishorum gentilitia ita *Joh. Gibbonus* (a) delineavit: *Tria cervina capita argentea, ora obvertentia, quibus cornua sunt aurea, in parma nigra*: quam utrinque *cervus* sustinet.

CAUT XI.

DE ANTIQUIORIBUS DEVONIÆ COMITIBUS.



N Cavendishia familia proxime enumerata, præter Novocastrensem titulum etiam *Devoniensem* vidimus: illum quidem ante Wilhelmum Cavendishum soli Ludovico Stuarto Lenoxio gestum fuisse dictum jam est; Devoniensis autem per diversas divagatus est familias, videlicet *Ripariam*, *Curtenaam*, *Staffordiam* & *Blountiam*. Situs est *Devoniæ* Comitatus inter Sabrinianum & Britannicum fretum, atque ab Occidente fluvio Tamara à Cornwallia secernitur, ab Oriente vero Somersettiam contiguam habet. Ejus partem Wilhelmus Conquestor memoratur contulisse RICHARDO, cogn. *Redvers* sive *Rivers*, Latine *de Ripariis*, eundemque toti Comitatui vicaria præfecisse potestate, unde *Vicecomes Devoniæ* audierit, postea à R. Henrico I. puro *Comitis* axiomate auctus. Originem ipsius *Dugdalius* (b) testimonio *Orderici Vitalis* fultus, ad *Duces Normanniæ* refert, & speciatim ad Ducem *Richardum* I. huic enim *nothus* tribuitur *Godofredus Comes d'Eu & de Brionne*, quo genitus *Gilbertus Crespinus Brionnæ Comes* duorum pater filiorum constituitur, nempe *Richardi de Bienfaite & de Claire*, à quo Clarorum & Fitz-Walterorum illustres familiæ, superius *Cap. V.* recensitæ, deducuntur, & BALDUINUS, quem *de Brionis* & *de Molis* cognominant, patremque ex Conquestoris amitina fuisse ajunt RICHARDI *Redvers*, autoris familiæ Ripariæ & Comitis Devoniæ, à R. Henrico I. ceu dictum est, creati. Habuit is è filio ac successore *Balduino* I. nepotes duos, *Richardum* II. scilicet & *VVilhelmum*; priori totidem gnati fuere; nempe *Balduinus* II. & *Richardus* II. qui Comitatum Devoniensem successive tenuerunt, sed sine prole defuncti patruum WILHELMUM hæredem sortiti sunt. Hic in secunda Richardi I. coronatione sericum gestasse canopeum, tuncque *Comes Vectis* insulæ dictus fuisse memoratur, pater BALDUINI III. ante ipsum fatorum iniquitate rapti, cujus viduam *Margaritam* R. Johannes *Falconi de Breant*, gratioso suo, nullius generis & virtutis viro, invitam nuptui locavit, quod in conjugium hos sparsos fuisse versus *Dugdalius* (c) refert:

Lex connectit eos, amor & concordia lecti:
sed lex qualis? amor qualis? concordia qualis?
lex exlex; amor exosus, concordia discors.

BALDUINUS IV. avo Wilhelmo in Devoniensem Comitatum successit, in cujus gnato BALDUINO V. veneno ad mensam Petri Sabaudi affinis sui in flore ætatis extincto, mascula Ripariæ gentis stirps exaruit, adiitque ejus hæreditatem soror postremi ISABELLA, Wilhelmo de Fortibus III. C. Albæmarlæ nupta; ea verò gnataque ipsius *Avelina* sine liberis defuncta, Devoniensis Comitatus ad posteros MARIÆ, quæ Balduini V. amita magna erat, *Roberti de Courtenay* conjux, translatus est.

Curtenacensis familiæ origo è Gallia manavit, ubi primarius ejus ramus in Regiam insitus est familiam, nuptiis inter *Elisabetham* quæ Reginaldi Domini *de Courtenay* filia & hæres erat, & *Petrum*, Regis Ludovici VI. gnatum natu minimum, contractis, quorum propago, hodieque virens, alibi nobis deducta est. Ab iisdem Curtenæos, qui in Anglia floruere, *Dugdalius* (d) derivare satagit, sed in ipso statim limine impingens, atque à Gallicis scriptoribus discrepans: quem enim isti unanimo consensu *Petrum* vocant, ille *Florum* appellat, prætereaque duos tantum filios ei tribuendo, quorum major *Robertus* prole caruerit, alter *Reginaldus* sedem fortunarum in Anglia fixerit, universam Curtenæorum in Gallia stirpem, è Regia enatam, eamque satis amplam, it obliteratum. Quare *Bucheti* & *Laburerii* opinio mihi ad veritatem videtur propensior, ad primam Curtenacensem in Gallia familiam, & speciatim ad *Athonis Dn. de Courtenay* (is abavus fuit Elisabethæ, à Petro de Francia ductæ) *filium natu minorem*, qui Wilhelmum Conquestorem in Angliam secutus sit, originem Curtenæorum in Anglia referens. Maternum eorum genus à

(a) *Introd. ad Lat. Blasoniam p. 8.* (b) *Baronag. T. I. p. 254.* (c) *L. c. p. 256.* (d) *Ibid. p. 634.*

SCHEMA ANTIQUIORUM
E FAMILIIS DE REDVERS

BALDUINUS DE BRIONIIS SEU DE MOLIS, Gilberti Crespin C. de Brionne F.

I.° Richardus cogn. DE REDVERS SIVE RIVERS VICECOMES initio postea COMES DEVONIÆ. Ux. *Adelisa.*

Balduinus de Redvers C. Devon. † 4. Jun. 1155. *Lucia*	Wilhelmus cogn. de Vernon.	Robertus.	Hadewisa de Rumara.

Richardus de Redvers II. Comes Devon. † 1162. *Havysia, Reginaldi Com. Cornub. f.*	Wilhelmus de Redvers Comes Devon. † 1216. *Mabilia, Roberti C de Mellent f.*	Henricus † ante patrem.

Balduinus de Redvers II. C. Devon. ἄπ. N. *Radulphi de Dols f.*	Richard. de Redvers III. C. Devon. † ἄπ.	Balduinus de Redvers III. † ante patrem. *Margarita Warini Fitz-Gerald f. ach.*	Maria Uxor *Roberti de Courtney.*	Johanna nup. 1. *Wilhelmo Briwere, 2. Huberto de Burgh.*

Balduinus de Redvers IV. Comes Devoniæ † 1245. *Amicia de Clare, Gilberti C. Glocestriæ f.*

Balduinus de Redvers V. C. Devon. † ἄπ. 1262. *Avoya, Thomæ I. C. Sabaudiæ f. 1257.*	Isabella fratris hæres, nupta *VVilhelmo de Fortibus III. C. Albamarlæ.*	Margarita monialis.

Johannes de Redvers † in infantia.

Hugo de Courtn. IV. † 1364. ἄπ. *Mathildis, Thomæ Holland C. Cant. f.*	Thomas de Courtney † ante patrem	Eduardus de Courtney † vivo patre. *Emelina Johannis D'Auney Eq. fil.*	Wilhelmus de Courtney, *Archiepisc. Cantuar.*	Philippus Courtn. de Pouderham.	Petr. de Courtn. Supr. Cubicul. R. Rich. II. † 1408.

Eduardus de Courtney Comes Devon. † 5. Dec. 1419.

Hugo de Courtney IV. C. Devon. † 16. Jun. 1422. *Anna, Richardi B. Talbot f.*	Eduardus de Courtney Eques.	Jacobus de Courtney.

Thomas de Courtney, C. Devon. † 3. Febr. 1458.	Elisabetha nupta *Joh. Tretherfe.*	Mathilda Uxor *Joh. Arundel de Taverne.*

Thomas de Courtney II. *decoll.* 3. Apr. 1461.	Henricus de Courtney C. Devon. *decoll.* 1468.	Johannes de Courtney C. Devon. occ. in pr. Tewkesbur. 4. Maji 1471. *Ita Camdenus.*

Thomas de Courtney III. Com. Devon. occ. in pr. Tewkesbur. 4. Maji 1471. *Ita Dugdalius.*	Henricus de Courtney, Com. Devoniæ.

DEVONIÆ COMITUM ET DE COURTNEY.

Uxor: *Albreda, R. Wilhelmi Conquestoris amitina.*

Adelisa nupta *Ranulpho Avenel.*

Mathildis Baronissa de Okehampton, nup. 1. *Roberto de Albrincis.* 2. *Roberto, notho Regis Henrici I.*

Havisia Uxor REGINALDI DE COURTNEY, Flori F. qui obiit 1. Aug. 1209.

Robertus de Courtney, B. ab Okehampton † 16. Jul. 1242. *Maria de Redvers, Wilhelmi C. Devon. f.*

Johannes de Courtney B. de Okehampton † 3. Maji 1273. *Isabella de Vere, Johannis C. Oxon. f.*

Hugo de Courtney I. B. de Okehampton † 27. Febr. 1291. *Alienora Hugonis le Despenser f.*

Hugo de Courtney II. C. DEVONIÆ † 1340. *Agnes St. Joh.*	Philipp. Courtney de Moncdon. occ. ap. Scrivel. 1314.	Thomas de Courtney.	Isabella nup. *Johanni St. John.*	Avelina Ux. *Joh. Giffard.*	Egelina nup. *Roberto Scales.*	Margarita ux. *Johan. de Mulis.*

Johannes de Courtney *Abbas de Tavestoke.*	Hugo de Courtney III. C. Devon. *Eq. Perisc.* † 1377. *Margarita de Bohun, Humphredi C. Hereford fil.* † *16. Dec. 1391.*	Robertus de Courtney †	Thomas de Courtney *Muriela, Johannis de Mulis f. & her.*

Margarita Ux. *Joh. B. Cobham*	Elisabetha nup. 1. *N. Vere.* 2. *Andrea Lutterel.*	Catharina nup. 1. *Wilhelmo B. Harrington.* 2. *Thomæ Engaine.*	Anna.	Hugo de Courtney Eques.	Margarita Ux. *Thomæ Peverell.*	Muriela nup. *Johan. Dynham.*

Hugo Courtney de Baunton Eques. Ux. 1. *Philippa, Warini Archdekne f.* 2. *Mathilda Beaumont.*

2. Hugo Courtney de Boconnok Eques *Margarita Thomæ Carminovv fil. ac her.*

Eduardus Courtney de Haccomb, Comes Devoniæ cr. 1485. *Eq. Perisc. Elisabetha, Philippi Courtney de Moland f.*	Isabella nupta *Wilhelmo Mohun.*	Florentia Uxor *Johannis Trelauny.*

Wilhelmus de Courtney † 9. Junii 1511. *Catharina R. Eduardi IV. f.*

Henricus de Courtney C. Devon. MARCHIO EXONIÆ, Eq. Per. *decoll.* 1538. 1. *Elisabetha Grey, Johannis Vicec. L'Isle f.* 2. *Gertrudis, Wilhelmi Blount B. Montjoy f.*

2. Eduardus de Courtney, Comes Devoniæ † improlis 4. Oct. 1556.

à *Balduino de Brioniis*, sive *de Molis*, à quo Ripariam gentem derivari dictum est, Dugdalius repetit, ea serie quam Tab. XXXI. exhibet. *Devoniensis Comitis* axioma primus è *Curtenæis* gessit HUGO II. (assentiente & per literas d. 22. Febr. a. 1335. datas, id approbante R. Eduardo III.) tanquam proximus *Isabellæ de Redvers* hæres; cujus amitam magnam ille aviam agnoscebat. Multum idem apud Regem modo nominatum gratia & autoritate valuisse prædicatur, utpote *tam sapientia quam scientia mirabiliter præditus*, quod elogium in veteri membrana cœnobii *Fordensis* sæpe citatus autor legit. E filiis *Hugonis* II. natu maximus JOHANNES monasticæ in *Tavestokensi* monasterio, cujus denique *Abbas* factus est, se mancipavit, hinc ad secundum nempe *Hugonem* III. Devoniensis Comitatus devenit, qui una cum fratre suo natu minimo THOMA plerisque R. Eduardi III. expeditionibus magna interfuit fama, & primis Ordinis *aureæ periscelidis* Equitibus aggregari meruit, multæ sobolis pater, è qua tamen mares tres natu a priores ante se vivis exemptos extulit, ita ut postquam naturæ sortem & ipse explevisset, nepotem è filio tertio EDUARDUM successorem in Comitatu nancisceretur. Is navali militia præstans classem regiam sub Richardo II. rexit, prætereaque *Comitis Mareschalli* munia obiit, genitor ex uxore incomperta filiorum trium, quos inter natu majores HUGO IV. *Comes Devoniæ* & EDUARDUS R. Henrico V. fortem mari navarunt operam. Prioris gnatus THOMAS I. initio R. Henrico VI. militavit, postea verò cum Richardo Duce Eboracensi regnum affectante, consilia viresque sociavit, posteri tamen ejus à partibus Lancastrensium obfirmato steterunt animo. Sed in his enarrandis discrepant autores; *Dugdalius* unicum illi tribuit filium THOMAM, nepotesque ex eo duos THOMAM & HENRICUM; horum priorem in Tewkesburiensi prælio mortem oppetiisse, alterum ab Eduardo IV. Regoinitio humaniter habitum, atque in avitas possessiones restitutum, brevi autem plerisque exutum, easque unà cum honore Comitis Devoniæ in *Humphredum Staffordum* (de quo *Cap. VII.* dictum est) translatas fuisse refert. *Camdenus* (a) Thomæ primo hujus nominis Comiti Devoniæ tres ait fuisse filios, videlicet THOMAM, HENRICUM & JOHANNEM, quorum fortuna flagrantibus inter Lancastrenses & Eboracenses funestis dissidiis multùm jactata. *Thomas*, verba ejus refero, *capite plexus est Eboraci, Henricus frater, qui successit, septimo post anno eandem pœnam Saruburiæ subiit. Et quamvis R. Eduardus IV. Humphredum Stafford in Devoniæ Comitem evexerit, qui eodem anno diem obiit, Johannes tamen Courtnæus fratrum minimus natu hunc honorem, donec in prælio ad Tevvkesbury ceciderit, mordicus tenuit.*

Supererat de Curtenæa familia progenies HUGONIS *de Baunton*, qui Eduardi Comitis Devoniæ frater natu minor erat; eam Henricus VII. postquam discordiis civilibus rubeam interalbamque rosam sublatis regnum occupasset, in dignitates possessionesque avitas restituit, & EDUARDUM *de Haccombe*, dicti Hugonis nepotem, *Devoniæ Comitem* creavit, hocque sub axiomate ad Parlamentum primo regni sui anno, Anglico verbo, *summonuit*: filium verò ejus WILHELMUM, licet affinitate sibi conjunctum illo iterum multavit, cum suspicione magis quam peccato, ob propinquitatem cum Edmundo Pola Suffolciæ Comite, novis tunc rebus studente, in carcerem cum aliis conjecisset, è quo quidem post aliquot annos à R. Henrico VIII. dimissus est, fuitque apud eum (*Polydoro Vergilio* (b) teste) in magno honore atque gratia, sed cum ad summ militaris artis studium continuo tediisset, in pleuritidem incidit, & medicorum incuria periit, antequam in honorem avitum plenarie restitutus fuisset, quam tamen filius ejus HENRICUS statim recepit, insuperque ejusdem Regis beneficio d. 8. Jun. 1525. *Marchio Exoniæ*, quæ Devoniæ metropolis audit, creatus est; deinde autem immutata Regis mente, suspectus ipsi, carcerem & capitale subiit supplicium, relicto post se filio unico EDUARDO II. qui diu in custodia detentus, denique à Maria, cum ea regni gubernacula capessivisset, in libertatem & titulum *Comitis Devoniæ* die 3. Septembris 1553. restitutus fuit, sed triennio vix elapso Patavii in Italia non absque suspicione veneni vitæ familiæque finem fecit.

Ab eo tempore cessavit aliquandiu Devonensis titulus, donec à R. Jacobo I. sub ipsa regni ejus in Anglia initia collatus est CAROLO BLOUNT, Baroni *Montjoy*, quo axiomate atavus ejus *Walterus Blount* à R. Eduardo IV. a. 1465. insignitus fuerat, celebris gloriæ, multique nominis viro, qui Hiberniæ Protex ab Elisabetha a. 1600. constitutus, spartam ornavit, *& virtute bellica, dum Hiberni furerent, Beticis gentibus innotuit*, ut *Johnstoni* (c) verba huc transferam. Obiit is d. 3. April. 1606. tertio & quadragesimo ætatis anno, nec maritus, nec pater legitimæ uxoris & prolis, sed ad inconcessam Venerem prolapsus, alienam conjugem, matremque jam ex alio viro multorum liberorum (fuit illa haud dubie *Penelope Devereux*, Roberti Richii Com. Warwicensis uxor) illexit in stuprum, connubioque sibi junxit. Nothum quem ex ea suscepit, *Montjojum Bluntum* dictum, R. Jacobus I. *Baronem Mont-*

(a) *Descr. Brit. p. 139.* (b) *Hist. Angl. L. 26. p. 811.* (c) *Rer. Brit. L. XXIII. p. 420.*

Montjoy-Fort in Hibernia, Carolus I. *Bar. de Thurveston*, & denique *Comitem de Neuport* in Vectensi insula crearunt. Uxor huic fuit *Anna*, *Johannis Butler de Woodhall* gnata. Defuncto d. 10. Febr. 1666. successit *Henricus Blount Comes de Newport*, quem extremo R. Caroli II. ævo sine prole mascula decessisse credo: vacat jam enim is titulus. Devoniensæ axioma duodecim prope annorum spatio interjecto Cavendishiæ obvenit familiæ, quæ huic digressioni locum præbuit.

Insignia Comitum Devonensium è *Ripariis*, *Gryphem aureum erectum in clypeo rubeo*, è *Cortinæis* ortorum, *tres nummos byzantinos coccineos, in solo aureo triplici lemnisco distincto*, repræsentabant: *Blountorum* vero familiare digma *senas fascias undosas* sive *nubilatas ex auro & atro* referebat, cui *Comites de Neuport* discerniculi ergo *limbum ex argento & minio tessellatum* circumdant.

CAPUT XII.

DE DUCIBUS RICHMONDIÆ, SOUTHANTONIÆ ET GRAFTONÆ, HORUMQUE TITULORUM ANTIQUIORIBUS POSSESSORIBUS.



Ovocastrensem Ducem proximè sequuntur CAROLUS LENOS DUX DE RICHMOND, CAROLUS FITZ-ROY DUX DE SOUTHAMPTON, HENRICUS FITZ-ROY DUX DE GRAFTON; sunt hi è grege liberorum naturalium Regis Caroli II. quemadmodum superius Tabula XIII. ostendimus, Ducali dignitate anno 1675. aucti. Quoniam verò de iis narrandi deficit argumentum, titulos inspiciemus eorumque veteres possessores, quorum quidem plerique inferiore honoris gradu usi sunt, enumerabimus. A *Graftona* (inverso enim ordine procedere lubet) qui honoris titulum ante *Henricum Fitz-Roy* gesserit, nemo reperitur: castrum id est Regium, in Northantonia situm, quod olim ad familiam *Woodvil* sive *VViddevil* pertinebat, ubi R. Eduardus IV. clandestinas nuptias cum Elisabetha, ex illa domo prognata, contraxit, *atque una sibi & uxoris agnatis illadem malorum attraxit*, ut *Camdeni* (a) verba huc transferam.

Richmondia pars est Eboracensis Comitatus, qua is solstitialem Occasum spectat late patens; nomen à castro accepit, quod *Alanus Ruffus Britanniæ Armoricæ Comes* extruxerat, à Wilhelmo Conquestore socero suo, agro isto, qui prius Eadvvini Saxonis erat, donatus, ad cujus etiam posteros ac successores in Britanniæ Armoricæ dominio Richmondia tanquam pars patrimonii transiit, ita ut qui *Comites* & tandem *Duces Britanniæ* essent, etiam *Richmondiæ Comites* audirent. Sed ad inanem denique titulum apud illos res devenit, quem eodem temporis spatio etiam ex Angliæ Proceribus successivè gesserunt *Johannes de Gaunt Dux Lancastriæ*, *Radulphus Nevil Comes Westmerlandiæ*, *Johannes & Humphredus Plantagenetæ Duces Bedfordiæ & Glocestriæ*, *Edmundus Tudor*, frater uterinus R. Henrici VI. & *Henricus filius ejus* qui postea Rex factus est, Henricus VIII. deinde nothum suum *Henricum Fitz-Roy Ducem Richmondiæ* creavit, quo sine liberis mortuo cum quievisset aliquandiu is honos, resuscitatus denique est à R. Jacobo & *Ludovico Stuarto* Duci Lenoxiæ in Scotia collatus, à quo ad fratrem ejus *Esmæum*, & porrò ad hujus filium *Jacobum*, ne potesque *Esmæum* & *Carolum Stuartos* transiit. Eorum postremus cum sine prole decessisse, *Carolus Fitz-Roy* supra dictus à genitore *Dux Richmondiæ* creatus fuit.

Southantonia civitas est Hantoniæ ab australi situ sic dicta, & *pauculos* Camdeno (b) referente, *Comites numerat; primis Normannorum temporibus* Bogo *sive* Beavosius *Anglus hoc titulo usus erat, qui in prælio ad Cardiff in VVallia contra Normannos pugnavit, vir bellica laude florentissimus, quem dum monachi fabellis celebrare sudarunt, fortissima ejus facta crassis occultarunt & circumfuderunt tenebris.* Inde ad Henricum VIII. usque Southantonensis Comes nullus legitur: ille enim *VVilhelmum Fitz-VVilliams* jam grandævum, & amplissimis officiis Cancellarii Ducatus Lancastriæ nec non Thalassiarchæ, *aureaque periscelide San-Georgiani Ordinis* ornatum, *Southantoniæ Comitem* a. 1537. constituit. Parentes huic fuere *Thomas Fitz-VVilliams de Aldvvarke* in Com. Ebor. cæsus in prælio Floddonensi a. 1512. & *Lucia Nevill*, Johannis March. Montacute gnata & cohæres; uxorem habuit *Mabelam* Henrici Baronis *Clifford* filiam, è qua prolem nullam, è pellice verò *nothum* sustulit *Thomam Fitz-VVilliams* alias *Fisher* dictum. (c) Postquam itaque anno 1542. nulla legitima prole relicta è vita migrasset, cessavit titulus, quem gesserat, usque ad regnum Eduardi VI. qui *Thomam VVriothesley* Cancellarium eodem insignivit.

(a) *Descr. Brit. p. 402.* (b) *Ib. p. 203.* (c) *Dugdal. Baronag. II. 105.*

SCHEMA FAMILIÆ WRIOTHELEIENSIS, COMITUM DE SOUTHAMPTON.

JOHANNES WRIOTHESLEY, vulgò Wrythe dictus, Heraldus Armorum sub titulo Faucon, dein Rex Armorum Norrois & denique Ordinis Garterii temp. Ed. IV. Rich. III. & Henr. VII.

Thomas Wriothesley, Heraldus Wallingfordensis, post Rex Armorum Garter.

Wilhelmus Wriothesley, Heraldus Eboracensis.

Thomas Wriothesley BARO de Tichfeild cr. 1. Jan. 1544. Cancellarius Angliæ & Privati Sigilli Custos, eod. anno, COMES DE SOUTHAMPTON 16. Febr. 1547. *Eq. Perisc.* † 30. Jul. 1550. *Jana, Wilhelmi Cheney fil.*

Henricus Wriothesley Com. Southampt. † anno 1583. *Maria, Antonii Brovvne Vicec. Mountagu f.*

Maria nup. 1. *Wilhelmo Shelley de Michelgrove*, 2. N. *Lyster.*

Elisabetha ux. *Thomæ Ratcliffe C. Sussex.*

Catharina nup. *Thomæ Cornwallis.*

Mabela ux. *Waltheri Sands Eq. aur.*

Anna.

Henricus Wriothesley Comes Southampton, *Eq. Perisc.* † 10. Nov. 1624. *Elisabetha, Joh. Vernon de Hodnet Armig. fil.*

Maria nup. *Thomæ Bar. Arundel de Wardour.*

Jacobus Wriothesley † a. 1624 paulò ante patrem.

Thomas Wriothesley Com. Southampt. *Eq. Perisc.* † 16. Maji 1667. Ux. 1. *Rachel, Danielis de Massey B. de Ruvigny f.* 2. *Elisabetha, Leigh, Francisci B. Dunsmore C. de Chichester fil. & cohær.* 3. *Francisca Seymour, Richar-di Vicec. Molineux vid.*

Penelope ux. *Wilhelmi B. Spenser.*

Anna nupta *Roberto Wallop de Farley.*

Elisabetha ux. *Thomæ Estcourt.*

1. Carolus & Henricus obiere in pueritia.

Elisabetha ux. *Eduardi Noel Vicec. Cambden C. de Gainsborough.*

Rachel nup. 1. *Francisco Vaughan*, 2. *Wilhelmo B. Russel.*

Magdalena † in juv.

2. Audreja † innupta.

Penelope † in juventa.

Elisabetha nupta 1. *Joscelino Percy C. Northumbr.* 2. *Eduardo Bar. Mountagu de Boughton.*

Penelope † infans.

Is nobili genere natus patrem habuit *fecialem*, avum *Regem armorum Anglorum*, quod munus etiam patruus ejus ornavit. Est *collegii fecialium* sive *Heraldorum* in Anglia institutio vetusta & dignatio eximia ob egregiam utilitatem, quæ in rem publicam inde redundat: sunt etenim illi, ut *Chamberlani* (a) verbis utar, *tanquam sacrorum custodes & Templi Honoris aditui*, quippe quorum partes sunt, in assignata unicuique provincia Regum Procerumque coronationes, nuptias, festa lustralia, exequias, spectacula omnia, solennitates apparatusque augustiores disponere, prætereaque nobilium omnium insignia & genealogias omni cura ac diligentia monumentis mandare & posteritati propagare. Triplicis autem sunt generis, vel *Armorum Reges*, vel *Duces*, Anglis *Heralds* speciatim dicti, vel *Ministri* vernaculo verbo *Pursuivants* appellati. Primam classem *tres* constituunt, cognomentis *Garter*, *Clarencieux* & *Norrois* distincti: illi enim Equitum ordinis aureæ periscelidis præcipua cura est, iste à Duce Clarentiæ ejus fundatore nomen recinuit, aliquando *Surroy* vel *Southroy* dictus ab *Australi* regione cis amnem *Trentam*, non secus ac tertius *Norrois* à *Boreali* trans *Trentam* parte cognominatus est. Secundam classem *sex* implent *Duces* sive *feciales*; videlicet *Eboracensis*, *Lancastrensis*, *Richmondensis*, *Cestrensis*, *Somersettensis* & *Windsorianus*. In extrema classe *quatuor* numerantur, *Rouge Crosse* (Rubra Crux) *Rouge Dragon* (Ruber Draco) *Portcullice* (Cataracta) & *Bluemantle* (Cæruleum Pallium) ab insignibus, quæ antehac gestasse videntur, nuncupati. Nulli verò hoc in collegium aditus patet, nisi nobili genere orto, qualem patrem avumque THOMÆ WRIOTHESLEY, à quo digressi sumus, fuisse consequens est.

Hic verò quem illi tenuerunt honoris gradum longè post se reliquit, atque ad amplissimas dignitates industriæ ac virtutis via pertigit, à Rege Henrico VIII. postquam inferiora ministeria ex ipsius sententia obiisset, ad summum *Cancellarii Angliæ* & *Custodis Privati Sigilli* fastigium provectus, *Baro Wriothesley de Tichfeild* creatus, inter Equites *San-Georgiani Ordinis* & supremi testamenti curatores constitutus. Ad extremum verò postquàm ab Eduardo VI. *Comitis Southamptoniæ* axiomate cumulatus fuisset, mutata acturum fortuna Cancellariatu, Sigillis omnique in aula autoritate exutus est ob nimiam in refragando cæteris primoribus pertinaciam, è zelo erga Romanam religionem haud dubiè natam; eo enim filium etiam ejus HENRICUM laborasse *Camdenus* (b) memoriæ prodidit; qui Scotorum insuper Reginæ, si quis alius, devotus utrumque Reginæ Elisabethæ indignatione & carcere luit. Hujus gnatus *cognominis* Roberto Comiti Essexiæ amicus intimæ admissionis & in Hibernica expeditione Comes parùm abfuit à supplicio capitis, cùm illo perduellionis damnato in carcerem conjectus, & ex aliquorum *delationibus Essexiique credulitate insimulatus esset, graviter tamen exagitato Principis clementia vel innocentia tandem fuit præsidio, & cautione interposita liberatus*, ut modo citati autoris (c) verba referam. A R. Jacobo deinde non tantum in integrum restitutus, sed etiam novis honoribus, *aurea* scilicet *periscelide*, præfectura *Vectis* insulæ, & loco in privato ejus Senatu, amplificatus est. In Bataviam deinde una cum filio primogenito JACOBO, *nobilissimo adolescente & ad maximos honores gradibus militiæ properante* profectus, *gravi* illic *morbo uterque intercepti sunt, summo*, ceu *Johnstonus* (d) testatur, *omnium dolore: nam propter singularem virtutem, non solùm domi apud Britannos in gratia erant, sed etiam foris apud Batavos clari habebantur. Pater prudentia, moderatione animi ac rei militaris scientia inter Proceres præcipuè eluxit. Filius, effigies paternæ virtutis, ingenii, industriæ fuit.* Successit ergò illi in honores & possessiones gnatus minor THOMAS, vir summa prudentia & singulari erga R. Carolum I. fide, quam ei difficillimis probavit temporibus; qua propter à Carolo II. in maximo pretio habitus, & post ejus in regnum restitutionem in *Ordinem San-Georgianum* allectus, amplissimaque dignitate *summi Angliæ Thesaurarii* ornatus fuit; eo tamen infelix, quod mascula orbus prole ex hac vita discesserit, nullumque è familia sua successorem in avito honore habuerit. Vacue factum ergò ejus morte titulum Southantonicum deinde Rex postremo memoratus in primogenitum inter filios, quos è Clevelandiæ Ducissa procreaverat, nempè *Carolum Fitz-Roy* sub *Ducali axiomate* transtulit.

Scuta, quibus *Duces Richmondiæ, Southantoniæ & Graftoniæ* utuntur, *Regia Angliæ insignia* comprehendunt, sed *discerniculis fracta*: primus enim *margine* illa cingit è *quadris & angulis argenteis cæruleisque* composito, secundus *bacillum* addit *sinistrum ac brevem hermionicum*, tertii scuto iridem *bacillus* incumbit, sed *quadris argenteis & cæruleis distinctus*. Wilhelmus *Fitz-Williams* Comes Southantoniæ *rhombis* usus est *minio & argento* alternatim tinctis. *Wriothesleji* in clypeo *cæruleo crucem* gesserunt *auream*, inter *quatuor falcones argenteos* expansam.

(a) *Pres. State of England Part. II.* (b) *Annal. Elisab. p. 367.* (c) *Ib. p. 515. 516.* (d) *Rer. Brit. Lib. XXI.*

CAPUT XIII.

DE COMITIBUS ET DUCIBUS ORMONDIÆ ET FAMILIIS BULLENIA ET BUTLERIA.



Rastonæ Ducem excipit JACOBUS BUTLER DUX ORMONDIÆ. Hic titulus origine Hibernicus est, Butlerorum genti inde à seculis benè multis proprius; semel tantum seculo superiore ex alia familia nato collatus fuisse reperitur, nempè *Thomæ Bulleno*, qui tamen à Butleris maternum ducebat sanguinem. Genus Bullenorum in *Godofredo Bulleno*, Thomæ avo, nobilitatum fuit: is dives ex mercatura factus, & illustri matrimonio auctus, equestrem honorem Præturamque Londinensem extremis Henrici VI. annis consecutus est. *Wilhelmus Bullen*, ejus filius, arma pro Rege Henrico VII. tulisse memoratur, nepos etiam, *Thomas*, cum illi Regi tum Henrico VIII. fidelem & strenuam pace belloque navavit operam, atque hujus nomine legationes in Germania & Hispania obiit. Cum deinde contigisset, ut Rex *Annæ Bullenæ*, quæ gnata illius erat, amore captus esset, ad ampliores pervenit honores, atque anno 1525. *Vicecomes Rochfort*, & elapso quadriennio *Eques aureæ Periscelidis* nec non *Comes Wiltoniæ & Ormondiæ* creatus, prætereaque dignitate *Custodis Privati Sigilli* cumulatus est, quo temporis tractu filio quoque ejus *Georgio* titulus *Vicecomitis Rochford*, & officia Comestabilis Doverensis Custodisque quinque portuum collata sunt. Conversis autem rebus & animo Regis ab *Anna Bullena*, quam connubio sibi junxerat, alienato, miseros vicissim natæ filiique casus, & cruenta funera vidit, iisque biennii spatio utcunque supervixit. Sed de illis quoniam superius actum est multa hoc loco commemorare supersedemus, mores tantum *Annæ Bullenæ* & crimina, quorum rea fuit acta, referre è *Burneto* (a) lubet: *Anna Bullena*, inquit ille, ingenio adeò festivo ac hilari fuit, ut sæpè modum & decorum excederet; ministros mariti per jocum immodicè deridere consueverat. *Vicecomitis Rochfortii* fratris ejus studium erga ipsam ingens erat, habebat autem ille uxorem zelotypia vehementer laborantem, virtute tamen haud ita præditam, quod postea apparuit, cum à Parlamento capitis damnata esset, eò quod libidinum Catharinæ Hovvardæ, quæ quarta Henrici VIII. uxor erat, conscia & consors fuisset. Illa itaque omnem movit lapidem, ut persuaderet hominibus, Reginam inter & Rochfordium turpiorem, quàm par est, intercedere familiaritatem, fabulasque eadere tum Regi ipsi tum aliis, qui convenire ipsam solebant, narrare instituit. Omnis autem probatio seu potius suspicio de commercio illo habita hæc erat, quod Rochfordius visus aliquando fuerit reclinis super lectum Reginæ. Alio & loco observatum est, quod *Henricus Norris* Cubicularius Regius, *Westonus* & *Breretonus*, qui itidem è ministris Regis erant, nec non Musicus quidam, cui nomen erat *Smetono*, in magna & singulari apud illam essent gratia; studium, quo ei serviebant, ardentius esse videbatur, quàm ut extraordinaria non subesset causa. Rebus ita comparatis, deferebantur ad Regem circumstantiæ, quæ ab illo jam uxoris saturo, & novo amore incenso, pronis auribus acceptæ facilè perfecerunt, ut sontem esse reginam censeret. Perniciem vero Annæ res aliqua maturavit, quam in hastiludio, Grenwici d. 1. Maji anno 1536. habito Rex ipse vel observavit, vel se observasse putavit. Nimirum ajunt visam illi esse Reginam cuidam ex ipsius amatoribus, qui cursu incaluerat, strophiolum projicientem. An vera sit hæc historia ignoro, id autem scio, in literis, quibus Reginæ calamitas refertur, ne verbulo illam tangi, prætereaque examinandum foret, utrum illa projecerit strophiolum data opera, an imprudenti exciderit. Quidquid autem fit, sive oculatus hujus rei testis sive auritu Rex fuerit, è spectaculo illo subitò discessit & Whitehallam rediit. Regina confestim cubiculo suo adhibitis custodibus inclusa, & quinque ex illis, qui nimii cum ea commercii suspecti erant, comprehensi & quæstioni subjecti sunt. Ex istis omnibus solus *Smetonus* confessus est, quod rem cum illa habuerit, *Norrisius* autem *Westonus* & *Breretonus* de innocentia sua protestati, sed nihilominus æque ac ille ad mortem damnati & supplicio affecti sunt, quod paucos post dies Regina etiam & frater ejus Vicecomes *Rochford* à Paribus regni criminis læsæ Majestatis ac incestus condemnati, nec tamen convicti, subierunt, Archiepiscopo Cantuariensi Thoma Cranmero literis multa prudentia & charitate refertis Regem mollire, Reginamque ei purgare incassum conato.

(a) *Hist. Reform. Angl. Lib. III.*

Butle-

SCHEMA FAMILIÆ BULLENICÆ.

GODOFREDUS BULLEN, Eques & Prætor (Lord Major) Londinensis a. 1458. *Anna, Thomæ Bar. Hoo & Hastings fil. & cohæres.*

Wilhelmus Bullen de Blikling, Eques. *Margarita Butlera, Thomæ Com. Ormond. fil.*

Thomas Bullen, Vicecomes Rochfort, COMES DE WILTSHIRE ET ORMOND, *Eques Perisceel.* † 1538. *Elisabetha Hovvard Thomæ D. Norfol. f.*	Margarita nupta *Johan. Sakvile Equiti.*

Georgius Bullen Vicec. Rochfort *decoll.* 19. Maji 1536. *ux. Johanna, Henrici Parker Bar. Morley fil. decoll. 12. Febr. 1542.*	Anna Bullen cr. Marchionissa de Pembrok 1. Sept. 1532. ducta in uxorem à *R. Henrico VIII.* 25. Jan. 1533. *decoll.* 19. Maji 1536.	Maria nupta *Wilhelmo Carey, Armigero.*

FAMILIÆ BUTLERIÆ SCHEMA I.

ROBERTUS, Richardi Comitis de Clare (de quo vid. Tab. XXV.) filius natu minor, Baro de Baynards-Castle, Pincerna R. Wilh. I. & II. & Henr. I.
Mathildis de S. Liz, Simonis C. Huntingdon. f.

Walterus, cogn. Butiller, Pincerna R. Henr. II. & Rich. I. Ux. 1. *Avicia.* 2. *Margarita.* 3. *Mathildis.*	Radulphus Sator Butlerorum de Woodhall in Hantonia.	Robertus, stirps Butlerorum in Hantonia.

1. Herveus Walter, cogn. Butiller † ante patrem. *Mathildis de Valoines sive Walines, Theobaldi f.*	3. Robertus Fitz - Walter sator Baronum hujus nominis & de Baynards-Castle, quos vide sis Tab. XXV.

Theobaldus Walter, cogn. Butiller, Lord Butler of Ireland. *Mathilda de Vavasour.*	Hubertus, *Archiepiscop.* Cantuar.	Walterus Butiller.	Rogerus Butiller.	Hamon Butiller.

Theobaldus Walter, aliàs Butiller, Dominus Pincerna Hiberniæ II.

Theobaldus Walter, aliàs Butiller, Dominus Pincerna Hiberniæ III.
Vid. Tab. seq.

FAMILIÆ BUTLERIÆ SCHEMA II.

COMITUM CARRIGIÆ ET ORMONDIÆ, BARONUM DONBOINÆ.

THEOBALDUS WALTER, aliàs BUTILLER, Dominus Pincerna Hiberniæ III.

Theobaldus Walter al. Butler Dn. Pincerna Hib. IV. | Edmundus Butlerus COMES CARRIGIÆ Prorex & Pincerna Hiberniæ † 1321. | Thomas Butlerus, Eques auratus.

Jacobus Butlerus Com. Carrig. & ORMONDIÆ † 6. Jan. 1334. *Elisabetha Bohun, Humphredi C. Hereford, & Essex. fil.* 1328. | Henricus Butlerus Baro Trahatn. | Petrus Butlerus cogn. cum parvo pileo, Dn. Donboinæ.

Jacobus Butlerus II. C. Carrig. & Ormond. Prorex Hib. 1358. | Petronilla ux. *Gilberti Talbot.* | Wilhelmus Butlerus Dn. Donboinæ.

Jacobus Butlerus III. C. Carrig. & Ormond Prorex Hib. † 1405. | Jacobus Butlerus Dn. Donboinæ *Marina O-Brin.*

Jacobus Butlerus IV. C. Carrig. & Ormond Prorex Hib. 1407. *Johanna Beauchamp Wilh. Bar. Bergavenny f.* | Richardus Butler. *Vid. Tab. seq.* | Edmundus Butlerus Lib. Baro Donboinæ. *Catharina, Richardi Butler de Boelig f.*

Jacobus Butler V. Comes Carrig. & Ormond.

Jacobus Butlerus VI. C. WILTONIÆ, Ormond. & Carrig Prorex Hib. *Eq. Per.* n. 1420. *decoll.* 1. Maji 1461. s. l. 1. *Avisia Fitz-Alan, Johannis C. Arundel f.* 2. *Alienora Beaufort, Edmundi D. Somerset. f.* | Johannes Butlerus † in Palæstina. | Thomas Butlerus C. Orm. & Car. † 1509 s. 1515. * | Elisabetha ux. 2da Johannis Talbot II. C. Salop. † 1473. | N. Butlerus Liber Baro Donboinæ. *Eleonora, Machartii filia.*

Jacobus, nothus occ. à Petro Butlero 16. Aug 1497. | Jacobus Butlerus L. B. Donboinæ, *Johanna Butlera, Petri C. Ormond. f.*

*

Anna nup. *Jacobo de S. Loedegano s. Sallenger.* | Margarita uxor *Wilhelmi Bulleni C. Ormond. & Wiltoniæ.* | Edmundus Butlerus L. B. Donboinæ. *Cæcilia, Musgoriæ Domini f.*

Jacobus Butlerus L. B. Donboinæ † 1625. 1. *Margarita Barnabæ Patricii Lib. Baronis in sup. Offoria f.* 2. *Margarita Obrien Comitis Thomondiæ f.* † 1638. | Eleonora nup. 1. *Giraldo C. Desmoniæ*, 2. O-*Cnochuit Sligonensi Dynastæ* † 1637.

1. Johannes Butlerus occisus vivo patre *Johanna, Florentii Fitz-Patrick L. B. f.* | 2. Jacobus Butlerus D. Grelachensis submersus in mari Hibernico 1622

Edmundus Butlerus, L. B. Donboinæ † 1640. *Margarita, Thomæ L. B. de Cahir f.*

Jacobus Butlerus L. B. Donboinæ. *Helena, Petri Butleri Vicecom. Icherinæ f.*

Peircius Butlerus L. B. Donboinæ hodiernus.

FAMILIÆ BUTLERIÆ SCHEMA III.

DUCUM AC COMITUM D' ORMOND ET D' OSSERY.

RICHARDUS BUTLER, Jacobi III. Com. Carrig. & Ormond. filius natu minor.

Edmundus Butler.

Jacobus Butler.

Petrus Butler, COMES D' OSSORY & D' ORMOND, Prorex Hiberniæ. Ux. N. *Giraldi C. Kildariæ fil.*

Jacobus Butlerus VII. C. Ossor. & Ormond. *Johanna, Jacobi Giraldini C. Desmoniæ f.*

Johanna nup. *Jacobo Butlero L. B. Dunboinæ.*

Thomas Butler. VII. cogn. Niger C. Ormond. & Ossor. Prorex Hib. *Eq. Per.* † 22. Nov. 1613. 1. *Elisabetha, Thomæ VI. B. Berkley f.* 2. *Elisabetha, Joh. B. Sheffeild f.* 3. *Eleonora Barry, Davidis Vicec. Boutevan f.*

Edmundus Butlerus.

Johan. Butlerus, occisus an. 1601.

Walterus Butlerus.

Petrus Butlerus.

Eduardus Butlerus

Jacobus Butlerus.

1. Elisabetha nup. 1. *Theobaldo Butlero, Vicec. Tulli* patrueli, qui † a. 1610. 2. *Richardo Preston, B. Dingwell, C. Desmon.*

Elisabetha notha, uxor N. *Butleri Vicecom. Ikerine* † 1638.

2. Johannes Butler, Vicec. Thurles † inf.

Walterus Butlerus, C. Ormond. & Ossor. † 1634. *Helena Butlera, Vicecom. Mountgaret f.* † 1632.

Thomas Butlerus, Vicecom. Tutlensis submersus in mari Hibernico 1619. Ux. N. *Poynz.*

Jacobus Butlerus VIII. DUX, MARCHIO, & Comes d'Ormond. C. d'Ossory & BRECKNOCK, Vicec. Thurles. B. de Arclo & Lanthony, Com. Palat. Tiperarii, Archipincerna, & Prorex Hiberniæ *Eq. Periscel.* n. 19. Oct. 1610. † $\frac{21}{11}$ Jul. 1688. *Elisabetha Preston. Richardi B. Dingwell, C. Desmon. & Elisabethæ Butleriæ f.* 1628. † 4. Febr. 1686.

Johan. Butlerus Dn. Kilkassiæ & Dunasheæ † Neapoli 1635.

Richard. Butler *Francisca Mervini Touchet B. Audley C. de Castlehaven f.*

Thomas Butlerus C. d'Ossory B. de Moore-Parke, *Eq. Perisc.* n. 1634. † 10. Aug. 1680. *Amalia de Nassau Ludovici Dn. de Bevervwaert fil.*

Elisabetha nup. *Philippo Stanhope C. de Chesterfield.*

Richardus Butlerus C. Arraniæ, B. de Weston † 4. Febr. 1686. 1. *Maria Stuart, Jacobi D. Richm. f.* 2. *Dorothea Joh. Ferrers de Tamworth-Castle f.*

Maria ux. *Wilhelmi Cavendish IV. Com. Devon.*

Johannes Butlerus † improl. *Anna Chichester, Arturi C. de Donegall in Hib. fil.*

Jacobus Butlerus IX. Dux Ormond. C. Ossor. *Eq. Per.* cr. 1688. 1. . . . . . *Hyde, Laurentii C. de Rochester f.* 1683. 2. *Maria Somerset, Henrici D. de Beaufort, M. de Worchester fil.* m. Aug. 1685.

Carolus Butlerus.

Elisabetha nup. *Wilhelmo Stanley C. de Derby.*

Amalia.

Henrica.

Catharina.

Maria † inf.

Henrica † inf.

2. Carlotta.

2. Thomas Butler C. Ossor. n. 1688.

Butlerorum familia, quæ Ormondiæ Comites XII. Duces duos hactenus dedit, nulli Britannicarum stirpium vetusto splendore, nobilitate & fœcunditate concedit, plerisque palmam præripit. Equidem *Thomas Carveus*, qui res Hibernicas Latino sermone in Annales contulit, originem ejus ultra ætatem R. Henrici II. seculumque XII. quærere supersedit, eamque à *Thoma Fitz-Theobald* sive *Theobaldide de Heli* cognominato, derivasse satis habuit. Conjugem illi tribuit, *Mathilden Bekettam*, filiam *Gilberti Bekettii* ex origine Normannica de ordine Equestri, & Præfecti urbis Londini, sororem *Thomæ* Archiepiscopi Cantuariensis, qui anno 1172. d. 13. Dec. in æde sacra trucidatus, posteaque in censum Sanctorum relatus est. Ex eo conjugio prodiisse tradit *Walterum*, Baronem Ardoæ in Lagenia creatum, patremque *Theobaldi* & *Huberti*, quorum posterior Archiepiscopus Cantuariæ & Cancellarius Angliæ fuerit, prior sedem ac domicilium in Hiberniam transtulerit, cujus rei vetus documentum, Baronibus de Bekett olim exhibitum, atque à Wilhelmo Camdeno, Clarenceo Rege armorum, erutum produxit. Dantur tamen qui contendunt migrationem gentis hujus in Hiberniam citius esse factam, nempè regnante Henrico II. quem avo Theobaldi latifundia in insula illa donasse perhibent, quod putaret fore, ut reatu cædis S. Thomæ exsolveretur, si cognatos ejus bonis & possessionibus locupletaret. *Theobaldus* in allegato documento pa erdicitur *Eduardi*, qui Pincerna Hiberniæ Hæreditarius creatus Botelerium, sive, ut nuoc efferri solet, *Butlerium* cognomen in familiam intulisse, & genitor fuisse fertur EDMUNDI & THOMÆ, à quibus *Comites Ormondiæ* nec non *Barones Donboinæ*, regulorum Hiberniæ primores, *Caruem* deduxit.

Verùm enim verò longè antiquiorem & splendidiorem familiæ Butleriæ originem esse cognovimus è chartis, quas Eques Nobilissimus & Legationibus in Germania illustratus Dn. *Robertus Southvvell*, qui vitam & res gestas Ducis Ormondiæ pronuper defuncti stylo suo immortalitati tradere meditatur, parario Viro eruditissimo & Societatis Regiæ membro insigni *San-Georgio Ashio*, communicavit benignè ac libenter: in illis *tria eximia decora*, quibus gaudeat Butlerorum familia, enumerantur atque extolluntur: *primum*, quod à Ducibus ac Comitibus, qui Wilhelmi Conquestoris ætatem antecesserunt, imò in numero majorum ipsius fuerunt, orta sit, quodque inde ab illo ævo ad hoc præsens usque titulis Baronum, Comitum, Marchionum ac Ducum continua enituerit serie; *secundum*, quod ejus primogeniti nunquam non in obsequio & fide Regum permanserint nullo unquam dedecore maculati; *tertium* quod omnium familiarum, quotquot unius ejusdemque nominis in tribus reperiantur regnis, sit maximè numerosa, cum *viginti millia* excedant, qui Butlerium nomen gerunt, atque eodem stipite sati esse probabiliter videntur.

Enim verò originem gentis quod attinet, manavit illa è laudati *Southvvelli* sententia à priscis *Brionæ Comitibus*, qui à filio notho Richardi I. Ducis Normanniæ (is Wilhelmi Conquestoris proavus fuit) derivari solent, quemadmodum Parte priori Tab. II. notavimus. *Gilberto Comite de Brienne* filios duos eodem loco dedimus, nempè *Richardum* & *Balduinum*, satores Comitum *de Clare* & *de Rivers*. Prior multorum pater fuit filiorum, quos inter ROBERTUM, conditorem Baronum *Fitz-VValter* Tab. XXV. numeravimus: hunc ipsum schema Southwellianum, è quo nostra concinnata atque ex Annalibus Carvei hinc inde aucta sunt, Baronem *de Baynards-Castle* appellat, & Pocillatorem Regum Wilhelmorum I. & II. nec non Henrici I. fuisse tradit, trium cæterà filiorum patrem, WALTERI, RADULPHI & ROBERTI, quibus singulis *Butilleriorum*, quo vocabulo Pincernam sive Pocillatorem vulgò indigitant, cognomen tribuitur. A posterioribus longa Butlerorum in Hantonia series defluxit; Waltero autem nati sunt HERVEUS & ROBERTUS, quorum hic sator stirpis *Fitz-Walterorum Baronum de Baynards-castle*, superius exhibitæ, constituitur, ille sedem in Norfolcia fixisse, & *Magni Baronis* titulo honestatus fuisse dicitur. Uxorem idem habuit *Mathildam* Theobaldi *de Valoines* sive *VVallines* gnatam, cujus soror unica *Berta*, Ranulpho *de Glanvil* nupta erat. Is munus *Summi Angliæ Justitiarii* (quem vernaculo nomine *Chief-Justice* vocant) conjunctim cum *Herveo Butillero*, affine suo, obiisse, eoque respectu utterque in *insignibus*, quæ quidem *Herveus*, tanquam honoratior, *aurea*, Ranulphus argentea gessit, *caput scutarium cæruleum dentibus asperatum* adscivisse memoratur. *Herveus* quatuor genuit filios, inter quos secundus, HUBERTUS dictus, *Archiepiscopus Cantuariensis*, idemque haud dubiè fuit, de quo ex Annalibus Carvei jam mentionem fecimus. Maximus natu THEOBALDUS amplas in Lancastria possessiones beneficio R. Richardi nactus, officioque *Pincernæ Hiberniæ hæreditarii* ornatus, filium post se reliquit cognominem, qui à modo dicto munere perpetuum florentissimæ

ſimæ propagini ſuæ cognomentum indidit, quemadmodum *Dugdalius* quoque in Baronagio (*a*) notavit. Idem pater fuit THEOBALDI III. Magni Hiberniæ Pincernæ, quo nati ſunt THEOBALDUS IV. EDMUNDUS & THOMAS. Hic *Baronum Donboinæ* ramum proſevit; iſte fratri primogenito, ſine prole mortuo, in munus hæreditarium ſucceſſit, atque à R. Eduardo I. prædio Roſcrehenſi locupletatus, ab Eduardo II. autem ad gradum *Comitis Carrigienſis* provectus fuit. Sita eſt *Carrigia*, quam etiam *Carrietam* vocant, in Comitatu Tripararienſi ad oſtium *Suyrii* amnis, viſiturque in ea Curia Butleriana. Ornavit quoque *Edmundus* ſpartam Pro-Regis & Juſtitiarii Hiberniæ, a. 1314. ſibi collatam, & *Viri magni nominis* (*b*) *in omnibus laudatiſſimi ac dexterrimi* elogium ſibi peperit, illoque munere perfunctus Londini deceſſit, cujus cadaver mox in Hiberniam, ubi olim, *Carvei* (*c*) verba refero, *præclara facinora omni laude & gloria celebriora exantlarat*, translatum, ac in oppido Gonrano Comitatus Kilkennienſis, *non ſine communi gemitu, ac dolore incolarum, ſumptuoſa magnificaque pompa exequiarum* reconditum fuit. JACOBO ejus filio *ſplendidiſſimo Comiti* ob egregias qualitates ab incolis communiter vocato, (*d*) Eduardus III. amitinam ſuam *Eliſabetham Bohuniam* nuptui locavit, & ad paternum titulum axioma *Comitis Ormondiæ*, quæ Hibernis *Vrrocon* audit, a. 1328. addidit, *ſuperrogatis inſuper*, iterum cum autore modo (*e*) dicto loquor, *liberaliſſime magnis munificentiis, gratiis & privilegiis, unde ſucceſſores, magno Angliæ Regum favore, Comitatu Palatino Tripararienſi donati, ac inſigniti fuerunt, indeque Comites Palatini nuncupati.* Poſteri ac ſucceſſores Jacobi I. iique cognomines ſinguli Hiberniam vicaria poteſtate diverſis vicibus rexiſſe leguntur, quorum poſtremus, nempe JACOBUS VI. Ormondiæ & Carrigiæ Comes ſuis de R. Henrico VI. meritis, & fideli opera ipſi adverſus Eboracenſes navata, locum inter Pares Angliæ, honoremque & titulum *Comitis Wiltoniæ* per diploma d. 8. Jul. a. 1450. datum, pro ſe & ſuis hæredibus maſculis obtinuit. Verum quæ ipſi fidelitas apud dictum Regem incremento fuit, ea apud Eduardum IV. exitium attulit: cum enim poſt ultimam Lancaſtrenſium prope *Thouton* cladem in Eboracenſium poteſtatem delapſus eſſet, confeſtim Novocaſtri ſecuri ſubjectus fuit; fratribus quoque ejus JOHANNE & THOMA perduellionis damnatis, ita ut occultare ſe neceſſe haberent; eorum prior ad bellum ſacrum in Palæſtinam profectus fatis illic conceſſit, *Thomas* verò R. Henrici VII. beneficio natalibus & avitis dignitatibus in Parlamento a. 1485. Weſtmonaſterii coacto, reſtitutus fuit. Erat, *Carvei* (*f*) encomio, *vir magnæ prudentiæ ac eloquentiæ, nec minore animi robore, ac rei militaris præſtantia*, qui legationem apud Regem Galliæ Carolum VIII. cum is Annam Britannam nuptiis ſibi, dimiſſa Margarita Auſtriaca, jungere conſtituiſſet, obiit, vitamque maſcula prole orbus anno 1509. vel 1515. (non enim hic ſibi conſtat *Carveus*) finivit.

Extincto cum Thoma ramo primogenito ſtirpis Comitum Ormondiæ PETRUS BUTLERUS Eques auratus, cui illius proavus Jacobus III. Comes Ormondiæ abavus fuit, à R. Henrico VIII. *in Oſſoriæ Comitem*, adjuncto Ormondiæ titulo provectus eſt. Hunc *Carveus* (*g*) virum *ſumma potentiæ ac prudentiæ* vocat, deque eo refert, (*h*) quod *Jacobum* Ormondium, *Johannis*, qui *Jacobi & Thomæ Butlerorum* Comitum Ormondiæ frater fuit, filium *nothum* inter Kilkenniam & Dunmoram a. 1497. vita privaverit. A. 1525. Pro-Rex Hiberniæ in locum Thomæ Hovvardi conſtitutus eſt, vitaque defunctus gnatum JACOBUM hujus nominis *ſeptimum* ſucceſſorem habuit. Huic filii ſeptem fuere, quorum natu maximum THOMAM *Nigrum* cognominatum bella cum Giraldo Deſmoniæ Comite fortiter geſta, & egregiæ, quibus enituit, virtutes illuſtrarunt; operæ pretium arbitror *Carvei* (*i*) de ipſo elogium interſerere: *Erat*, inquit, *vir animo prorſus divino, dextra bellicoſus, leva liberalis, ſed quid manum diſtinguo, utraque utramque virtutem exprimebat, & ſuam largitatem non minus ubique oſtentabat; quam fortitudinem: in hoc forſan parum culpandus, quod verborum ſuavitate, animi hilaritate, ac innata blanditie mulieres in amorem trahebat. Cæterum erat vir omnis prudentiæ, maturi judicii, incredibilis in rebus gerendis & aggrediendis dexteritatis, multæ autoritatis in gubernanda Republica, modeſtæ indolis, candidi pectoris, manſueti animi, qui quamdiu ſpiravit, pietatem, pacem, religionem & charitatem adamavit: continuis publicisque exemplis Hibernos edocuit, quid Deo, Regi, patriæque Rectoribus præſtare deberent. Tandem in choro Baſilicæ Kilkennienſis monumentum marmoreum miri operis & magnitudinis ſplendidiſſime elaboratum & deauratum paulò ante obitum extrui juſſit, in quo cum ornatiſſima pompa ſepultus fuit.* De eodem priſcæ ſeveritatis & fidei in Regem exemplum idem autor alibi narrat, (*k*) nempe quod ſurrogatus anno 1586. Henrico Sidneo à rebellibus Hibernis occiſo, in munere Proregis, Regias partes tanto propugnaverit ardore, ut magiſtratum civitatis Yochellenſis, eo quod erga quosdam

(*a*) *I. 634.* (*b*) *Carveus Annal. Hib. p. 195. & 198.* (*c*) *Ib. p. 206.* (*d*) *Carv. Anaceph. p. 52.* (*e*) *Ib. p. 51.* (*f*) *Anaceph. p. 52.* (*g*) *Ibid. p. 53.* (*h*) *Annal. Hib. p. 315.* (*i*) *Ib. p. 415.* (*k*) *Anaceph. p. 123. & 124.*

elles se nimis inertem ad repugnandum præbuisset, in porta ejusdem civitatis suspendi jusserit, prætereaque nepotem suum EDMUNDI fratris filium, dum imprudenter cum hoste communicasset, recognita, appensum strangulari, ac in quatuor partes, aliorum exemplo dissecari præciperet. Cæterum cum hærede masculo careret, ELISABETHAM unicam filiam nepoti suo THEOBALDO, quem ex dicto fratre ipsius *Edmundo* natum fuisse suspicor, in matrimonium dedit, à R. Jacobo in *Vice-Comitem Tullensem* provecto: decessit autem & iste sine prole; unde ad tantorum bonorum hæreditatem ac dominium WALTERUS Butlerus vocatus est; habuit hic patrem JOHANNEM, Thomæ Com. Ormondiæ proximum ab Edmundo fratrem, quem Richardus Graceus prope Balivortelam nefariè trucidavit, à PETRO *Butlero*, JohannisGermano, vicissim interemptus. *(a)*

Pessimè verò illa WALTERO vertit successio, & oneri miseriæque magis, quam fructui ac voluptati fuit: cum enim ELISABETHAM *Butleram*, *Theobaldi* modo dicti viduam, forma & ætate integram, prætereaque magnis opibus, quas ex hæreditate parentum acceperat, instructam, Scotus quidam, cui nomen erat *Richardo Preston*, procari cœpisset, atque adjutus commendatione ac autoritate R. Jacobi I. cujus gratia florebat, uxorem obtinuisset, *Baro Dingwvall* in Scotia, & *Comes Desmoniæ* in Hibernia eodem temporis tractu creatus, mox universas à socero relictas possessiones appetere, atque adeò illas etiam, quæ ex pacto & providentia majorum ad *Walterum Butlerum* delapsæ erant, ad se trahere instituit; hic autem cum ius suum opponeret, & cupiditati illius omni conatu resisteret, acerrima orta est contentio, cujus cognitionem & diiudicationem suscepit equidem R. Jacobus, sed animum partibus infectum afferens ita versavit, ut maluerit *Walterus* instar condemnati in carcerem compingi, quam sententiæ à Rege latæ se submittere. In eo totos octo annos jacuit, omnibus ditionibus exutus, quæ partim confiscatæ, partim ad dissolvendum æs alienum divenditæ fuerunt; Comitatui Palatino Tipparariensi, qui ultra CCCC. annos in Butlerorum peculio fuerat, Rex ipse manum injecit, adeò ut ille ad summam & pudendam redigeretur egestatem; Buckingamio etiam, Regis gratioso, partes suas hoc in negotio strenuè agente. Tandem verò Rex cum sese omnium sermonibus sentiret vapulare, mitior ac placidior factus est.

Has inter turbas contigit, ut THOMAS *Butlerus Vicecomes Thurles*, filius *Walteri*, in Angliam ad prosequendam litem a. 1618. trajiciens fractâ navi unà cum *Jacobo Butlero*, Baronis Danboinæ gnato, periret, qua propter uxor ejus filium, quem ex illo susceperat, JACOBUM dictum, in Angliam ex Hibernia, quò tres annos natus abductus fuerat, reduxit, eumque ludimagistro cuidam, Romanæ religioni addicto, educandum tradidit; Rex autem, postquam id rescivit, puerum ab illo repeti, & Episcopi Cantuariensis *Georgii Abbot* curæ ac disciplinæ committi jussit. Hujus in domo ille sex annorum spatio altus, institutus atque educatus ingenuè fuit, cum tamen nec pensionem ab aula acciperet nec auxilium aut subsidium domo expectare posset, omni ejus patrimonio in fiscum redacto & distracto: ab illo etiam dogmata Ecclesiæ Anglicanæ hausit & imbibit, quæ ad mortem usque constanter coluit.

Anno 1628. Portsmuthii agebat, militiæ tyrocinium facturus in expeditione, quæ ad liberandam Rupellam parabatur, cùm verò subita & inopinata Ducis Buckinghamiæ mors intervenisset, ad alia deflexit consilia: haud enim multò post uxorem duxit *Elisabetham Prestonam*, hisque nuptiis, diuturnæ liti & molestiæ, cum qua ipse pariter ac avus tunc superstes conflictati fuerunt, lætum imposuit colophonem. Erat quippe illa *filia unica Richardi Prestoni C. Desmoniæ ex Elisabetha Butlera* genita, utroque jam parente orbata, mater enim morbo in Anglia oppressa vivis excesserat, pater verò ex Hibernia navigans marinis vorticibus & procellis obrutus interierat: destinata autem illa erat alicui è nepotibus Ducis Buckinghamiæ, indeque factum est, quod is partes Prestonianas adversus Butleros susceperit. Tutelam virginis R. Carolus I. Comiti Hollandiæ, Supremo suo Cubiculario, commisit, *Jacobo Butlero* autem speciatim prohibuit, ne ad eam adspiraret, licet illa neminem in aulà viderit, qui vel pulchritudine vel quibuscunque dotibus, cognatum suum antecelleret. Utraque denique parte conciliata, coactus est *Butlerus* XV. millia librarum dicto Comiti pro tutela Elisabethæ solvere, nihilque deinde cunctatus Actonum prope Bristolium cum illa se contulit, ibidemque anni spatio cum avunculo suo *Roberto Poynz* substitit, exeunte verò anno 1630. in Hiberniam trajecit, nec multo post ex

(a) *Cart. Annal. Hib. p. 311.*

morte

more tunc recepto, turmam equitum in exercitu, qui tunc exstabat, sibi acquisivit.

Cum anno 1633. Thomas B. Wentworth, Comes Straffordiæ deinde creatus, Proregis sive Domini Deputati *(Lord Deputy)* titulo in Hiberniam venisset, moxque comitia in Dublinensi castro habenda instituisset atque edixisset, ne quis, sive è numero Parium sive Communium esset, gladio cinctus senaculum ingrederetur, cunctis morem edicto huic gerentibus, solus *Comes Ormondiæ* licet juvenis parere abnuit, & ianitori (ob virgam nigram, qua armatus esse solet, *Blakk Rodd* nominato) dixit, se gladium suum non daturum, nisi velit accipere in viscera immissum. Ita solus existens ex omni Parium numero qui in contemtum edicti eo die adsidebat, vehementer incensus est Prorex, non assuetus, ut obsequium sibi detrectaretur. Venire itaque ad se sub vesperam jussit Ormondium, & facti rationem reddere; ille confestim literas exhibuit regias, quibus ad Parlamentum *Cinctus cum gladio* vocatus erat; quod responsionis genus cum inexpectatum Proregi esset, isque animadvertisset cum homine feroculo rem sibi fore, consilium nocte illa cum biga intimorum suorum contulit, utrum prorsus pessundandus an devinciendus esset juvenis tam promtæ audaciæ, & qui jam plurimum apud populum valebat; altero autem Consiliariorum ad mitiorem inclinante partem, in gratiam amicitiamque receptus, blandis verbis delinitus & ad Secretius consilium adscitus est. Atque ab illo tempore nulla eum beneficiis obstringendi occasio neglecta fuit, ita ut anno 1639. à Prorege Equitatui, in exercitu recens conscripto, sed brevi iterum dimisso, *Legati Generalis* titulo præficeretur. Cum deinde illa ingruisset tempestas, quæ Comitem Straffordiæ mense Majo anno 1640. ad ferale pegma rapuit, atque ad aures ejus pervenisset, quantum Ormondii esset studium in diluendis & reprimendis accusationibus, quæ à Parlamento Hibernico adversus se afferebantur, inter postremas preces, quibus Regem interpellavit, id etiam petiit, ut auream periscelidem suam Comiti Ormondiæ tradere vellet, quam etiam petitionem ratam Rex habuit, deque benigna voluntate sua Ormondium mense Junio sequenti certiorem reddidit.

Postquam gliscens in Hibernia rebellio d. 23. Oct. anno 1641. erupisset, ejusque nuncius ad Regem in Scotia tunc agentem perlatus esset, dedit is literas ad Ormondiæ Comitem Edinburgi d. 31. dicti mensis scriptas, quibus deplorata calamitate cupidè petiit atque instituit, ut vicariam exercitus præfecturam susciperet, quod equidem ille coactus rerum necessitudine jam fecerat; mense autem Majo anno 1642. simile mandatum à Comite Leicestriæ, tanquam supremo Præfecto & Prorege Hiberniæ constituto, etsi nunquam in Hiberniam delato, accepit. Proximo Augusto cum Rex Nottinghamiæ esset, nobiles & vasallos sub signa sua colligendi ergò, diploma ad Ormondium misit, quo *Marchionis* titulum ei contulit, & Septembri sequente aliud subjunxit majore Sigillo signatum, quo ex consilio & consensu Justitiariorum suorum potestatem illi fecit memoratam vicariam exercitus præfecturam titulo Legati Generalis tanquam à se ipso immediatè acceptam, obeundi. Atque his ex accidentibus factum esse refertur in chartis, quas supra allegavimus, ut Ormondius, ad genus vitæ pertractus sit, in quo planè hospes erat. Medis peregrinandi caruerat, neque unquam bellum nec domi nec foris viderat. Dux supremus militiæ constituebatur antequam fuisset tyro & ipsum primum experimentum edendum ei erat adversus cruentam rebellionem recens exortam. Quantopere autem par fuerit tanto oneri sustinendo, pollens vigore animi præsentiaque, & prædictus vivido pectore atque inviolabili erga Coronam fide, & quibus rationibus omnes illas vicissitudines exaltationis, exilii, abundantiæ, egestatis, dignitatis, & depressionis (quæ per annos circiter L. quam sæpissime ipsi obvenerunt) sibi pepererit, non est hic narrandi locus.

Quantacunque cæterum ejus de sæpè laudato Rege Carolo I. fuerint merita, non fuisse tamen leviora prædicantur officia, quæ Carolo II. in utraque præstitit fortuna; Hiberniam difficillimis temporibus *Pro Rex* moderatus est, fide ac integritate tanta fuit, ut mallet amplissimarum facultatum jacturam facere, solumque vertere, quam Regem suum deserere, aut saltem in neutram partem moveri; nec vero dignis virtute sua præmiis frustratus, sed à Carolo II. in regnum restaurato, ad supremos honores evectus est; nimirum auctus jam tum, ceu diximus, à R. Carolo I. axiomate *Marchionis*, illius beneficio *Dux Ormondiæ in Hibernia* creatus fuit, *in Anglia* vero Paribus regni d. 12. Jul. anno 1660. adscriptus titulos *Baronis de Lanthony* & *Comitis de Brecknock* accepit. Regii porro Palatii Senescallus

scallus, Universitatis Dublinensis Cancellarius, Comitatus Somersettensis præfectus, Regius Locumtenens Generalis constitutus, in sanctius consilium adscitus, & denique exeunte anno 1682. dignitate *Ducali in Anglia* sub veteri titulo cumulatus est. E filiis, quos genuit duos, natu majores, magna virtute ac gloria viros inter Pares in Parlamento sedum confidentes, vidit, sed turbato mortalitatis ordine ante se defunctos extulit. Prior eorum THOMAS, *Offoriæ* in Hibernia *Comes*; *Baro de Moore-Parke* à R. Carolo II. d. 18. Septemb. 1666. creatus, & ordine *Periscelidis* d. 17. Maji anno 1673. decoratus, in bello Batavis illato, pugnaque anno modo memorato commissa egregia fortitudinis documenta edidit, & post redditam pacem legionibus Anglicis, quæ Fœderatis Belgii Ordinibus stipendia faciunt, præfectus, atque inter intimiores Regis consiliarios cooptatus est: ista vero præfectura anno 1680. abdicata, cum ad conducendas Tangerium in Africa copias auxiliares destinatus & ad hoc iter accinctus esset, in febrim malignam incidit, & fato cessit, relictis aliquot utriusque sexus liberis, è quibus JACOBUS IX. tunc in titulos paternos, nunc vero in avitos etiam successit, ante biennium & quod excurrit, in munere Colonelli legionis prætorianæ Hiberniæ patruo RICHARDO surrogatus. Iste, *Comes Arraniæ* communiter appellatus, Hibernos rebelles felici apud *Carickfergum* pugna domuisse, atque in ultimo adversus Batavos prælio maritimo fortis viri officio functus esse celebratur, à R. Carolo II. ea propter honore Paris Angliæ: atque axiomate *Baronis de Waston* d. 27. August. anno 1673. affectus. (a)

Digma gentilicium *Butlerorum de Ormondia* scuto ceu jam, dictum fuit, constat *aureo*, cujus superior pars, *cephalum* feciales vocant, *cyaneo tincta dentes sen cuspides tres cum duabus dimidiis* promittit. *Telamonum* loca à dextro latere *aquila*; à lævo *leo* implent.

Postremo loco dissimulandum non est, latius patere stirpem Butlerjam, atque exhiberi potuit: ex eadem enim inter Proceres Hiberniæ præter enumeratos eminent *Richardus Butler Vicecomes Mountgarret*, *Jacobus Butler Vicecomes Ikerine*, *Petrus Butler Vicec. Galmoy*, nec non *Theobaldus Butler Baro de Cahire*. Diverso vero ab illo genere, eoque in Hertfordiensi Comitatu conspicuo editus fuit *Johannes Butler de Hadfeld Woodhall* à R. Carolo I. anno 1628. Baro Angliæ sub titulo *Lord Butler of Bramfeild* creatus, maritus *Elisabethæ Villeriæ*, quæ Georgii I. Ducis Bukingamiæ soror erat, atque ex ea multæ prolis parens, videlicet sex filiorum: *Johannis*, *Henrici*, *Philippi*, *Francisci*, *Johannis* II. & *Wilhelmi*, è quibus postremus tantum patri anno 1637. defuncto, superstes mansit, sed postea cælebs mortuus est; in sequiore sexu itidem sex fuere, nempe *Audria* nupta primo Francisco *Anderson* Equiti, postea *Francisco Leigh B. Dunsmore*, *C. de Chichester*; *Helena*, *Johannis Drake ab Ashe*, *Johanna*, Jacobi *Ley*, *C. de Marlborough*; *Oliva*, Endymionis *Porter*, *Maria*, Eduardi *B. Howard de Escrick* uxores, & denique *Anna*, quæ primis nuptiis Montjoio *Blount C. de Newport*, secundis Thomæ *Weston C. de Portland* in manum convenit. (b)

CAPUT XIV.

DE FAMILIA HAMILTONICA.



Libet jam extra lineas oleasque aliquantulum exspatiari, atque Hibernicæ familiæ *Scoticam*, Ducali axiomate domi ac foris nobilitatam subnectere, nempe *Hamiltonicam*, haud equidem imperfecte, sed quam optime è scriptoribus rerum Scoticarum excerpi digerique, ac è *Dugdalii Baronagio* suppleri potuit, exhibendam. De origine gentis hujus ita *Buchananus*: (c) *Homo nobilis in aula Anglica cum honorifice de fortuna & virtute Roberti Brussii* (tunc Scotorum Regis & recenti de R. Angliæ Eduardo II. victoria inclyti) *loqueretur*, *unus è Spenseris*, *minister cubicularius Regis*, *sive contumeliosum Anglis eum sermonem ratus*, *sive ut hoc facinore ampliorem locum gratiæ apud levissimum quemque è nobilitate quæreret*, *sica educta*, *in eum insiliens*, *levi vulnere corpus perstrinxit*. *Vir magni animi contumelia magis quam damno motus*, *cum intercursu multorum præsens ultio fuisset inhibita*, *postridie inimicum sibi opportunum in eodem loco nactus*, *eum confecit*: *ac statim & legum pœnas*, *& Spenserorum immodicam in aula potentiam formidans*, *in Scotiam ad Robertum Regem profugit*. *Ab eo* benigne

(a) Dugdal Baron. T. III. p. 478. (b) Ibid. p. 465. (c) Rer. Scot. Lib. 8.

SCHEMA FAMILIÆ HAMILTONICÆ,

DUCUM ET MARCHIONUM DE CHATELLERAUD ET DE HAMILTON COMITUM DE ARAN ET DE CAMBRIDGE.

JACOBUS HAMILTON COMES ARANIÆ cr. à R. Jacobo III.
Maria Stuarta, Jacobi II. R. Scot. fil. 1468.

Jacobus Hamilton II. C. Araniæ 1. N. *Humia*, 2. *Jenetta Betonia.*	Margarita nupta *Matthæo Stuarto C. Levinia.*	N. Hamilton. N. *Stuarta Joban. D. Albanf.*

2. Jacobus Hamilton III. C. Araniæ DUX de CHATELLERAUD, Prorex Scotiæ †1575. N. *Comitis Mortonii f.*	Johannes Hamilton *Archiepisc. Fani Andreæ, Abbas Paslet. susp.* 1572.	Patricius Hamilton exustus 1527.

Jacobus Hamilton IV. Com. Araniæ.	Johannes Hamilton C. Aran. MARCHIO HAMILTON II. cr. 1599.	Agnes nup. *Georgio Gordon C. de Huntley.*	Claudius Hamilton Baro de Pasley.	David Hamilton.	Barbara ux. *Jacobi Fleming.*

Jacobus Hamilton V. M. Hamilton. C. CANTABRIGIÆ & Araniæ, B. de Ennerdale, *Eq. Perisc.* † 2. Mart. 1624. *Anna Cunnigham, Jacobi C. de Glencarne fil.*	N. nupta N. *Baroni Maxvallo, decollato* a. 1613. *(a)*

Jacobus Hamilton VI. Dux & March. Hamiltonii C. Cantabr. & Aran. Eq. Perisc. *decoll.* 9. Mart. 1649. *Maria Fielding, Wilhelmi C. de Denbigh. f.*	Anna nup N. *Lindsey C. de Craford.*	Margarita.	Maria	Wilhelmus Hamilton Comes de Lanerick & de Cambridge occ. in pr. Vigorn. 3. Sept. 1651. *Elisabetha, Jacobi C. de Diritonf.*

Anna nup. *Wilhelmo Douglas C. de Selkirke, nunc* Duci de Hamilton.	Susanna uxor *Johannis Kenedie C. de Cassils*	Jacobus † juv.	Anna nup. *Roberto Carnegie C. de Southeske.*	Elisabetha ux. *Jacobi Cunningham B. Kilmores filii C. Glencarnia.*	Maria nup. *Jacobo B. Almont C. de Clarendar.*	Diana † in juv.	Margarita ux. *Johannis B. de Blair.*

Jacobus Douglas C. Araniæ. *Anna Spenser, Roberti C. Sunderland. f.* 20. Jan. 1688.

(a) Vid. Johnson. Lib. XV. p. 485.

benigne acceptus, *agris ad Glottam fluvium est donatus. Ejus posteri non multo post in procerum dignationem pervenerunt*, *opulentissimaque ab eo Hamiltoniorum familia est cognominata: agro quoque, quem à Rege accepit*, *Hamiltoni nomen impositum.* Haud absona ab his sunt, quæ *Leslæus* refert; *(a) Sub hoc*, inquit, *tempus*, (in quod scilicet victoria Roberti Brussii ab Anglis reportata, quod a. 1323. contigit, incidit) *nobilis Anglus*, *cognomento Hamptoun*, *quod amicæ in Robertum voluntatis non obscuram significationem præ se tulerit*, *timore perculsus*, *in Scotiam fugit. Quem summa benevolentiæ specie acceptum Rex opulento fundo*, *Eadgovv dicto*, *ad Nobilis tuendam personam, donavit. Ex quo deinde effloruit Hamiltoniorum familia*, *& Regis affinitate*, *& multis præclaris facinoribus illustrissima.* Integrum tamen ab illo ævo seculum & amplius elapsum erat, cum ad altiorem gradum ascenderent Hamiltonii, ita ut *Buchananus (b)* JACOBUM HAMILTONIUM, cui R. Jacobus III. sororem suam *Mariam*, priori marito Thomæ Bodio Araniæ Comiti ademtam, nubere in vitam coegit, *hominem prope novum ac multum dignitate & opibus Bodio inferiorem* vocitet; eidem vero unà cum regia sorore etiam Comitatum *Araniæ* (quæ insula est in *Glotta* amnis æstuario sita) collatum fuisse *Leslæus (c)* literis commendavit.

JACOBUS HAMILTONIUS II. patri in Comitatu Araniæ successit, & factionibus inclaruit: cum enim Alexander, David & Wilhelmus Humii, Scotorum potentissimi, quorum sororem ille in matrimonio habebat, à Johanne Duce Albaniæ Prorege sub Jacobo V. quod res novas moliti essent, proscripti, tandemque fidei ejus se dedere coacti essent, Aranio custodiendi dati fuere, qui eorum persuasionibus eo se induci passus est, ut non tantum una cum ipsis discederet, sed etiam novam adversus Proregem conjurationem iniret, regnique administrationem, tanquam proximus regni hæres, affectaret; tracto etiam in partes Johanne Stuerto Levinio, è sorore sua genito; brevi tamen in ordinem redactus, à Prorege in Galliam profecto inter Gubernatores regni denominatus, & ab istis postea principis rector delectus fuit. Orta deinde inter illum & Duglassium Angusiæ Comitem est discordia, ita ut ad manus veniretur, quo in conflictu frater Comitis Araniæ, cujus nomen Buchananus *(d)* reticuit, cecidit, sed reditu Proregis oppressa. Recrudueré verò inter Hamiltonios Duglassiosque inimicitiæ, postquam Jacobus V. regni administrationem, primorum suasu, suscepisset, sed quod nondum par esset tantæ moli, ad matris suæ nec non Araniæ Comitis voluntatem pleraque gerere occepisset; id enim Angusius & Levinius indignati arma corripuere, factaque est inter priorem & Aranium pugna, Levinio eam insinuatis spectante manibus, neque multo post ab illis reconciliatis pœna indifferentiæ affecto, quemadmodum superius *(e)* dictum fuit. Verum mortem Levinii, cum quidam famulorum ejus summa cura ultum iret, & Edimburgi JACOBUM HAMILTONIUM, *nothum* Comitis Araniæ, offendisset, invasit penulatum sine armis ex aula egredientem, ac sex vulnera, quorum quædam prope ad vitalia penetrabant, alia Hamiltonius flexu corporis & objecta penula pæne effugerat, inflixit. *(f)* Quo ipso tempore è Germania in Scotia appulit PATRICIUS HAMILTONUS *Abbas Frenensis* è Johannis Ducis Albiniæ sorore & fratre Comitis Araniæ natus, *juvenis*, *Buchanani* verbis, *ingenio summo & eruditione singulari, qui quod è Lutheri consuetudine dogmata ipsius de justificatione, libero arbitrio, aliisque id genus rebus, quas tunc ad normam S. Scripturæ ille expendebat, imbibisset, conjuratione sacerdotum oppressus, & ad Fanum Antonini vivus crematus est.*

JACOBUS HAMILTONIUS III. Jacobi II. C. Araniæ filius, Buchanano *notho* audit, quod *Camdeno (g)* referente, è *Jenetta Betonia*, Cardinalis Betonii amita, quam dictus Araniæ Comes primæ uxori repudiatæ & superstiti superinduxerat, genitus fuerit. Successit is nihilo secius in dignitates paternas, vulneribus, de quibus dictum est, sanatis, & post R. Jacobi V. fata Gubernator regni, & Reginæ tutor, tanquam vinculo sanguinis proxime illi conjunctus, declaratus est; Hoc munus, quod propinquis magis quam genio suo obsecutus suscepit, decennii prope spatio, inter crebras adversæ partis factiones, quibus tota vita clam & aperte exagitatus est, obiit, donec anno 1553. magistratum, tum metu de rationibus reddendis ipsi injecto, tum Gallorum persuasionibus victus, abdicaret, & in Reginam viduam transferret, vicissim vero *Castri-Eraldi* in Pictonibus *Ducis* titulo à R. Galliæ donatus, cum pensione XII clↃ librarum, & si Regina sine liberis decederet, proximus ei hæres decretus est. Elapsis aliquot annis cum Jacobus Heburnus Bothveliæ Comes cum egestate, quam luxu & libidinibus contraxerat, tum invidia tactus, nova exoptaret, committere hic Moravium cum Hamiltoniis studuit, & priore frustra tentato Hamiltonios adiit, ministrum ad cædem Moravii se offerens; nec Hamiltonii rem improbabant.

Reginam

(a) *De reb. gest. Scot. Lib. 7.* (b) *Lib. 12.* (c) *Lib. 8.* (d) *Lib. 14.* (e) *Parte priori*, *cap. 8.*
(f) *Buchan. L. 14. Lesl. L. 9.* (g) *Annal. Parte I.*

Reginam in sua potestate habere cupientes solo excepto JACOBO *Araniæ Comite*, Ducis „
Castri - Eraldi filio primogenito, qui scelus exhorruit, & Moravium consilii contra „
eum initi per literas certiorem fecit; ad quas cum ille rescriberet, absente Aranio literæ „
à patre ejus resignatæ sunt, cognitoque conjurationem ab Aranio detectam esse, ipse „
jussu patris in custodiam conjicitur, ex qua elapsus ad Reginam venit, ordineque rem „
exposuit; verum coram illis, quos detulerat, interrogatus, cum inde amore immo- „
dico quo Reginam deperibat, & arcta cum Moravio necessitudine raperetur, & pa- „
trem à conjuratione eximere vellet, animo turbatus & ita mente emotus est, ut ab eo „
tempore sibi parum constare deprehensus sit; verum per intervalla, cum ad se redibat, „
tam prudenter respondebat, ut interdum insaniam simulare crederetur, quo patrem pe- „
riculo eriperet, cum cæteros constanter accusaret, & quando testes alios non haberet, ar- „
mis secum Bothvelio dimicare paratum ostenderet. Interim diversi in custodias missi, & „
Aranius ad fanum Andreæ in Archiepiscopi arce asservari jussus est; frustra contendente „
à Regina Hamiltonio, ut filium & reliquos acceptis vadibus dimitteret. *(a)* Ille postea, pa- „
ter nempe, rerum suarum pertæsus in Galliam secessit, audita vero Reginæ è Scotia in Angliam fuga, & conventu Londini à Regina Elisabetha ad cognoscendam causam instituto, isthuc Lotharingorum suasu se contulit, & Moravio Proregi, qui ab Elisabetha vocatus, eodem venerat, quæstionem administrationis movit, sed improbata ejus petitio rejectaque fuit. Reversus denique ad penates suos supremum ibi vitæ tempus explevit. Haud supervacaneum erit *Johnstoni* *(b)* verba, quibus mortem ejus commemoravit, subjungere: *Anno 1575. obiit in Scotia Jacobus Hamiltonius Araniæ Comes, & Castri Heraldi in Pictonibus Dux, amplissimæ familiæ princeps, & Jacobi II. Scotorum Regis pronepos: is Jacobo V. in ætatis robore extincto, & Maria filia herede relicta Prorex dictus est, & secundus regni heres fuit. Huic viro mite & tractabile ingenium, à periculis adquietem proclive, nisi bonam indolem propinqui ac clientes corrupissent, qui suæ magis ambitioni servientes, quam de ejus honore solliciti, à privata vita ad regnum gerendum impellebant. Maria in Galliam transvecta, ut Delphino nuberet; Præfecturam centum Equitum cataphractorum, & deinde Ducatum Castri-Heraldi adeptus est; postea deposito magistratu, ad veros mores reversus procul ab aulica ambitione remotus, & palam beatus, cæpit Glottæ fluminis amænitatem admirari, & reliquum ætatis in privatis prædiis cum amicis & clientibus tranquille transigere. Sed inciderunt turbida Reip. tempora, quæ quiete & otio frui non sinerent. Cum Proceres rebellarent, Mariæ Reginæ caput & famam diligentissime defendit. Buchananus, suo an alieno odio incertum, mite ejus ingenium in contrarium interpretabatur, eique torporem & socordiam per invidiam exprobrabat. Is moriens quatuor liberos masculos superstites habuit,* JACOBUM *Araniæ Comitem*, JOHANNEM, CLAUDIUM, & DAVIDEM, *quorum tres insania conflictati, quam ex materna origine traxere;* Johannes *mitis ac munificus, reliquit adolescentem summa spe & animi & ingenii præditum.* Claudius *spes subsidiumque familiæ antequam furore corriperetur, liberos ad amplissimam spem genuit.*

De JOHANNE HAMILTONIO, Ducis Castri - Heraldi fratre, qui initio *Abbas Pasleti*, postea *Archiepiscopus Fani Andreæ* fuit, contraria prope *Leslæus* & *Buchananus* referunt; *prioris* verba ita sonant *(c) Johannes Hamiltonus, Abbas Pasletus, Gubernatoris frater, ex Gallia, ubi studiis operam dabat, rediens, Regem Angliæ visit, eum quibusdam eruditis viris, quos secum habebat. Ab eo humaniter excipitur. In Scotiam reversus regni Quæstor seu Thesaurarius creatur. Eo munere summa cum laude functus est, quamdiu frater tenuit gubernacula. Fratrem ipsum & consilio juvit in rebus deliberandis, & in bello contra Anglos pro regno Scotiæ tuendo, fortem se virum & industrium præbuit.* E contra *Buchananus*: *(d) Prorex & frater ejus Fani Andreæ Archiepiscopus uterq; summa crudelitate & avaritia; Archiepiscopus etiam in omnem libidinem solutus, quasi jure permissa in omnes omnium rerum licentia, suis cupiditatibus obsequebatur. Rege vivo inter eos, quibus plurimum fidebat, sinceriorū religionis studium præ se ferebat, & eo defuncto in omnia vitia præceps ierat; è multis concubinis, Roberti Sempilii filiam, nec forma decoram, nec fama alioqui integram, nec alia re quam procacitate insignem à marito propinquo suo & gentili abductam, prope in uxoris justæ loco habuit.* Uter ex his Scriptoribus vera prædicaverit, non dijudico. sed mortem illius narrare festino: captus à Matthæo Stuarto Levinio, qui post Moravii cædem Interrex creatus fuerat, Britannoduni, quod di- „
ctæ cædi interfuisse crederetur, in arctam custodiam datus, & præcipitato judicio, licet, „
ut more patrio res perageretur, postulasset, ad mortem ignominiosam damnatus, & Ster- „
lini laqueo suspensus est: astructum illi quod & cædis regiæ conscius fuisset, idque ex sacer- „
dote, cui Johan. Hamiltonius Archiepiscopi gentilis, cum facti nefarii conscientia animo „
discruciaretur, in fideli colloquio privatim confessus erat, cognitum fuisse jactaba- „
tur. *(e)*

(a) Buchan. L. 17. (b) E Rer. Brit. Lib. I. (c) Lib. 10. (d) L. 15. (e) Buchan. L. 20.

JACOBUS HAMILTON IV. *Araniæ Comes* Ducis Castelloroti filius natu maximus, mentis impos è causa paulo ante narrata factus, post decimum quintum furoris annum tutorem accepit *Jacobum Stuartum* è familia *Ochiltrea*, hominem ferocem & ambitiosum: *is tutelæ jure specieque invasit Araniam insulam, Hamiltonium arcem, Kinvelium, & opes ditis familiæ, neque eo contentus Araniæ Comes anno 1581. creatus, & comitiali auctoritate in veteres familiæ ruinas, contra leges institutaque majorum collocatus est*, quemadmodum *Johnstonus* literis commendavit. (a) JOHANNES & CLAUDIUS Hamiltonii illius fratres ab adversariis anno 1579. regno cum conjugibus ac parvis liberis pulsi, in Anglia apud Elisabetham portum ac perfugium repererunt, ejusdemque auctoritate ac opera elapso sexennio restituti sunt. Priorem ex eis Jacobus VI. in gratiam & amicitiam acceptum anno 1599. *Marchionem*, alterum vero *Baronem de Pasley* creavit. JACOBO V. Johannis filio idem Rex dignitates *Baronis ab Ennerdale* & *Comitis Cantabrigiæ* in Anglia vigore diplomatis, d. 16. Jun. anno 1619. scripti, addidit, locumque in cubiculo regio generoso & munus Senescalli domus regiæ contulit, & denique *aureæ Periscelidis* insignia impertiit. Vitam is in robore ætatis amisit *non sine suspicione veneni, extuberante post mortem toto corpore, & maxime capite, usque ad horrorem terroremque spectantium, nec sine admiratione Medicorum, ceu Johnstonus (b)* memoriæ prodidit.

JACOBUS VI. *Marchio Hamiltonii* & *Comes Cantabrigiæ* benevolentiam R. Caroli I. consecutus, inter ipsius cubicularios & Equites *San Georgianos* cooptatus, praetereaque Hipparchus constitutus est. Cum tumultuari Scotia coepisset, missus eo à Rege iterata vice, res ejus provide & strenue egit, cumque tertia vice ob recrudescentes turbas, illuc abire juberetur, *Ducali* axiomate, acuendæ ipsius solertiæ, auctus est. Substitit in Scotia usque ad annum 1643. quo cum novum Scoti exercitum comparassent, una cum fratre ad Regem, Oxonii tunc agentem, advolavit, sed aditu ab illo prohibitus & custodiæ mandatus fuit. Cum post triennium perditis jam prope rebus regiis, libertatem recuperasset, in Scotiam rediit, ibidemque detestatus popularium, qui Anglis Regem vendidere, perfidiam, arma denuo corripuit, aliisque ut milites pro Rege liberando cogerent, auctor extitit; verum copiis quas contraxerat, à Cromwello in Lancastria interceptis, & vel cæsis vel dissipatis, ipse denique Uxeteram in Straffordia se recipere, ibidemque Baroni Grejo se dedere coactus est mense Augusto, anno 1648. Inde in castrum Windsoriense deportatus, evasit illa ipsa die, qua Rex morte affectus est; postridiè verò ab emissariis iterum comprehenso mox dies dicta atque ad mortem damnato caput securi amputatum fuit. Generum ejus in filia natu majore *Wilhelmum Duglassium*, Marchionis Duglassii gnatum primogenitum, R. Carolus II. postquam in regnum restitutus fuisset, titulo *Ducis Hamiltonii* amplificavit: immediatè vero in illius honores successit frater, WILHELMUS HAMILTONIUS, brevi quidem temporis spatio perfruendos: namque Carolum II. cum Scoticis copiis in Angliam comitatus, cum in pugna Wigorniensi strenuè dimicaret, crus fregit, neque ultra quatriduum superstes mansit, sobole non secus ac frater destitutus. (c)

Florent autem inter Scotiæ Proceres hodiéque Hamiltonii, & enumeravit *Dugdalius* in *Catalogo Nobilitatis* Scoticæ anno 1682. evulgato *Hamiltonium Comitem de Abercorne, Carolum Hamiltonium, Comitem de Hadington, Johannem Hamiltonium Baronem Bargeny* & *Johannem Baronem Bilhaven.* Vixit etiam ex hac gente non ita multis abhinc annis *Jacobus Hamilton Vice-Comes Claneboy* & *Comes de Clanbrazell*, maritus *Annæ Carey*, filiæ Henrici Comitis Monmuthiæ. Illi, utrum è fratribus Johannis primi Marchionis Hamiltonii an antiquiore aliquo prognati sint, incompertum habemus. Edidit *de Ducibus Hamiltoniis commentarium* Celeb. *Burnetus*, è quo plura & singularia de hac familia discere cupiebamus, sed spes libri hujus nanciscendi decollavit.

Insignium loco deferre solent *Hamiltonii flores pentaphyllos tres argento tinctos in clypeo rubeo.*

(a) Lib. 2. (b) Lib. 20. (c) Dugdal. Baronag. III. 439. Bateus Elench. Mot. Angl. Parte II. pag. 147.

CAPUT

CAPUT XV.

DE DUCE ET COMITIBUS NORTHUMBRIÆ FAMILIAQUE PERCIENSI.



E Diverticulo in viam nunc revertimur, & quoniam de HENRICO Somerset DUCE DE BEAUFORT, qui Ducem Ormondiæ inter Proceres Angliæ excipit, sub finem Partis prioris actum fuit, progredimur ad GEORGIUM *Fitz-Roy* DUCEM NORTHUMBRIÆ. Is inter filios naturales, quos R. Carolus II. è Ducissa Clevelandiæ suscepit, est natu minimus, atque à genitore ad dignitatem illam evectus, postquam Perciorum Comitum Northumbriæ stirps exaruisset.

Northumbria, regnorum Angliæ & Scotiæ limes, primum *Duces* suos habuit, sed clientelari lege Regibus Cantii obstrictos, posteà *Regibus* aliquandiu paruit, donec Anglia sub unius imperium redacta Præfectos accepit, qui *Comites* vocabantur; hos inde à Conquestoris ævo usque dum ad Percios Comitatus ille devenit, *Camdenus* è veteri membrana bibliothecæ Stoweanæ hoc ordine recensuit: (a) *Copsi*, inquit, *factus Northumbriæ Comes dono VVilhelmi Conquestoris expulit Osculphum, à quo tamen paucos post dies interfectus erat. Osculphus deinde lancea à latrone trajectus diem obiit. Tum Gospatricus emit Comitatum à Conquestore, à quo non multo post eo honore deturbatus, successorem habuit VValdeofum, Sivvardi filium. Huic capite truncato subrogatus est VValcherus, Episcopus Dunelmensis, qui, uti Robertus Comin successor, populari tumultu occubuit. Robertus Movvbrajus postea eundem titulum consecutus est, quem sua ipsius scelerata perfidia statim perdidit. Deinde Stephanus Rex Henricum, filium Davidis R. Scotiæ, Northumbriæ Comitem instituit. Multosque post annos Richardus I. hunc comitatum Hugoni de Puteaco, Episcopo Dunelmensi, dum viveret, pretio addixit. Demum interjecto duorum prope seculorum spatio Richardus II.* HENRICUM PERCIUM *anno regni sui primo Northumbriæ Comitem creavit.*

Hujus origo vetustior à *Perciis*, posterior à *Brabantiæ Ducibus* manat. Ex illis *Manfredus Percius* ex Dania in Neustriam ante Rollonem trajecisse, filiumque *Galfredum*, Rollonis postea socium, habuisse *Dugdalio* (b) fertur. Hoc natus *VVilhelmus*, *Galfredum* II. genuit, avum ex *VVilhelmo* II. GALFREDI III. cujus ætas in Wilhelmi Conquestoris ævum incidit. Gnati eidem duo tribuuntur WILHELMUS III. & SERLO, qui strenuam illi operam in acquirendo Angliæ regno navasse perhibentur, in magna propterea dignatione à Rege habiti & fundis donati; hos amplissimos inprimis *VVilhelmus* nactus est, qui dominium *VVhitby* in Cestria in Abbatiam mutavit, & Benedictinis monachis tradidit, peregrinationi Hierosolymitanæ postea immortuus, sed in Angliam deportatus, & in æde à se dicto loco condita, sepultus. Duravit mascula ejus progenies in quintam usque generationem, cumque defecisset, nomen pariter & patrimonium Perciorum in aliam transiit gentem.

Nimirum AGNES PERCIA *VVilhelmi* V. filia, hæres domus suæ denique facta, JOSCELINO DE LOVANIO, quem *Godofredi Barbati Ducis Brabantiæ* gnatum natu minorem fuisse tradunt, pararia Regina *Alisa*, Henrici I. Angl. uxore, eademque Joscelini sorore, in manum convenit, eo pacto, ut ille nomen vel digma Perciorum adsciseret, & avitum abdicaret: accepit *Joscelinus* utramque conditionem, & *Percium* nomen assumsit, posterisque suis tradidit, tessera autem Perciorum ita uti cœpit, ut eam cum propriis, loco tamen posteriore, conjungeret; documentum hujus matrimonii *Dugdalius* in *Monastico Anglicano* exhibuit. Ex posteris ejus primus in censum Baronum Angliæ venit HENRICUS III. qui de R. Eduardo I. in bello Scotico egregie meritus, amplissimis ab ipso possessionibus in Anglia Scotiaque & Comitatu Corrigiensi donatus, Gallovidiæ præfectus, & ad Parlamentum anno regni ipsius XXVIII. vocatus est. HENRICUS IV. patre haud segnius operam suam R. Eduardo III. domi forisque navasse, & inprimis victoriæ de Scotis a. 1346. reportatæ, captique Davidis Regis Scot. gloriam sibi vindicasse prædicatur, quo ipso temporis articulo HENRICUS V. *Percius*, illius gnatus, pari fortitudine in Creciacensi prælio se præbuit.

HENRICUS PERCIUS VI. sua ætate Anglici nominis clarissimus, gloriam bellica virtute partam, ingratitudine ac inconstantia maculavit: scilicet, cum ab ineunte pubertate in castris versatus, impavidi nec ad pericula segnis spiritus multa edidisset documenta, Regique Eduardo III. fortitudinem suam probasset, summis ab eo militiæ muniis admotus, nec non officio *Marescalli Angliæ* auctus est, idque in inauguratione Regis Richardi II. obiit, eadem die, quæ XVI. Julii anni 1377. erat, dignitate & titulo *Comitis Northumbriæ* ornatus, cum hac concessione, ut omnes quas tunc habebat aut imposterum acquisiturus esset ditiones *sub Honore Comitiali*,

X &tan-

(a) *Descr. Brit. p. 660.* (b) *Baronag. P. I. pag. 269.*

GALFREDUS DE PERCY III. Wilhelmi II. F. Galfredi II. N. Wilhelmi I. Pron. Galfredi I. Abn. Manfredi Aen.

Wilhelmus de Percy III. † in Palæstina, regnante Wilhel. Ruffo. Serlo de Percy
Emma de Port.

Alanus de Percy. Ux. *Emma de Gant.*

Wilhelmus de Percy IV. Ux. *Alicia.* Galfredus de Percy, Henricus de P. Walterus de P. Alanus de P.

Alanus de Percy † improlis. Richardus de Percy. Robertus de Percy.

Wilhelmus de Percy V. vixit sub Henr. II. *Adelidis de Tunebrigge.*

Walterus de Percy.	Alanus de Percy.	Richardus de Percy.	Wilhelmus de Percy.	Mathildis nupta *Wilhelmo C. Warvvici* † sine prole.	Agnes hæres familiæ nupta JOSCELINO de LOVANIO.

6

Henricus V. B. Percy de Alnvvike † 24. Maji 1368. 1. *Maria, Henrici C. Lancastr. f.* 2. *Johanna.* . . . . Wilhelmus de Percy in Kirk. Levington. Richardus de Percy. Episc. Norwici.

1. Henricus VI. B. Percy, COMES NORTUMBRIÆ cr. à R. Richardo II. a. 1377. occ. 2. Mart. 1406. Ux. 1. *Margarita, Radulphi B. Nevil f.* 2. *Mathilda, Antonii B. Lucy soror & hæres, Gilberti de Umfranville C. de Anegos vid.*

1. Henricus VII. B. Percy cogn. Hotspur occ. in pr. Salop. 21. Jul. 1403. *Elisabetha Edmundi Mortimer Com. Marchiæ f.*

Henric. de Percy VIII. C Northumbr. *Eq. Per.* occ. in pr. S. Albani 22. Maji 1455. *Eleonora Nevil, Radulphi Com. Westmorl. f. Richardi Bar. Spenser vid.* Elisabetha nup. 1. *Johanni B. Clifford.* 2. *Radulpho Nevil.*

Henricus de Percy IX. C. North. B. Poynings occ. in pr. Touton. 1461. *Eleonora Rich. B. Poynings f. & h.*	Johan. de Percy † inf.	Thomas de Percy Baro Egremont. cr. à R. Henr. VI. a. 1450. † cœlebs.	Radulphus de Percy Eques.	Johan. de Percy.	Henr. de Percy.	Wilhelmus de Percy *Episc. Carleoli.*

Henricus de Percy X. C. Northum. M. Angl. Camerarius *Eq. Perisc.* occ. à seditiosis 28. April. 1489 *Mathilda Herbert, Wilhelmi C. Pembroc. f.*

Henricus de Percy XI. C. Northumbr. *Eq. Perisc.* † 1526. *Catharina, Roberti Spenser fil. & coh.* † 1542. Wilhelmus de Percy Eques auratus. Alanus de Percy *Clericus.*

Henricus de Percy XII. C. Northumbr. *Eques Per.* † 29. Jun. 1537. *ux.* *Maria Talbot, Georgii C. Salop. f.* Thomas de Percy *decoll.* 1536. *Eleonora, Guichardi Harcottle f.*

Thomas Baro Percy, Comes Northumbr. *Eq. Perisc. decoll.* 22. Aug. 1572. *Anna Somerset, Henrici C. de Worchester f.*

Thom. de Percy † juv.	Elisabetha ux. *Richardi Waldrove de Wolley.*	Maria nup. *Thomæ Grey de Warke.*	Lucia ux. *Eduardi Stanly de Eynsham.*	Johanna nup. *Henrico B. Seymour.*	Maria *monialis* Bruxell. 1621	Henricus de Percy XIV. C. North. *Eq. Per.* † 5. Nov. 1632. *Dorothea Devereux Walteri C. Essex. f. Thomæ Perrot vid.*	Thom. de Percy † improlis.

Henricus de Percy † inf. Henricus de Percy † juv. Algernon de Percy C. Northumbr. *Eq. Perisc.* † 13. Oct. 1668. 1. *Anna Cecill, Wilhelmi C. Salisbur. f.* 2. *Elisabetha Hovv, Theophili C. Suffolc. f.*

1. Catharina † juv. Dorothea † juv. Anna nup. *Philippo Stanhope C. de Chesterfield.* Elisabetha ux. *Arturi Capel C. Essex.* Lucia † juv.

Henricus de Percy † infans.

PERCIÆ
HUMBERLAND.

JOSCELINUS DE LOVANIO, ex Ducibus Brabantiæ ortus, successit in nomen & peculium *Perciæ* familiæ per conjugium cum AGNETE PERCIA, *Wilhelmi V. de Percy filia.*

Richardus de Percy. *Agnes. . . .* † *sine.* Robert. de Per cy. † *sine.* Joscelin de Per. cy. † *sine.* Henricus de Percy *Isabella, Adami de Brus in Skelton f.* Alieno- ra. Alicia.

Wilhelmus de Percy † 1245. *Johanna, Wilhelmi de Briwer f.* Henricus de Percy in Sextil & Litton.

Henricus de Percy II. † 1272 *Eleonora, Johannis Com. Waren. & Surr. f.* Engelramus de Percy. Wilhelmus de Percy. Alan. de Percy. Joscelinus de Percy. Galfredus de Percy. Walterus de Percy.

Wilhelmus de Percy † improlis. Johannes de Percy † improl. Henricus III. BARO Percy de Alnwike C. de Catryk † 1305. *Eleonora, Fitz-Alan, Richardi C. Arundel f.*

Henricus IV. Baro Percy de Alnwike † 26. Febr. 1353. *Idonea, Baronis Clifford f.* Wilhelmus de Percy.

Rogerus de Percy in Scanerbot. Mathilda ux. *Johannis B. Nevil.* Eleonora nup. *Johanni B. Fitz-Walter.* Isabella ux. *Wilhelmi de Aton.* Margarita nup. 1. *Roberto de Umfranville.* 2. *Wilhelmo de Ferrers.*

Thomas de Percy, COMES DE WORCHESTER cr. à R. Richardo II. 1397. *decoll.* 1403. 2. Maria.

Thomas de Percy. *Elisabetha, Davidis de Strabolgy C. Atholiæ fil. & coheres.* Radulphus de Percy.

Henricus de Percy de Athole Eques † in Hispania. *Elisabetha, Matthæi Bruce de Gowver f.*

Richard. de Percy Eq. Georgius de Percy *Canonicus Beverlii.* Catharina ux. *Edmundi Grey C. de Kent.* Anna nup. 1. *Thomæ Hungerford*, 2. *Laurentio Hungerford*, 3. *Hugoni Vaughan.* Elisabetha ux. *Thomæ Burgh Armig.* Margarita nup. 1. *Henr. B. Grey de Codnovre*, 2. *Richardo Vere.*

Elisabetha nup. *Henrico B. Scroope de Bolton.* Eleonora Ux. *Reginaldi West B. la Warre.* Margarita nup. *Wilhelmo Gascoigne de Gauthorpe.*

Joscelinus de Percy sacor Perciorum de Beverley. Eleonora nup. *Eduardo Stafford. D. Buckingam.* Anna Ux. *Wilhelmi Fitz-Alan C. Arundel.* Elisabetha † juv.

Ingelramus de Percy. Margarita nup. *Henrico B. Clifford. C. Cumbriæ.* Mathilda Uxor *N. Baronis Coniers.*

Henricus de Percy XIII. C. Northumbr. † m. Jun. 1585. *Catharina, Johannis Nevill B. Latimer f.* Guischardus de Percy. Ingelramus de Percy.

Wilhel. de Percy. Carol. de Percy *Dorothea, Richardi Cox de Cleve f. N. Hutchins vid.* Richardus de Percy. Alanus de Percy, *Johanna Fitz f.* Joscelinus de Percy. Georgius de Percy. Anna † inf. Lucia nup. 1. *Joh. Wotton*, 2. *Hugoni Owen de Anglesey.* Alienora ux *Wilhel. Herbert B. Powys.*

Henricus Percy, B. de Alnwik cr. 28. Jun. 1657. Dorothea nup. *Roberto Sidney C. Leicestriæ.* Lucia Ux. *Jacobi B. Hayes Vicec. Doncastr.* 1617.

2. Joscelinus de Percy C. Northumbriæ gentis suæ postremus † 21. Maji 1670. *Elisabetha Wriothesley, Thomæ C. Southampton f. & coher.* Elisabetha † inf.

Elisabetha nup. 1. *Henrico Cavendish. C. d'Ogle* 1679. 2. *Carolo Seymour D. Somerset.* 30. Maji 1682. Henrica † inf.

& tanquam partem comitatus sui teneret. Licet verò Richardo fidelem & strenuam operam aliquandiu præstitisset, tandem tamen beneficii accepti oblitus ab eo defecit, & Henrici Lancastriæ Ducis factioni se adjunxit, atque ad exautorationem & perniciem veteris heri & bene de se meriti Regis consilia vocemque suam præbuit, quapropter ab Henrico Lancastrio novo Rege, ad fastigium *Comestabilis* sive *Senescalli Angliæ* provectus, & *Mona* insula donatus est, hocque nomine in sollemnibus coronationis ensem illi prætulit. Ob prosperum deinde prælium adversus Scotos apud *Halvvedon Hill* a. 1402. commissum, in quo etiam filii ipsius HENRICI VII. ab impetu & calore, quo Scotos persequi solebat, *Hotspur* vulgo cognominati, virtus enituit, Regi carior factus, brevi fidem iterum mutavit, & rebellionem, quam a. 1403. modo dictus ejus filius, nec non frater THOMAS Percius *VVigorniæ Comes* occasione belli Scotici cœptavere, clam probavit ac sustinuit, cumque post improsperam pugnam, quam rebelles d. 21. Jul. ejusdem anni cum regiis prope Salopiam pugnarunt, qua *Henricus Hotspur* occubuit, *Thomas* autem captus est, moxque securi percussus, ad Regem venisset, & purgando se à suorum rebellione, eamque in speciem detestando, veniam obtinuisset, elapso triennii spatio conjurationem denuo cum Thoma Mowbray Comite Marescallo & Richardo Scroope Archiepiscopo Eboracensi adversus Regem iniit; verum istis astu interceptis & capitali supplicio affectis, in Scotiam indeque in Walliam fugere coactus est, mox tamen ad contrahendas copias in loca septentrionalia reversus, in regios prope Bramham Moore incidit, à quibus post acre certamen cæsus & cano capite truncatus fuit. Duxerat secundis nuptiis *Antonii* Baronis *Lucii* sororem & hæredem, ea omne peculium suum privigno *Henrico Percio Hotspur*, ejusdemque hæredibus legavit, ea tamen lege, ut *Luciæ* familiæ insignia cum avitis conjuncta gererent.

HENRICUS PERCIUS VIII. natalibus, dignitatibus & latifundiis, quibus avus ob rebellionem multatus fuit, beneficio R. Henrici V. restitutus, virtutes paternas avitasque, non vitia, imitatus est, & dicto Regi, ejusque filio ac successori Henrico VI. constanti fide operam suam bello & pace domi forisque exhibuit, ita ut pro posteriore sanguinem etiam vitamque profunderet, quod in priori apud *Albani fanum* prælio adversus Eboracensem factionem accidit. Eadem vestigia ingressus ejus gnatus HENRICUS IX. *Comes Northumbriæ*, qui patre vivo sub titulo *Baronis de Poynings*, (quem uxorio jure tenuit) ad regni comitia vocatus fuisse reperitur, simili mortis genere in prælio decretorio *Toutonensi*, dum fortiter pro Lancastrensium partibus dimicaret, defunctus est. Hoc natus HENRICUS X. dignitate & titulo paterno aliquandiu caruit, Comitatu Northumbriæ à R. Eduardo IV. in *Johannem Nevillum Montacutum* translato; hic verò post breve tempusculum titulum illum Regi in manus reddidit, à quo *Percio* restitutus fuit, constanti fide Eboracensi domui addicto, ita ut pro Richardo etiam regni usurpatore & parricida pugnare non dubitaret; captus autem in *Borworthensi* prælio, nec tamen gratia R. Henrici VII. destitutus fuit, quin locum in secretiore ejus Senatu obtinuit; quæ equidem dignatio infeliciter ei cessit: tributo enim in singula capita à Parlamento ad bellum Armoricum imposito, cum id ille ab Eboracensibus, quorum regioni præerat, exigeret, pro autore ab iis habitus, & per tumultum trucidatus fuit, (a) pater quatuor filiorum, quorum natu minimus JOSCELINUS *Percios de Beverly* in Eboracensi Comitatu prosevit, maximus HENRICUS XI. in titulum avitum successit, eumque fato suo functus ad filium primogenitum *cognominem* transmisit. Is Cardinali Wolseo à prima juventa addictus, cum Annam Bullenam, tunc Reginæ Catharinæ pedissequam, eximio coleret affectu, displicuit R. Henrico VIII. qui per dictum Cardinalem rem ad parentem adolescentis deferri, illumque, ut filii amorem refrenaret, moneri jussit. Reprehensus itaque iste à genitore, grave adversus Wolsæum odium concepit, & deinde exautorationi ac vinculis ejus operam manumque lubens commodavit. Cum nullam haberet prolem, fraterque ejus natu minor THOMAS Percius, quoniam rebellioni, à fanaticis quibusdam in Eboracensi comitatu excitatæ, & Peregrinationi gratiæ (*The Pilgrimage of Grace*) dictæ, (*b*) se immiscuerat, perduellionis & capitis damnatus fuisset, magnam lautissimi patrimonii partem largitionibus in Regem aliosque profudit.

Postquam *Henricus Percius*, hujus nominis XII. & Northumbriæ Comes VI. sine prole è vita discessisset, quievit titulus *Northumbricus* usque dum à R. Eduardo VI. *Johanni Dudlejo* collatus fuit, *Ducali* axiomate auctus, quemadmodum suo loco dicetur. Verum isto capite mox diminuto, Maria Regina THOMAM PERCIUM, *Thomæ* perduellis filium, Baronem Angliæ d. 13. April. a. 1557. creatum, postridie in avitam dignitatem restituit. Is cum regnante Elisabetha consiliorum Ducis Norfolciæ de ducenda Maria Scotiæ Regina consors fuisset, & post acceptam hujus delicti veniam iterum suspectus Londini comparere jussus esset, homo facili ingenio, sibi male conscius, Romanæ religionis perquam studiosus, prætereaque injuria, quam ille interpretabatur, de divite æris vena in suo solo ex jure Majestatis abjudicata, exacerbatus, ab ami-

(a) *Pol. Vergil. L. XXVI. p. 570.* (b) *Vid. Burnet. Hist. Reform. Anglic. P. I. L. 3.*

amicis se persuaderi passus est, ut in rebellionem prorumperet; regiarum verò copiarum adventu fugam capessere coactus in deserta Scotiæ vicinæ sylva *Hardlevve* dicta, delituit inter Graihamos famosos prædones, à quibus Moraviæ Comiti, Scotiæ Proregi proditus, pôsteaque Jacobo Duglassio Mortonio in eodem dignitatis fastigio collocato (de quo tamen, cum in Anglia exularet, optime meritus erat) pacta pecunia Baroni Hunsdonio Præfecto Berwici redditus, & paulo post Eboraci obtruncatus est. *(a)* Successit ei in avitum titulum frater, HENRICUS XIII. vir *Camdeni (b)* verbis, *vivido ingenio & animo*: hic ab Elisabetha Regina in carcerem conjectus fuerat, ex quo emissus, post Thomæ Baronis Pageti in Galliam fugam, quod ejus nec non Throcmortoni aliorumque consiliis atque adeo conjurationibus, ob religionis causam contra Reginam initis, se adjunxisse crederetur, rursus in Londinensem turrim ductus, ibique nocte quadam mortuus in lecto repertus est, tribus juxta papillam sinistram glandibus trajectus, pessulo foribus intus obducto. Quæstores recepto more adhibiti, perpensis testibus ac testimoniis palam pronunciarunt, Comitem sibi mortem conscivisse, ne clarissima familia, bonis hastæ subjectis, ad inopiam dilaberetur; nec desunt, qui schedam in mensa relictam repertam fuisse tradunt, in qua ipsius manu scriptum fuerit: *Crudelis & inhumana* (Reginam innuebat) *non habitura es commodum ac potestatem, quam in vitam facultatesque meas tibi arrogas! (c)* Filius ejus natu maximus ac successor HENRICUS XIV. *aureæ Periscelidis* insignibus ab Elisabetha a. 1593. decoratus, atque à R. Jacobo ad magna & honorata ministeria provectus, conjurationis pulverariæ conscius fuisse, palam a. 1606. delatus fuit, atque elaborasse, ut Britannicum imperium vel sibi subjiceret, vel penitus laceraret. Ex eo tractus in crimen, præcipuè, quod *Thomæ Percio*, conjuratorum antesignano, gentili & dispensatori suo, nimium familiaris fuisset, eundemque in cohortem stipendiariorum sine fidei sacramento adscivisset, neque satis se coram judicio purgasse visus, lata sententia ab omnibus officiis civilibus remotus XXX. mille libris & perpetua custodia multatus fuit. *(d)* In hac quindecim annorum spatio, nempe usque ad diem 18. Jul. a. 1621. detentus, denique in libertatem & pristinum locum à R. Carolo I. restitutus est, quem etiam filius ejus ac hæres ALGERNON supremus Angliæ Admiralis, tenuit, atque ad gnatum JOSCELINUM transmisit, qui mascula prole orbatus & Turini in Pedemontio mortalitate interceptus familiam finivit. Titulus *Comitis Northumbriæ* ad Coronam relapsus à R. Carolo II. filio suo naturali *Georgio Fitz-Roy*, è Clevelandia nato, collatus est, allodialia verò illius bona, quæ amplissima sunt, ad gnatam unicam ELISABETHAM pervenere. Ea sub nomine *Lady Ogle* claro aliquot abhinc annis erat rumore: nimirum non genere tantum & opibus, sed pulchritudine etiam ætatis suæ fœminas supergressa, è multis, à quibus expetita est, *Comiti de Ogle*, Ducis Novocastrensis filio ac hæredi, elocata fuit, duodecimo ætatis anno nondum expleto, cum ille octavum supra decimum ageret; verum primo statim matrimonii sui anno vidua facta, cum plures iterum nacta esset amatores ac procos, (quos inter *Carolum Johannem C. de Konigsmark*, Conradi Christophori ad Bonnam occisi ex Vrangelia F. Joh. Christophori clarissimi bellatoris N. haud invisum ei fuisse fama percrebuit,) ab avia *Elisabetha Hovvarda*, quæ, matre illius ad secunda vota transgressa, potestatem sibi in neptem vindicabat, viro nobili, cui nomen erat *Thynn* condicta fuit, quem aspernata, ut coactis se subduceret nuptiis, in Hollandiam clam trajecit, quò paulo ante etiam Konigsmarkius abierat. Thynnius cognita sponsæ suæ fuga, rem instinctu Hovvardæ ad Judices supremos detulit, cumque perorata causa sua sententiam sibi favorabilem anxiè expectaret, accidit, ut nocte post diem XII. Februarii a. 1682. à tribus Königsmarkii in Angliam intereà regressi domesticis suopte in carpento majoribus sclopetis transverberaretur, iisque ex vulneribus sub Solis ortum moreretur. Capti sicarii & in quæstionem dati cùm pernegassent Königsmarkium vel autorem vel conscium parricidii fuisse, illi supplicio affecti, hic verò à culpa absolutus & liberatus fuit; pluribus tamen ex Anglica nobilitate suspectum ac invisum se esse animadvertens, mare rursum trajecit. *Oglia* verò ad penates denique reversa ingens adversus Thynnii percussores odium, nec minorem erga Königsmarkium, tanquam suspicione non vacantem, aversionem præ se tulit, neque ita multò post *Duci Sommersettiæ* nupsit. Fusius rei hujus seriem *Gregorius Leti* sub finem *Theatri Britannici (e)* Italico idiomate scripti recensuit.

Id ad extremum silentio non esse censeo prætereundum, quod ex schedis publicis accepimus, esse in Anglia virum nobilem, qui è Perciorum Comitum Northumbriæ sanguine satum se venditet, causamque suam in diversis Angliæ curiis oraverit, atq; effecerit, ut ejus Genealogia fecialium censuræ subjiceretur: hi exeunte a. 1687. retulerunt, aliquam ejus partem posse admitti, deductionem verò in ipso limine vitiosam esse, eò quod ille, à quo stirpem suam defluxisse actor tradit, sine liberis mortuus fuerit.

(a) Camden. Annal. Elis. Parte I. & II. p. 167. & 238. (b) Ibid. P. III. p. 393. (c) La Roque Hist. domus Harcurt. L. XIV. c. 7. (d) Johnston. Rer. Brit. L. XIII. p. 421. (e) Parte V. Lib. 4. p. 535. & seqq.

Scutum Perciorum Northumbriæ Comitum *quadripartitum* erat, prima & extrema ejus areola *aurea leonem cæruleum* (quo *Josſelinus de Lovanio* uſus eſſe fertur, cùm primogenitus domus ejus, Dux ſcilicet Brabantiæ aureum leonem in campo nigro gereret) ſecunda verò & tertia *rubea, lucios duos argenteos in palis figuram poſitos* (*Luciorum* id digma fuit, ab Henrici Comitis Northumbriæ primi uxore ſecunda in Perciorum familiam translatum) referentibus. Mediæ regioni *parmula* incumbebat *nigra cùm capite aureo, eoq; dentibus aſperato*, quod priſcum *Perciorum* ſymbolum fuiſſe traditur.

CAPUT XVII.

DE DUCE DE SAINT ALBANS, NEC NON COMITIBUS AB EODEM LOCO NOMINATIS.



Orthumbriæ Ducem ſequitur CAROLUS BEAUCLAIR DUX DE SAINT-ALBANS, frater illius conſanguineus, quem R. Carolus II. ex *Eleonora Gvvinn* vulgari fœmina, ſed formæ & geſtus venuſtate in ſcena præſtante, ſuſcepit, & primò *Baronem de Hedington* & *Comitem de Burford*, denique verò anno 1684. *Ducem de Saint Albans* creavit, quemadmodum *Tabula* XIII. Partis prioris notatum fuit. Situm eſt *Fanum Albani* in Hertfordiæ Comitatu, quo loco *Verulamium* antiquiſſima urbs ſteterat, cujus ruinis ex ſurrexit, poſtquam circa a. 793. Offa Rex Merciorum monaſterium ampliſſimum illic ex ſtruxiſſet in memoriam Albani Martyris, qui civis Verulamienſis erat.

Honoris titulum ab oppido illo primitus accepit *Franciſcus Baconus*, ſeculi & gentis ſuæ decus, ornator & ornamentum literarum, natus die 22. Januar. a. 1560. Patrem habuit *Nicolaum Baconum* Equitem Auratum, Magni Sigilli Angliæ Cuſtodem, virum, *Camdeni (a)* verbis, *præpinguem, ingenio acerrimo, ſingulari prudentia, ſumma eloquentia, tenaci memoria, & ſacris conſiliis alterum columen*, anno 1579. mortuum; matrem *Annam Cocam*, Antonii Coci Equitis Aurati, qui eruditioni Eduardi Sexti Angliæ Regis præfuit, è filiabus unam, feminam lectiſſimam, tam pietate & virtute, quàm doctrina præpollentem. His ortus & eductus parentibus *Franciſcus* ea prima ſtatim ætate ingenii ſigna edidit, ut protinus appareret, quantus eſſet futurus. Reginæ Eliſabethæ referunt ſæpiuſculè volupe fuiſſe cum eo colloqui & quæſtionibus difficilioribus tentare, illeautem tanta gravitate & judicii maturitate ſupra ætatem ſe expedire valebat, ut Regina eum *Dominum Cuſtodem Sigilli minorem* appellare ſolita ſit, & deinde nondum tyrocinium in Legum ſtudiis egreſſum in Conſilium ſuum doctum extraordinarium adſciverit; ſed quò minus maturiore ætate Reginæ benevolentia & liberalitate ſolidè gauderepoſſet, obſtitit æmulatio cujuſdam è proceribus ea tempeſtate apud illam potentis, ceu in vita ejus operibus præmiſſa refertur. Poſtquàm verò Jacobus in Anglia regnare cœpit, honoribus muniisque eximiè cohoneſtatus eſt. Allegantur eodem loco literæ quædam propria addictum Regem manu conſcriptæ, quibus talem illum fuiſſe erga ſe Dominum agnoſcit, qui repetitis ſubinde favoribus *novies* cumulaſſet, *ter Honoribus*, *ſexies* autem *officiis*. *Officia* quæ intelligit, hæc fuiſſe putant: *Conſilium doctum extraordinarium*, *Regis Solicitator Generalis*, *Atturnatus Regis Generalis* ſive *Procurator primarius*, *Cooptatus in Sanctius Regis Conſilium*, dum adhuc Atturnati locum geſſit, *Cuſtos Magni Sigilli Angliæ*, denique *Cancellarius Angliæ*. *Honores* erant primò *Eques Auratus*, dein *Baro Verulamius*, poſtremò *ViceComes Sancti Albani*. Uxorem duxit *Aliciam*, filiam & hæredum unam *Benedicti Barnhami Armigeri* & *Aldermanni* Londinenſis, è qua liberos ſuſcepit nullos. Exutus Cancellariatu haud abſque nota avaritiæ ac ſordium, atque ad privatam conditionem redactus, quinquennium extremum vitæ ſuæ ſtudiis & contemplationibus inſumſit, eoque temporis ſpatio librorum ſuorum tam Anglicano quam Romano ſermone conſcriptorum maximam partem exaravit. Obiit 9. Aprilis a. 1626. è febri lenta unà cum catarrho vehemente, unde humor adeò copioſè ad pectus ejus defluxit, ut per ſuffocationem extinctus ſit; ſepultus eſt in Eccleſia S. Michaelis fano ſancti Albani vicina, ubi monumentum è marmore candido in ejus memoriam exſtructum eſt cum hoc epitaphio:

Franciſcus Bacon Baro de Verulam, S. Albani Vicecomes: ſeu, notioribus titulis, ſcientiarum lumen, facundiæ lex, ſic ſedebat. Qui poſtquam omnia naturalis ſapientiæ & civilis arcana evolviſſet, Naturæ decretum explevit, compoſita ſolvantur, An. Dom. MDCXXVI. *Ætatis* LXVI. *Tanti viri memoriæ Thomas Meautus ſuperſtitis cultor; defuncti Admirator* H. P. *(b)*

Poſt

(a) *Annal. Eliſ. p. 302.* (b) *Dugdal. Baronag. III. 439.*

Post Franciscum Baconum gessit *Sant Albanensem* titulum, sub *Comitis* axiomate *Richardus Burgh* Comes *de Clanrikard* in Hibernia, vetusta stirpe, de qua plura dicendi occasio infrà reditura est, satus. Hunc R. Jacobus I. a. 1624. Paribus Angliæ aggregavit & *Baronem Somerhill* nec non *Vicecomitem Tunbridge* creavit, Carolus I. autem a. 1628. *Comitis de St. Albans* dignitate auxit. Hæredem & successorem his in honoribus habuit filium è *Francisca Walsinghama* natum, cui *Ulicko* nomen erat. Hic *Marchionis de Clanrikard* titulo amplificatus fatis a. 1659. concessit, relicta post se gnata unica *Margarita*, quam ex *Anna Compton* Wilhelmi C. Northamtoniæ filia genuit. Illa Baroni *Muskerry*, Comitis *de Clankartie* in Hibernia filio, qui in pugna navali adversus Batavos d. 28. Maji 1672. mortem oppetiit, nupta fuit.

Proximo ab Ulicki Burgi morte anno Carolus II. in avita restituendus regna, cum Bredæ ageret, *Henricum Jermyn Comitem de St. Albans* creavit. Is *Thomæ Jermyn de Rubsbroke* in Com. Suffolc. Thesaurarii domus Regiæ filius secundogenitus, equili Reginæ Henriettæ Mariæ initio præfuit, cumque ei fidem ac assiduitatem summam difficillimis temporibus exhibuisset, prætereaque Regi Carolo I. in comparandis armis aliisque ad bellum gerendum necessariis rebus sedulam operam navasset, ab eo titulo *Baronis Jermyn de St. Edmundsbury* a. 1643. cohonestatus fuit, pro se & hæredibus masculis ex corpore; his autem deficientibus ad fratrem ejus natu majorem *Thomam* ejusque natos transituro. Conclamatis Caroli I. rebus filio ejus se adjunxit, à quo inter arcanorum arbitros cooptatus, & in Galliam Legatus missus est, quo munere diligenter, prudenter & fideliter functus, Comitis honore, ceu dictum, remuneratus, & post secutam brevi restitutionem heri, officio summi Cubicularii Hospitii Regii aureaque periscelide Ordinis San-Georgiani decoratus fuit. Vitam cælebs, quantum è Baronagio Dugdalii (*a*) conjicio, peregit, hinc postquam d. 12. Jan. a. 1684. naturæ debitum octogenario major explevisset, Sant Albanensis titulus in *Carolum Beauclair*, ut initio hujus capitis dictum, translatus est, in honorem verò Baronis successit ex beneficio primæ creationis *Thomas Jermyn* fratre illius natu majore haud dubie natus, quem una cum uxore inter Barones Angliæ ad inaugurationem Jacobi II. evocatos *Sandfordius* recensuit; intereà tamen temporis è viventium numero exiisse suspicor; nec memini nomen ejus in recentissimo *Chamberlani de statu Angliæ* libello mihi esse lectum.

CAPUT XVII.

DE MARCHIONIBUS ET COMITIBUS VINTONIÆ AC WILTONIÆ FAMILIAQUE PAULETANA.



Ducibus hucusque enumeratis prima Parium Angliæ classis extremis R. Caroli II. annis composita erat: ab ejus fratre ac successore ad scriptus est eidem ordini JACOBUS *Fitz-James* DUX DE BERWICK, filius ipsius nothus, ex *Arabella Churchill* genitus, & tyrocinio militiæ, quod in Hungaria superioribus fecit annis, clarus. Hodiernus Rex inclutissimus Wilhelmus II. *quatuor* creavit *Duces* novos, videlicet *Cumbrium*, *Glocestrium*, *Boltonium* & *Schonbergium*. *Primos*, eosdemque Regii sanguinis Principes, suprà notavimus, amplior verò de iis tractatio alterius est loci; de *postremo* Germanico genere orto aliqua dicendi occasio inferius recurret. DUX DE BOLTON, CAROLUS PAULET, antehac MARCHIO VINTONIÆ dictus, primas in classe Marchionum tenebat, ad quam jam progredimur. Est illa inter omnes minimè frequens, quippe quæ sub excessum R. Caroli II. dyade implebatur, nempe *Marchione Vintonensi* jam modo memorato nec non *Halifaxio*: *Wigorniensis* enim, de quo *Parte priori* actum, in Ducum consortio jam censebatur. Regnante Jacobo II. *Wilhelmus Herbert Comes de Powys* Marchionibus aggregatus est. Rex Wilhelmus II. *Thomam Osborne Comitem de Danby* ad eundem evexit gradum & *Marchionem de Camarthen* nominavit, de quo æque ac de Powysio suo dicetur loco.

Marchio *Vintoniensis* è vetusta *Pauletorum* familia sanguinem ducit, quæ appellationem à dynastia hujus nominis, in Comitatu Somersettensi sita, *Dugdalio* (*b*) indicante, traxit, atque in duas abiit lineas, quarum naturæ ordine inferior, felicitate & dignitate superior evasit; hæc enim non tantum in consequendo Pariatus honore natu majorem longo antevertit intervallo, sed etiam ad proximos à summo fastigio gradus ascendit, cum altera in imo adhuc consistat. Nimirum è ramo natura priore JOHANNES *Paulet*, *Antonii* F. primus extitit, qui Baro Angliæ creatus fuit, anno demum 1628. d. 23. Jun. beneficio R. Caroli I. sub titulo *Lord Paulet de Hinton-S. George*, quem fundum in Somersettia situm abavo ejus WILHELMO uxor *Elisabetha Deniband*

Parte III. p. 469. (*b*) Baronag. T. III. p. 375.

SCHEMA FAMILIÆ

BARONES DE HINTON. S. GEORGE

JOHANNES PAULET, Eques, † 1378.

Thomas Paulet, Eques auratus.

Wilhelmus Paulet, Eques. *Elisabetha, Johannis Deniband de Hinton. St. George fil. ac hær.*

Wilhelmus Paulet, de Hinton. S. George.

Amias Paulet, Eques Præfectus Jersfeæ. | Elisabetha nup, *Johanni Paulet agnato.*

Antonius Paulet, Eques. *Catharina, Henrici Bar. Norris fil.*

Johannes Paulet BARO de Hinton S. George † 20. Marc. 1649. *Christiana Christophori de Kent f.*	1. Alicia nupta *Richardo Stowel de Cocherston.*	Margarita Ux. *Wilhelmi Berkley.*

Johannes B. Paulet † 15. Sept. 1665. ux 1. *Catharina, Horatii B. Vere f. Oliverii St. John vid. 2. Anna Thomæ Browne de VValcote f.*	Franciscus Paul.	Amias Paulet	Florentia nup 1. *Thomæ Smith de Long Ashton 2. Thomæ Pigot Colonello Hiberno.*	Margarita ux. 1. *Dion. Rolls de Stephenston. 2. Richardi Cholmley de Grosmunt.*	Susanna ux. *Mich. Warton de Beverley.*	N. nup. *Wilhel. Wilmot de Wantage.*	Elisabetha nup. 1. *Wilhelmo Ashburnham, 2. Wilhelmo Hartop de Rotherby.*

1. Johannes B. Paulet de Hinton S. George. † 1. *Essexia, Alexandri Popham de Littlecote f.* 2. *Susanna Herbert. Philippi II. C. Pembrochiæ f.*	Horatius Paulet.	Elisab. nup. *Joh. Sydenham de Brempston.*	Catharina. Vera.	Amias Paulet.	Carolus Paulet	Florentia † Anna †	Margarita.

1. Catharina.	2. Johannes B. Paulet de Hinton S. George.

PAULETANÆ,

COMITES DE WILTSHIRE, MARCH. DE WINCHESTER.

Uxor: *Elisabetha, VVilhelmi Credi de Credi, Armigeri f.*

Wilhelmus Paulet. *Eleonora, Eliæ dela Mere de Noney-Castle soror ac hæres.*

Johannes Paulet de Noney-Castle Eques. *Constantia, Hugonis Poynings, Thomæ B. St. John de Basing neptis & cohæres.*

Johannes Paulet; *Eleonora, Roberti Ros de Gedney fil. & cohær.*

Johannes Paulet, Eques. *Elisabetha Paulet, VVilhelmi de Hinton S. George f.*

Wilhelmus Paulet, MARCHIO VINTONIÆ, COMES WILTONIÆ, BARO S. JOHN DE BASING, *Eques Perisc.* M. Thesaurarius Angliæ, n. 1474. † 10. Mart. 157½. Ux. 1. *Elisabetha, VVilhelmi Capel Eq. f.* 2. *VVinifridis Joh. Bruges f. Richardi Sakvile vid.* † 1586.

Johan. Paulet M. Vint. C. Wilt. B. S. John † 4. Nov. 1576. ux. 1. *Elisab. Seymour, Gregorii B. Cromvvell vid.* 2. *Elisabetha, Roberti VVillougby B. Brooke f. & coh.*	Margarita ux. *Richardi VValler de Old Stoke.*	Thomas Paulet de Cosyngton *Maria, Thomæ Moore de Melpesh f.*	Chediok Paulet de Wade. *Anna, Thomæ VVhite f.*	Ægidius Paulet. *Maria, Nicolai Traps Aurificis f.*	Leonora nupta. *Richardo Pecksall.*

Wilhelm. Paulet M. Vinton. † 24. Nov. 1597. *Anna Hovvard, VVilhelmi B. Effingham f.* 1575.	Georgius Paulet de Crundall.	Richardus Paulet.	Thomas Paulet.	Maria nup. *Henrico B. Cromvvell*	Elisabetha nup. 1. *VVilhelmo Courtney de Povvderham* 2. *Henrico Oughtred. Eq.*

Wilhelm. Paulet III. M. Vinton. † 4. Febr. 1629. *Lucia Cecill Thomæ C. de Exeter f.*	Anna nup. *Thomæ Dennis.*	Catharina ux. *Ægydii VVroughton de Broad-Hinton.*	Wilhelmus Paulet ab Eddington nothus.

Wilhelm. B. Paulet St. John † m. Aug. 1621. *Maria Antonii Brovvne Vicec. Montague f.*	Thomas Paulet † cœlebs.	Johan. Paulet M. Vinton. † 5. Mart. 1675. ux. 1. *Johanna Thomæ Vicec. Savage f.* 2. *Honora Richardi Burgh C. de Clanrikard in Hib. fil. un.* 3. *Isabella Hovvard, VVilhelmi Vicec. Stafford. f.*	Henricus P.	Carol. Paulet.	Eduar. Paulet.	Elisabetha ux. 2. *Roberti Devereux C. Essex.* 1631.

1. Carolus Paulet M. Vinton. C. Wilton, B. S. John DUX DE BOLTON, cr. 21. Apr. 1689. Ux. 1. *Christiana, Joh. Freschevile de Stavely f.* 2. *Maria, Eman. B. Scroope C. Sunderl. f. Henrici Carevv vid.*	2. Johannes Paulet † cœlebs.	Franciscus B. Paulet.	Francisca.	Anna nup. *Johanni B. Bellasyse.*	Honora † innupta.

1. Johannes † infans.	2. Carolus Paulet Com. Wilton. *Margarita, Georgii B. Coventri f.* 1679. † m. Febr. 1683.	Wilhelmus Paulet.	Johanna nupta *Joh. Egerton B. Brackley.*	Maria. Elisabetha.

band attulerat, illoque in axiomate posteri ejus hactenus acquievere. Ex posteriore verò ramo WILHELMUS *Johannis* F. excellenti doctrina & prudentia, qua prædictus erat, ad ampliores honores, magnaque & honoratissima ministeria superiore jam tum seculo pertigit; namque à R. Henrico VIII. ex inspectore rationum domus regiæ Thesaurarius constitutus, & paulò post die scilicet 9. Martii a. 1538. Baro Angliæ sub titulo *Lord St. John* salutatus est, cumq; anno sequenti comitia Parlamentaria habita essent, inter Pares consedit. A. 1545. insignibus Ordinis *San-Georgiani* decoratus, expeditioni Regis ad expugnandam Bononiam interfuit, atque ab eo inter Executores testamenti sui designatus est. Ab Eduardo VI. inter Consiliarios cooptatus, *Comes VViltoniæ* d. 19. Jan. a. 1550. creatus, sequenti anno munere summi Thesaurarii auctus, & denique d. 12. Oct. 1552. ad dignitatem *Marchionis Vintoniæ* (quam Hantoniæ metropolin Angli *VVinchester* vocant) evectus est. Extincto hoc etiam Rege inter primos fuit, quibus, ut Maria regina proclamaretur, curæ erat, quare Thesaurarii officii confirmationem ab ea obtinuit, eodemq; beneficio ac favore ab Elisabetha quoq; affici promeruit. His honoribus & muniis inter crebras reipublicæ mutationes & difficillima tempora, longa vita & inoffensa laudis fama perfunctus, placida morte decessit, cum septimum & nonagesimum ætatis annum explevisset. Interrogatus aliquando, quomodo inter tot insignes Politici & Ecclesiastici status mutationes incolumis perstiterit, respondisse fertur: *Salicem me præbendo, non robur.* Longævæ adeò vitæ hunc etiam fructum tulit, ut CIII. liberos ex se suisve procreatos ante mortem numeraverit; de quibus cunctisque ejus posteris, quod referam non reperio, nisi quod in dignitates ab ipso acquisitas ordine successerint, ex honoris amplitudine & avitis opibus magis quàm realia illustres, ut *Camdeni (a)* verba de *VVilhelmo tertio Marchione Vintoniæ* huc transferam. CAROLUM PAULET *Marchionem Vintoniæ* hodiernum, illius pronepotem, Rex Wilhelmus ad dignitatem *Ducis de Bolton* novissimè provexit; alteruter ex ejus filiis d. 25. Aprilis, anni, quo hæc scribimus, 1689. Hagæ Comitis nuptias cum gnata *Amandi de Caumont Marchionis de Montpouillan* celebravit.

Tessera Pauletorum gentilitia *gladios tres argenteos, quorum cuspides deorsum protensæ coeunt, in parma nigra* repræsentat: *Galeam* premit *falco* deauratus corona collum cinctus, & nolis ligaeulisque instructus; sustinetque clypeum utrinque *cerva* millo coronata, & stellis per omne corpus dispersis ornata.

Subjungere quædam convenit de illis, qui ante Paulettos titulum Vintoniensem & Wiltoniensem gesserunt; primus autem eo usus esse reperitur *Sajerus de Quincy*, cui pater erat *cognominis*, dynastia *Buchbye* in Northantonia à R. Henrico II. donatus, mater *Mathilda de St. Liz*; conjux verò *Margarita* è priscis Leicestriæ Comitibus orta, & fratris sui Roberti *Fitz-Parnell* C. Leicestriæ cohæres, cum sorore sua Avicia Simonis Montfortii uxore. *Sajerus* in literis, quibus à R. Johanne in partem ditionum, quas socer ejus affinisque tenuerant, immissus est, *Comes de Winckester* (teste (b) *Dugdalio*) audit, quod axioma post ipsius mortem quæ in annum 1219. incidit, filius ejus *Rogerus* assumsit, qui æque ac fratres ejus, *Roberti* ambo nominati, prole mascula caruerunt; quemadmodum è subjecta diatyposi videre est.

Tab XL.

SAJERUS DE QUINCY, COMES DE WINCHESTER, Sajeri è Mathilda de S. Litz F. † a. 1219. *Margarita, Roberti C. Leicestriæ fil.*

Robertus de Quincy 1. *Havisia Hugonis Kevelick C. Cestriæ f.*	Rogerus C. de Winchester † 25 Apr. 1264. 1. *Helena, Alani de Galvvay f. 2. Mathildis de Bohun Humphredi C. Hereford. f. Anselmi Mareschall C. Pembroch. vid. 3. Alienora, Wilhelmi de Ferrers C. Derb. f. Wilhelmi de Vaux vid.*	Havisia nup. *Hugoni de Vere C. Oxon.*	Arabella ux. *Richardi de Harcourt II. B. de Bosvvorth.*	Robertus de Quincy II. † 1257. ux. *Helena Leolini Pr. Wall. f. Joh. Scott. C. Huntingdon vid.*

Margarita nup. *Johanni de Lacie C. Lincolniæ*	1. Margarita ux. *Wilhelmi de Ferrers C. Derbiæ.*	Elisabetha nup. *Alexandro Comyn Com. de Bonhan in Scot.*	Ela ux. *Alani la Zousche.*	Johanna nup. *Humphredo de Bohun.*	Margarita ux. *Balduini Wake.*	N. *monialis.*

Elapso aliquo temporis intervallo à morte *Rogeri de Quincy* collata fuit dignitas Comitis Vintoniæ *Hugoni le Despenser Seniori* a. 1341. à R. Eduardo II. apud quem ille gratia & auctoritate (c) florebat, in hac etiam hæredem nactus filium *Hugonem*, *Juniorem* dictum, & inter præcipua vicissitudinis humanæ exempla numerandum, non autem in illa; sed cessavit post prioris excessum iterum Vintoniensis titulus, usque ad regnum Eduardi IV. qui eo *Ludovicum de Bruges* Dyna-

(a) *Annal. p. 101.* (b) *Baronag. T. I. p. 687.* (c) *Dugdal. Ib. p. 391.*

Dynastam *de Gruthuse* & Principem *de Steenhuse*, genere Belgam, & cum à Lancastricis pulsus esset, bene de se meritum auxit; atque insignia addidit, nempe *maculas decem aureas in parma cærulea*, quæ *quadram angularem, leopardo Anglico ornatam*, habebat. (*a*) Versis autem deinde rerum vicibus Ludovicus titulum illum cum insignibus abdicavit, & R. Henrico VII. reddidit.

Wiltoniæ, quæ Anglis *Wiltshire* appellatur, Comes primus fuit *Wilhelmus Scroope*, Henrici Baronis Scroope de Masham filius natu minor, à R. Richardo II. eò honoris elatus, cujus *felicitas* (Camdeni verbis) *cum suo Principe & stetit, & cecidit: quum enim ille regno exturbatus, hic capite mulctatus*. Genus ejus antiquum erat ac illustre, in *duas* divisum *lineas*, videlicet *Boltonensem* & *Mashamensem*, in utraque primogeniti *Barones* audiebant, prior posteriore diutius floruit: hæc etenim seculo superiore, regnante Henrico VIII. defecit, postquàm *Thomas*, *Henricus*, *Radulphus* & *Godofredus* fratres, qui sibi invicem in honorem Baronis *Scroope de Masham & Upsall* successerant, sine prole mascula ad plures abiissent. Illa hoc demum seculo in *Emanuele Barone Scroope de Bolton*, quem R. Carolus I. *Comitem Sunderlandiæ* creaverat, extincta est. Cæterum Wilhelmo Scroope Comite Wiltoniæ honore & vita exuto *Jacobus Butler* Ormondiæ in Hibernia Comes titulo illo auctus fuit, qui deinde ad *Johannem Stafford*, secundum Humfredi Ducis Buckingamiæ filium, aliosque ex eadem gente beneficio Eduardi IV. devenit. Post illos *Thomas Bullen* iure materno *Wiltoniæ Comes* creatus est. Denique verò Eduardus VI. hanc dignitatem *Wilhelmo Pauleto* contulit.

CAPUT XVIII.

DE MARCHIONE HALIFAXIO ET FAMILIA SAVILEA.



GEORGIUS SAVILE, antiquo & nobili in Comitatu Eboracensi genere prognatus, cum summum atque excellens ingenium, quod naturæ beneficio acceperat, pulchra per Europam peregrinatione, multaque lectione excoluisset atque auxisset, & redux ab illa ad penates factus, perturbato tunc regno, ita versatus esset, ut semper optimarum par ium & esset & existimaretur, neque tamen se civilibus fluctibus committeret, quod cum *Nepotis Attico (b)* non magis eos in sua potestate existimabat esse, quam qui maritimis jactarentur, post Angliam in pristinum habitum reformatam, in R. Caroli II. dignationem pervenit, atque ab eo Baronibus regni sub titulo *Lord Savile of Eland* d. 13. Jan. a. 1667, adscriptus, biennioque elapso *Vicecomes Halifax*, (quod oppidum est celebratissimum, in Eboracensi diœcesi situm atque à *sacris capillis* virginis cujusdam, ab amatore suo ob pudicitiam, quam expugnare nequiverat, trucidatæ, sic dictum, cùm olim *Horton* appellaretur, ceu *Camdenus* (*c*) tradit) tum a. 1679. *Comes*, & denique d. 12 Aug. 1682. *Marchio de Halifax* creatus eodemque temporis tractu officio Custodis Privati Sigilli, quod inter præcipua Coronæ Anglicæ munera quintum obtinet locum, ornatus est. (*d*) Anno 1683. in gravem & momentosam litem cum Commissariis Thesauratus eorumque Præside *Laurentio Hyde Comite Raffensi* lapsus, utpote quos defraudati ærarii regii postulaverat, cecidit in judicio, quod tamen adversariorum potentia magis, quam causæ injustitia evenisse *Gregorius Leti* (*e*) literis prodidit; sequenti verò anno nova Cancellarii Reginæ dignitate auctus ac delinitus fuit. Parentes ei erant *Wilhelmus Savile Baronetus* & *Anna*, Thomæ B. *Coventrie* gnata, avus *Georgius Savile de Tornhill* Eques auratus & Baronetus, avia, *Maria Talbot*, *Georgii C. Salopiæ* filia. Uxorem duxit *Dorotheam*, Henrico B. *Spenser* C. Sunderlandiæ natam, eaque defuncta ad secunda transiit vota, sociando sibi *Gertrudin*, Wilhelmi *Pierpont de Thoresby*, Armigeri filiam. E priore nati ei sunt:

1. Henricus Savile *Baro Eland* † mense Octobri 1687. hunc fuisse arbitror, cui virginem Gallicam è *Turria* apud Delphinates familia ortam, *Marchionis de Gouvernet gnatam unicam*, in manum convenisse *Mercurius Politus Gallicus* mensis Julii, anni 1684. nunciavit.

(*a*) Dugdal. T. III. p. 283. (*b*) Corn. Nep. in Attico c. 6. (*c*) Descr. Brit. p. 558. (*d*) Greg. Leti Theatr. Brit. P. II. Lib. 7. p. 460. (*e*) Ibid. L. 4. p. 165. & seqq.

2. Wilhelmus Savile; huic, *Baroni Eland* nunc dicto, ductam esse exeunte a. 1687. uxorem, *Equitis Grimston filiam*, è Novellis accepimus.

3. Georgius Savile, in oppugnatione Budæ gloriosa morte cum aliis illustribus volonibus noctu inter 13. & 14. Jul. 1686. defunctus.

4. Anna Savile.

Fratrem etiam habuit Halifaxius, *Dominum Savile* communiter appellatum, qui Oratoris munia in aula Gallica obiit, & Lutetiæ Parisiorum anno 1687. fatis concessit. Altius verò aut larius genealogiam dicti Marchionis *Dugdalius* deducere supersedit, neque *Comitum Sussexiæ* eodem genere satorum stemma cum illo connexuit, sed separatim id recensuit, (*a*) cujus diatyposin haud intempestive subtexturi videmur.

TAB. XLI.

HENRICUS SAVILE de Tornhill, Thomæ F. Eques Balnei cr. à R. Henrico VIII. uxorem habuit *filiam & coheredem Thomæ Southell Armigeri, & Concubinam N. Barkston.*

Eduardus Savile filius legitimus unicus, at fatuus.

Robertus Savile alias Barkston, è Concubina hujus nominis natus, Eques aur. Sheriffus Lincolniæ a. 1572.
N. *Johannis B. Hussie soror, Richardi Thimelby vidua.*

Johannes Savile, de Howley Eques, BARO de Pontfract creatus à R. Carolo I. a. 1628. d. 21. Jul. Ux. 1. *Catharina, Caroli B. Willoughby de Parham fil.* 2. *Elisabetha, Eduardi Carew fil.*

2. Henricus Savile, *Helena, Wilhelmi Oglethorpe f. & cohær.*

Eduardus Savile † *ἄγ.* *Anna Richardi Tolson de Cockermouth f.*

Thomas Savile B. de Pontfract. VICECOMES de Castlebarr in Hib. COMES SUSSEXIÆ cr. 25. Maji 1644. † . . . . Ux. 1. *Francisca Michaelis Sonds de Throuley f. Joh. Leveson vid.* 2. *Anna Villers, Christophori Com. d' Anglesey f.*

Robertus Savile † improlis.

Edmundus Savile † cœlebs.

Catharina nup. *Thomæ Bland de Ripey.*

Anna uxor *Petri Leigh.*

Elisabetha nupta. 1. *Alverico Copley de Batley*, 2. *Richardo Banks.*

Francisca nup. *Thomæ Bradley D. Theol.*

Johannes Savile † juvenis.

2. Jacobus Savile Comes Sussexiæ † a. 1671. improlis. *Anna Roberti Wake, Mercatoris Antverpiensis fil.*

Francisca nupta *Francisco Bar. Brudnel.*

Insignia Marchionis *de Halifax* in scuto *argenteo fasciam diagonalem nigram*, in qua *tres noctuæ*, dicto metallo tinctæ, depictæ sunt, repræsentant.

(*a*) *Baronag. T. III. p. 462.*



CAPUT

CAPUT XIX.

DE COMITIBUS OXONIÆ ET FAMILIA VERIA.



Ad tertiam Parium Angliæ classem stylus jam progreditur, eamque antiquissimam & frequentissimam Comitum scilicet, qui Anglis *Earls* vocantur: agmen ducit *Oxoniensis*, quo axiomate post Conquestoris ævum sola *Veriorum* familia, per quinque jam secula gavisa est, & præter fundatissimæ & antiquissimæ nobilitatis decus, perpetuæ etiam fidelitatis gloriam sibi peperit: Hinc (quod *Becmanus* in *Notitia dignitatum illustrium* (a) notavit) dum Proceres Angliæ Albis bacillis suis Parlamentum ingrediuntur, & singuli tot nigricantes lineolas in bacillis ductas gerunt, quot criminibus in Regiam Majestatem se familia ipsorum polluerit, soli *Verii* inter antiquas familias licet jam in vigesimo & amplius gradu descendentium constituti *baculo toto albo* adhuc nituntur, in puritatis ac innocentiæ ipsorum testimonium. Genealogiam hujus inclytæ gentis *Dugdalius (b)* ab ALBERICO DE VERE exorsus est, quem Wilhelmi Conquestoris ætate claruisse, & dynastiis in diversis Angliæ regionibus abundasse refert, subjungens dari, qui Comitem Gisnæ in Gallia eundem fuisse tradant, eo quod Manassis C. Gisnensis è gnata Sibyllam neptem in conjugio habuerit. Filiorum ejus natu maximus ALBERICUS JUNIOR munus supremi Regni Angliæ Cubicularii, quod inter summa regni officia sextum tenet locum, à R. Henrico I. ipsi collatum, obiit, & regnante Stephano Londini interemptus, filium cognominem post se reliquit; qui in paterno officio à Mathilda Imperatrice confirmatus atque ab ejus gnato R. Henrico II. reditibus ex Oxoniensi Comitatu titulo que *Comitis Oxoniæ* auctus est. Filium ejus natu minorem eumque majoris in Comitatu successorem ROBERTUM inter duces rebellionis adversus R. Johannem a. 1216. factæ fuisse, hujusque nepotem ROBERTUM II. factionem Montfortiam adversus R. Henricum III. secutum esse *Dugdalius* memorat, quod salva fidelitate, paulo ante alieno testimonio de hac gente celebrata, fieri potuisse quis non ambigat?

JOHANNES VERUS, post Roberti III. patrui sui obitum, *Comitis Oxoniæ* axioma, hæreditario jure assumsit, plerarumque expeditionum R. Eduardi III. adversus Gallos & Scotos, & imprimis victoriæ in Pictonibus de illis reportatæ magna pars. Ejus è filio primogenito nepotem ROBERTUM IV. in altiorem ordinem favor R. Richardi II. extulit: auctus enim ab eo matrimonio amitinæ ipsius, mox *Marchio Dublini* creatus, totius Hiberniæ dominio utili donatus, & denique ad *Ducem Hiberniæ* provectus est, frement e omni nobilitate, virum nec animo nec ingenio præstantem ad titulos in Gallia hactenus inauditos efferri sibique cunctis anteponi, ita ut ad publicam querimoniam res excederet; cumque ille nimia felicitate insolens & libidinosus redditus de repudianda *Philippa de Coucy* uxore sua, & alia fœmina, genere Bohema, cum Regina in Angliam delata, ducenda cogitaret, odium etiam Glocestriæ Ducis patrui Regis, qui etiam Philippæ avunculus erat, sibi attraxit: cunctorum præterea expectationem, ut ad occupandum Hiberniæ dominium trajiceret, frustratus, & quod autor Regi primates regni è medio tollendi extitisset, palam culpatus, ansam præbuit proceribus insurgendi & arma corripiendi, qui à Rege Westmonasterium citati, & de causa motuum interrogati, non aliam esse responderunt, quam ut ipsius honori ac commodo consulerent, & à perfidis scelestisque viris, quos circa se haberet, quorumque antesignanus *Robertus Verus* esset, eum liberarent. Rex quamquam bene sperare eos jussisset, facultatem tamen Roberto dedit, in Walliam eundi, & quantas posset copias contrahendi: is verò rebus suis diffisus, assumto servili habitu in Cestriam secessit, atque inde una cum Michaele de la Pole C. Suffolciæ, proceribus æque inviso, trajecit. Reversus non ita multo post in Angliam cum exercitu quinque millium militum, incidit in Lancastrii Glocestriique copias, quibus cinctus, abjectis armis & amnem *Isin* in Oxonia transnando, evasit; à Parlamento deinde, quod Rex in gratiis convocaverat, citatus, cum non comparuisset, proscriptus, omnibusque possessionibus, præter illas, quas ex pacto & providentia majorum tenebat, mulctatus est. Hinc iterum transmare profugus, & cum aliquando venaretur, ab apro percussus, è vulneribus miser atque inops prope Lovanium contabuit.

Roberti IV. successionem, quoad avita bona & Comitatum Oxoniensem adiit ejus patruus ALBERICUS V. munere verò *supremi Angliæ Cubicularii*, quod majores ipsius hactenus gesserant, carere coactus est, quippe quod R. Richardus II. Johanni Holland C. Huntingdoniæ concu-

(a) *Dissert. IX. Cap. 5. §. 2.* (b) *Baronag. T. I. p. 188.*

SCHEMA FAMILIÆ
COMITES DE

ALBERICUS DE VERE cogn. Senior.

Albericus de Vere II. cogn. Junior, M. Angliæ Cubicul. occ. a. 1140. *Adelisa, Gilberti de Clare f.* Godofredus de Vere † ante patrem.

Albericus de Vere III. COMES OXONIÆ † a. 1194. *Lucia.* .... N. de Vere, *Canonicus S. Ositha de Chich.* Robertus de Vere.

Albericus de Vere IV. Com. Oxoniæ, † improlis a. 1215. Robertus de Vere Comes Oxoniæ † a. 1220.

Hugo de Vere Comes Oxoniæ † 1263.

Robertus de Vere II. Comes Oxoniæ † 1296.

Robertus de Vere III. C. Oxon. † 1331. *ux. Margarita Mortimer Rogeri C. March. f.* Hugo de Vere † improlis. *Dionysia, Wilhelmi de Montchensi f.* † 1313.

Johannes de Vere Comes Oxoniæ † 24. Jan. 1359.

Thomas de Vere Comes Oxoniæ † a. 1371. *Mathilda Radulphi de Ufford f.* † 1412. Margarita nup. 1. *Henrico B. Beaumont,* 2. *Johanni Devereux Equiti.*

Robertus de Vere IV. Comes Oxoniæ, Marchio Dublini Dux Hiberniæ † 1392. improlis. *Philippa de Coucy, Ingelrami C. Bedfordiæ f.*

Johannes de Vere II. Com. Oxoniæ, *decoll.* 26. Febr. 1462. *Elisabetha, Johannis Hovvard Eq. fil.*

Albericus de Vere *decoll.* cum patre. *Anna Humphredi Stafford D. Buckingf.* Johannes de Vere III. C. Oxon. Eq. Per. † 10. Mart. 1513. 1. *Margarita Nevil, Richardi C. Sarisb. f.* 2. *Elisabetha, Richardi Scroope f. Wilhelmi Vicec. Beaumont vid.* Georgius de Vere *Margarita, Wilhelmi Stafford de Frome fil.* Richardus de Vere, Eq.

1. Johannes de Vere † juv. in Turri Lond. Johannes de Vere IV. C. Oxon. *Eq. Per.* † 14. Jul. 1526. improlis. *Anna Hovvard, Thomæ D. Norfol. f.* Elisabetha nup. *Antonio Wingfield Eq.* Dorothea ux. *Johannis Nevil, B. Latimer.*

Johannes de Vere VI. C. Oxon. † 1562. Ux. 1. *Dorothea Nevil, Radulphi C. Westmorl. f.* 2. *Margarita, Johannis Golding f.* Francisca nupta *Henr. Hovvard C. Surriæ.* Anna nupta *Edmundo B. Sheffeild.*

1. Catharina nup. *Eduardo Baroni Windsor.* 2. Eduardus de Vere Com. Oxon. † 24. Jun. 1604. Ux. 1. *Anna, VVilhelmi Cecill, B. Burghley f.* † 5. Jun. 1588. 2. *Elisabetha, Thomæ Trentham de Rouceter f.* Maria nup. *Peregrino Bartu, B. Willoughby de Eresby.*

1. Elisabetha n. 22. Jun. 1575. nup. *VVilhelmo Stanley C. Derbiæ.* Brigitta n. 6. Apr. 1584. ux. *Francisci B. Norris de Ricot C. Bercheriæ.* Susanna n. 26. Maji 1587. nup. *Philippo Herbert C. de Montgomery.* Henricus de Vere † improlis 1625. *Diana Cecill, Wilhelmi C. Exon. f.*

Albericus de Vere VI. Comes Oxoniæ, Baro Bolebec *Eques Periscelidis.*

1. *Anna, Pauli Vicecom. Banning f.* 2. *Diana, Georgii Kirke f.*

VERIÆ
OXFORD.

Ux. *Beatrix, Henrici Castellani de Bourbourg & Sibyllæ de Ghisnes fil.*

Rogerus de Vere. Robertus de Vere. Wilhelmus de Vere. Rosa nup. *Godofredo de Mandevill C. Essexiæ.*

Galfridus de Vere. Wilhelmus de Vere. Adelisa uxor *Henrici de Essex.* Juliana.

Ux. *Isabella, Hugonis de Bolebec f. Walteri soror ac hæres.*

Ux. *Havvisia, Margaritæ Comitissæ Vinton. fil.*

Ux. *Alicia, Gilberti Bar. Samford. fil. ac hær.*

Thomas de Vere † ux. *Agnes Pain Tiptoft vid.* Alphonsus de Vere. Uxor *incomperta.* Johanna nup. *Wilhelmo de Warrennes* † 22 Dec. 1293.

Ux. *Mathilda, Ægydii de Badlesmere sor. & cohær. Roberti Fitz-Pain vid.*

Albericus de Vere V. Comes Oxoniæ † 23. Apr. 1400. *Alicia, Johannis B. Fitz-VValter f.* Isabella nup. 1. *Johanni Courtney* 2. *Oliverio Dinham, Eq.*

Richardus de Vere Comes Oxoniæ, Eq. Perisc. † 1416. *Alicia, Richardi Sergeaux Eq. f. & coh.* Johannes de Vere. † cœlebs. N. nupta *Johanni Fitz-Levves.*

Robertus de Vere *Johanna Hugonis Courtney de Hacham fil. Nicolai Bar. Carevv vid.*

Thomas de Vere Eq. Maria, *monialis.* Johanna nup. *Wilhelmo Norres de Patenden, Eq.* Elisabetha uxor *Wilhelmi Bourchier.* Johannes de Vere, *Alicia Walteri Kilrington, al. Colebroke f.*

Ursula nup. *Edmundo Knightly, Armig.* Johannes de Vere V. Comes Oxoniæ † 21. Marc. 1540. *Elisabetha, Eduardi Trussel de Cublestonf.*

Albericus de Vere. *Margarita Johannis Spring de Lanham f.* Galfredus de Vere.

Hugo de Vere. Franciscus de Vere Eq. Præf. Brielæ † 28. Aug. 1608. *Elisabetha* . . . . . Horatius de Vere Eques Baro de Tilbury † . . . *Maria, Joh. Tracy de Dodington f.* Johannes de Vere de Kirckby-hall.

Robertus de Vere V. C. Oxon. occ. in obsid. Trajecti ad Mosam. *Beatrix de Hemmema è Frisia.* Elisabetha ux. *Johanni B. Haughton.* Maria nup. 1. *Rogero Tounshend de Raynham.* 2. *Mildmajo Fane, Com. Westmorl.* Catharina nup. 1. *Oliverio St. John.* 2. *Johanni B. Paulet.* Anna uxor *Thomæ B. Fairfax de Cameron.* Dorothea uxor *Joh. Wolstenholme.*

Horatius de Vere † juv. Franciscus de Vere. † juv. Maria. Magdalena. Susanna obiere in juventa.

contulit. Filius *Alberici* Comes RICHARDUS eum assensisset, ut vidua Roberti IV. *Philippa* dotem suam è gentilitiis Veriæ stirpis prædiis perciperet, in possessiones post *Roberti* proscriptionem fisco addictas, à R. Henrico IV. restitutus est. Natorum ejus majori Comiti JOHANNI II. constans erga Henricum VI. fides ac studium extremam peperit calamitatem: cum enim Eboracensis factio Lancastrica superior evasisset, rerumque potitus Eduardus IV. primo regni sui anno ad d. 4. Nov. Parlamentum convocasset, quo Henricus VI. regno mulctatus est, curavit is Oxoniæ Comitem, filiumque ejus natu maximum ALBERICUM perduellionis reos peragi, & post aliquod temporis intervallum capite truncari.

Reliqui illius filii nihilo secius à partibus Henrici VI. perstiterunt, è quibus JOHANNES III in prælio *Barnetensi* pro eo quidem dimicavit, sed cladis acceptæ insons causa fuit; namque tesseræ loco *stella grandioribus radiis picta* usus, cum copiæ ejus, à Warwicensi Comite, Lancastricæ factionis duce, pro regiis *Solem* gerentibus, habitu atque armis infestatæ essent, ille destinato id fieri suspicatus ac se prodi vociferatus, prælio cum suis excessit, victoriamque Eboracensibus faciliorem reddidit, delapsus autem deinde in R. Eduardi IV. potestatem, ab eo una cum fratribus suis GEORGIO & THOMA, perduellionis postulatus, & in arce Hamms custodiæ mandatus fuit. Ex ea regnum usurpante Richardo III, opera præfecti Jacobi Blount elapsus cum Joh. Fortescue, portarum Caleti custode, ad Henricum Tudor Richmondiæ Comitem se contulit, atque incredibili ab eo exceptus est lætitia, quod (*Polydori* (*a*) verba refero) *homo magnanobilitatis scientiaque in bello & integerrima fidei, suarum partium studiosissimus, tandem vinculis, Deinutu, solutus, in tempore tam opportuno sibi venisset subsidio, in quo tutius, quam in quocunque alio spes suas ponere, atque acquiescere posset.* Neque ille fiduciam hujus destituit, sed virtute sua victoriæ *Bosvvortensis*, cum qua regnum Henricus Richmondius obtinuit, præcipuum extitit momentum, à novo Rege confestim in integrum restitutus, inter arcanorum arbitros cooptatus, munere supremi Senescalli in ejus Inauguratione ornatus, novis porro prædiis atque officiis Comestabilis Turris Londinensis nec non Clarensis castri & Thalassiarchæ per Angliam, Hiberniam & Aquitaniam auctus, denique etiam dignitate *Supremi Angliæ Cubicularii* quasi jure postliminii amplificatus. Cum nulla relicta prole fatis concessisset, successorem nactus est nepotem è fratre Georgio JOHANNEM IV. vulgò *Little John of Campes* appellatum, qui itidem sine liberis mortuus Comitatum Oxoniensem agnato suo JOHANNI V. reliquit. Huic in secretiore R. Henrici VIII. Senatu locus fuit & egregia mascula proles, è qua primogenitus JOHANNES VI. Comes expeditioni Bononiensi, à dicto Rege paulò ante obitum suum susceptæ interfuit, pater Comitis EDUARDI, qui patrimonium *Camdeni* (*b*) verbo *profligavit*, quod odio soceri sui Wilhelmi Cecilii Burghlæi, quem Norfolciæ Ducem ab Elisabetha capite multatum, non servasse, cum potuisset, vehementer indignabatur, & redigendæ ad incitas ejus filiæ, quam uxorem habebat, factum ab illo esse, *Dugdalius* (*c*) refert.

HENRICUS *Verus*, *Comes Oxoniæ*, Eduardi F. annuam pensionem mille librarum, in solatium attritæ familiæ à R. Jacobo percepisse & graves cum Buckingamio simultates exercuisse *Johnstono* (*d*) memoratur; ægre quippe ille tulit se ad nullam curæ publicæ partem admitti, ideoque dominationem illius passim libere & acriter insectatus est; bis ea propter in Turrim conjectus. *Hinc abjecta spe dignitatis aut gratiæ ad otium iners secessit, atque in contubernio fervidorum juvenum ebrietatis & Veneris labem contraxit, quam postea victus sobrietate & legitimo matrimonii usu eluit.* Provecta ætate ad militiam converso animo, eximia fortitudinis ac magnanimitatis specimina præbuit, maxime cum Batavis adversus Hispanos militaret, & castra Spinolæ, qui Bredam obsidione cinxerat, omni vi oppugnantibus operam navaret. Apud illos etiam in ætatis robore vivendi finem fecit, multa laude ab hostibus non minus atque à popularibus (*e*) referente dicto autore, celebratus. Delatum in Britanniam cadaver exquisito apparatu funeris & in marmoreo monumento majorum sepultum est. Prole quoniam carebat, patrimonium ejus quondam amplissimum, sed sumptibus immodicis à patre exhaustum, ad proximum agnatum ex virili stirpe ROBERTUM, hujus nominis *Quintum*, *Hugonis* filium pervenit. Huic cum de successione ista litem movisset *Robertus Bartu B. Willoughby*, Henrici C. Oxoniæ amitinus, lata est sententia, ut *Robertus Verus* dignitate *Comitis Oxoniæ*, jure avito ad ipsum devoluta, gauderet, officium verò *summi Angliæ Cubicularii*, Veriæ familiæ hactenus hæreditarium, *Willoughbæo* cederet. (*f*) Itaque illo vita defuncto ALBERICUS VERUS ejus gnatus *Comitis Oxoniæ* axioma assumsit, hodieque eo præminet, Ordinis etiam *San-Georgiani* insignibus à R. Carolo II. ornatus, & Vicarii regii in Essexia munere auctus. Quæ nunc matrimonium ejus tenet *Diana Kirkia*, soror est strenui ac providi bellatoris *Kirkii*, qui in novissima expeditione Hibernica clarus factus est, & liberatæ *Londino-Derriæ* (quæ civitas in extrema parte Boreali Ultoniæ super amnem

(*a*) Ex Hist. Angl. Lib. XXV. p. 558. (*b*) Annal. regn. Elis. Parte I. (*c*) Baronag. T. I. p. 200. (*d*) Hist. rer. Brit. L. XVIII. p. 580. (*e*) Lib. XXI. p. 678. (*f*) Dugdal. Loc. cit.

amnem *Logiam* sita, atque à Colonia, quam Londinenses illuc miserunt, sic dicta est, cum olim nudo Derriæ nomine appellata fuerit) decus retulit.

FRANCISCUS & HORATIUS *de Vere*, fratres, singulari rerum bellicarum peritia, & rebus in Belgio fortiter gestis, antiquæ nobilitati plurimum splendoris addiderunt: *priorem* equidem acrius, quo erat, ingenium & linguam immodice liberam multorum odio exposuisse *Johnstonus* (*a*) refert, nec caruit invidia & obtrectatione, cum a. 1596. præfecturam Brielæ, ab Ordinibus Fœderatis oppignoratæ, obtinuisset, potentissimis Competitoribus à Regina Elisabetha prælatus, quæ fidem ac diligentiam fortissimi viri perspectam habens, dixisse apud autorem modo dictum (*b*) legitur: *Vero nihil verius. Horatium* Belgica militia defunctum, R. Jacobus copiis auxiliaribus, ad tuendum contra Hispanos Palatinatum a. 1620. submissis, præposuit, quem postea R. Carolus I. primo regni sui anno Baronem sub titulo *Lord Vere of Tilbury* creavit; hoc autem honore haud diu gavisus esse videtur, eo quod illo tantum anno, nec amplius, in *Submonitionibus* ad Parlamenta, à *Dugdalio* collectis ac editis, recensetur. Cæterum hanc illustrium fratrum bigam *nepotes* Comitis *Johannis* V. fuisse, nec gnatos, ceu idem autor, in *Baronagio* tradidit, tum ex supputatione ævi, ad quod superfuere, colligere licet, tum ex *Camdeno*, compilator descriptionis Angliæ, (*c*) quæ inter *Resp. Elzevirianas*, ut vocari solent, continetur, retulit, atque ex *Francisci* Epitaphio, *Westmonasterii* ex stante, liquet, ita enim hoc se habet: *Francisco Vero Equiti aurato, Galfredi F. Johannis Comitis Oxoniæ nepoti, Brieliæ & Portsmuthæ Præfecto, Anglicarum copiarum in Belgio Ductori summo: Elisabetha uxor viro charissimo, quo cum conjunctissime vixit, hoc supremum amoris & fidei conjugalis monumentum mæstissima, & cum lacrymis gemens, posuit. Obiit 28. die Augusti An. salut. 1608. Ætatis suæ 54.*

Scutum Veria familiæ gentilitium in *quadras* sectum est, quarum prima & extrema *rubent*, reliquæ *candent*, solaque prima *stella* distincta est *argentea*; *Cassidem rubea* tegit *vitta*, quam premit *aper cæruleus*: qualis etiam *telamonis* instar clypeum à dextris sustinet, sociam à sinistris *Harpyjam* habens.

CAPUT XX.

DE COMITIBUS SALOPIÆ ET FAMILIA TALBOTANA.



SEcundum inter Angliæ Comites locum, obtinet *Salopia*, quæ Anglis *Shrewsbury* appellatur, & metropolis est Comitatus ejusdem apud Latinos nominis, popularibus autem *Shropshire* dicti, & Staffordiam inter, Montgomeriam, Wigorniam & Cestriam siti. Primum Salopiæ Comitem R. Wilhelmus I. creavit *Rogerum de Belesmo* sive *Montgomery*, qui etiam Arundeliæ Comes fuisse supra (*d*) dictus est. Huic successit primum *Hugo* filius natu maximus sine prole in Wallia occisus, deinde *Rogerus* è filiis alter, vir efferata immanitate in suos ipsius filios, & obsides, quibus suis manibus oculos eruit: sed tandem læsæ Majestatis reus in carcerem perpetuum ab Henrico I. conditus, pœnas nefariis sceleribus dignas persolvit, & Salopiensis Comitatus in *Adelisiæ* Reginæ dotem transscriptus fuit. Post multa tandem secula R. Henricus VI. anno regni sui XIX. qui seculi decimi quinti primus supra quadragesimum erat, JOHANNEM TALBOT, *quem ad bellicam virtutem & natura peperisse, & voluntas exercuisse videntur* (*Camdeni* (*e*) verba refero) hoc honore exornavit. Primus illius nominis *Dugdalio* repertus est *Richardus Talbot*, in instrumento donationis, à Waltero Gifford Comite Buckingamiæ monachis Cerasiensibus in Normannia Wilhelmi Conquestoris ævo factæ, inter testes enumeratus. Proxime ab eo *Galfredi* seu *Godofredi Talbot* mentio occurrit, qui regnante Henrico I. dimidiam dominii sui *Little Wrotham* in Cantio partem monachis Roffensibus donavit, & postea Mathildæ Imperatricis partes amplexus, R. Stephano nonnihil negotii facessivit. Hujus frater autori nostro videtur fuisse Hugo Talbot, qui multis in monachos Bellobecenses in Normannia beneficiis collatis, tandem & ipse cucullum induit, hocque in cœnobio extremam ætatem exegit, pater trium filiorum, videlicet *Richardi*, *Wilhelmi*, & *Hugonis*; horum primo gnatus tribuitur *Gilbertus* & ex eo nepos RICHARDUS TALBOT II. à quo schema initium capit, genitore GILBERTI II. Is in conjugio habuit *Guentlianam* sive *Guendolinam*, Rhesii *de Griffith* Principis Walliæ gnatam,

Z

(*a*) Lib. XIV. p. 462. (*b*) Lib. VII. p. 221. (*c*) p. 531. (*d*) Cap. I. (*e*) Descr. Britann. p. m. 479.

FAMILIA TALBOTANA
COMITES DE

RICHARDUS TALBOT hujus nominis II. Gilberti F. Richardi I. N. Hugonis Abn.

Gilbertus Talbot II. † a. 1274. Guenthliana seu Guendolina, Rhesi de Griffith, Pr. Walliæ f.

Richardus Talbot III. de Echeleswell † a. 1306.

Gilbertus Talbot III. de Echeleswell, Supr. Cubicularius R. Eduardi III. † 1346.

Richardus Talbot IV. de Goderich-Castle, Præfectus palatii sub Eduardo III. † 23. Oct. 1356. *Elisabetha, Johannis Comyn de Badenagh in Scot. soror & hæres.*

Gilbertus Talbot IV. † 24. April 1386. *Petronella Butler, Jacobi C. Ormond. f.*

Thomas Talbot *Presbyter.*

Richardus Talbot V. † 7. Sept. 1396. *Ankareta, Johannis le Strange de Blackmere f.*

Gilbertus Talbot V. B. de Irchenfield & Blackmere, *Eq. Per.* † 19. Oct. 1419. ux. 1. *Johanna Plantagenet Thomæ de Woodstock. D. Glocestr. f.* 2. *Beatrix, Johannis R. Lusit. fil. natur.*

Johannes Talbot de Hallomshire, B. Furnivall, COMES SALOPIÆ, cr. 20. Mart. 1442. Com. de Waterford. in Hib. *Eq. Per.* occ. 20. Jul. 1453. 1. *Mathilda, Thomæ Nevill de Furnivall fil.* 2. *Margarita Beauchamp. Richardi, C. Warvvic. fil. 1438.* † *14. Jun. 1468.*

1. Ankareta † 1422.

1. Thomas Talbot † ante patrem in Gallia.

Johannes Talbot II. C. Salopiæ, Cancellarius Hibern. occ. in pr. Northampton. 10. Jul. 1460. 1. *Catharina, Eduardi Burnell f. & h.* 2. *Elisabetha, Jacobi Butler IV, C. Ormond f.* † *1473.*

2. Johannes Talbot III. C. Salop. † 28. Jun. 1473. *Catharina Stafford, Humphredi D. Buckingam. f.* † *26. Dec. 1476.*

Jacobus Talbot Eques.

Gilbertus Talbot de Grafton. *Vid. Tab. seq.*

Christophorus Talbot, *Archidiacon. Cestriæ.*

Georgius Talbot.

Georgius Talbot Comes Salopiæ, *Eques Perisc.* † 26. Jul. 1541. Ux. 1. *Anna, Wilhelmi B. Hastings f.* 2. *Elisabetha, Richardi Walden de Erithe f. & coh.* † *1567.*

1. Henricus Talbot † puer.

Franciscus Talbot C. Salop. *Eq. Per.* † 21. Sept. 1559. 1. *Maria, Thomæ B. Dacres de Gillesland f.* 2. *Gratia Shakerley.*

Johannes duo, ambo in infantia mortui.

Wilhelmus T.

Richard Talbot

1. Georgius Talbot II. Com. Salop. & Comes Marescallus B. Strange de Blakmere, Comyn de Badenagh de Furnivall, *Eq. Per.* † 18. Nov. 1590. Ux. 1. *Gertruda Mannors Thomæ C. Rutland f.* 2. *Elisabetha, Johannis Hardvvick de Hardvvick f. & coh. tertiùm vidua,* † *13. Apr. 1607.*

1. Franciscus Baro Talbot † ante patrem improlis. *Anna Herbert Wilhelmi C. Pembroc. f.*

Gilbertus Talbot, C. Salop. *Eq. Perisc.* † 8. Maji 1616. *Maria, Wilhelmi Cavendish de Chatsvvorth f.*

Catharina nup. *Henrico B. Herbert C. Pembroc.*

Georgius Talbot † infans.

Maria nup. *Wilhelmo Herbert C. Pembr.*

Elisabetha ux. *Henrici Grey C. de Kent.*

Alathea nup. *Thomæ Hovvard IV. D. Norfolc. C. Arundel.*

SCHEMA I.

SHREWSBURY.

Uxor: *Aliva, Alani Basset de Wickombe f. Drudi de Montacute vid,*

Richardus Talbot, *Episc. Londin.* 1369.

Ux. *Sarah Beauchamp, Wilhelmi C. Warvvic. f.*

Richardus Talbot de Ricards-Castel, *Johanna, Hugonis Mortimer de Ricards-Castle fil. ac her.*

Johannes Talbot de Ricards - Castle, Eques.

Johannes Talbot de Ricards - Castle † Anno 1388.

Elisabetha nup. *Warino Archdekne Eq.* — Philippa Ux. *Matthai Gourney Eq.* — Eleonora.

Richardus Talbot, *Archiepisc. Dublin.* — Thomas Talbot de Wrockwardine. — Wilhelmus Talbot.

Christophorus Talbot occ. in pr. Nort hampt. 10. Jul. 1460. — 2. Johannes Talbot Baro l'Isle cr. 26. Jul. 1445. occ. cum patre 20. Jul. 1453. *Johanna Thomæ Chedder f. Richardi Stafford vid.* † 1467. — Humphredus Talbot. — Ludovicus Talbot. — Elisabetha Ux. *Johan. Movvbray III. D. Norfolc.*

Anna nupta *Henr. Vernon de Haddon.* — Margarita. — Thomas Talbot Vicec. l'Isle, occ. in conflictu cum Wilh. Berklejo 20. Mart. 1470. *Margarita Herbert, Wilhelmi C. Pembroch. f.* — Elisabetha nup. *Eduardo Grey Vicec. l' Isle.* — Margarita Ux. *Georgii Vere*

Thomas Talbot † improlis. Anna, nupta *Thomæ Boteler, Baroni Sudley.*

Margarita nup. *Henr. Clifford. C. Cumbriæ.* — Anna ux. *Thomæ B. Wharton* — Dorothea. — Maria ux. *Henrici Percy XII. C. Northumbr.* — Elisabetha nup. *Wilhelmo B. Dacres de Gillesland.* — 2. Johannes Talbot † juv. — Anna nup. 1. *Petro Compton.* 2. *Wilh. Herbert C. Pembr.*

Thomas Talbot † ante patrem. Anna, nupta *Johanni Bar. Bray.*

Henricus Talbot † . . . . *Elisabetha, Wilhelmi Reyner de Overton f.* — Maria nup. *Georgio Savile de Barrovvby.* — Eduardus Talbot C. Salop. † 8. Febr. 1617. sine prole. *Johanna, Cuthberti B. Ogle fil. & cohær.* — Gratia nupta *Henrico Cavendish.*

Gertruda nup. *Roberto Pierpont C. de Kingston.* — Maria uxor *Wilhelmi Airmin de Osgrodby,* † 6. Mart. 1674.

TALBOTANÆ FAMILIÆ SCHEMA II.

GILBERTUS TALBOT DE GRAFTON, Johannis II. C. Salopiæ filius natu major, Eques Banneretus & Periscelidis, & Capitaneus Caleti.
Ethelreda, Thomæ Cotton de Landvvade soror.

Johannes Talbot de Albrigton. *Margarita, Adæ Troutbek f. & hær.*

Johannes Talbot de Grafton. *Francisca, Johannis Gifford de Chillington f.*

Johannes Talbot de Grafton. *Catharina, Wilhelmi Peter de Ingerston f.*

Georgius Talbot, COMES SALOPIÆ, † cœlebs 1630.

Johannes Talbot de Longford, *Eleonora, Thomæ Baskervill de Welvershill f. & cohær.*

Johannes Talbot IV. Comes Salop. † 8. Febr. 1653. Ux. 1. *Maria Francisci Fortescue de Salden f.* 2. *Francisca Thomæ B. Arundel de Wardour f.*

Gilbertus Talbot † puer.

Georgius Talbot † 1633.

Catharina nup. *Jacobo Poole de Poole.*

Maria.

1. Franciscus Talbot, Comes Salopiæ, † Mart. 1667. Ux. 1. *Anna Johannis Coniers de Sockburn f. & hær.* 2. *Anna Maria Brudnell, Roberti C. de Cardigan f.*

2. Anna *monialis* in Gall.
2. Beuno Talbot.
2. Johannes Talbot † puer.
2. Thomas Talbot de Longford.
1. Maria nupta 1. *Carolo Arundel,* 2. *Mervino Touchet.*
1. Catharina nupta *Thomæ Whetenhall de East-Peckham.*
1. Francisca Uxor *Georgii Wintour de Hudington.*
1. Georgius B. Talbot. † 1644. *Maria, Percii II. Herbert. B. Porvis fil.*
1. Gilbertus Talbot de Cookesey.
1. Eduardus Talbot occ. in prælio de Morston ex parte Regis 1. Jul. 1644.

1. Maria.

Conierus Talbot † puer.

2. Carolus Talbot, Comes Salopiæ B. Furnival.

Johannes B. Talbot, occ. m. Febr. 1686.

gnatam, cujus ergo posteri ejus *gentilitiis insignibus*, quæ *fascias diagonales decem argento & minio alternatim tinctas* referebant, abdicatis, *materna* adsciverunt, nempe *leonem aureum in rubea parma margine aurato cincta*.

RICHARDUS TALBOT III. R. Eduardo I. in bello Cambrico & Vasconico operam navasse prædicatur, duorum parens filiorum GILBERTI III. & RICHARDI. *Hic* jure Uxorio Castrum Richardi in Herefordia tenuit, haud longam posteritatem nactus. *Prior* sub Eduardo II. primitus inclaruit, cum Thomæ Lancastriæ Comitis factioni adversus gratiosos in aula, nempe Petrum Gavestonum & Hugonem Spenserum se aggregaret, cujus rei venia ab Eduardo III. accepta cum ei virturem industriamque suam probasset, honoribus & latifundiis auctus, atque una cum filio suo RICHARDO IV. ad omnia fere Parlamenta inde ab anno IV. dicti Regis usque ad XXIX. citatus atque adeo in Parium censu habitus est. Incoluit *Richardus* IV. Castrum Goderici in Herefordia ab uxore *Elisabetha Comynia*, genere Scota, sibi allatum, quod antea Spenseri Elisabethæ per vim abductæ extorserant. Multa illius & eximia in Scoticis Gallicisque bellis opera extitisse celebratur, sicut etiam filii ejus GILBERTI IV. qui R. Eduardo III. extremis regni ipsius annis, postea que Richardo II. gnaviter inserviit.

JOHANNES TALBOT, Richardi V. filius secundogenitus, belli gloria & virtute longe omnes majores suos superavit: ineunte regno Henrici V. Hiberniæ legatione ornatus, rem & autoritatem regiam strenue illic sustinuit auxitque, Donato Mac-Murghe rebellium vel maximo capto. In Gallico deinde bello non sub illo tantum Rege, sed etiam sub ejus gnato ac successore Henrico VI. plerisque magnis præliorum & obsidionum eventis & periculis immixtus, & pluribus victoriis commendatus, adversum etiam casum, postquam fortuna *fatali* producta *puella* se vertisset, expertus est, atque ad *Pateum*, Belsiæ oppidum, dum ingruentem hostium multitudinem sustineret, cæsis suis, in Fantralii, Gallici ductoris potestatem devenit, à quo tamen generose nullo pretio dimissus brevi fuit, & pari illum beneficio afficiendi occasionem postmodum nactus est. Neque vero meritorum suorum præmiis caruit, sed laborum fideique decoramentum titulum *Comitis Salopiæ* cum posteris tulit, atque a. 1445. Hiberniæ denuo vicaria potestate impositus, oppido *Waterford* & Baronatu *Dungarvan*, in insula illa sitis, cum axiomate *Comitis*, & dignitate *Senescalli Hiberniæ* auctus fuit. Ad Gallicum denique bellum, inclinatis Anglorum rebus redire jussus, & Aquitaniæ præpositus cum Burdegalam nutantem confirmasset, Castillonium autem ad Duranium amnem à Gallis obsidione cinctum esse cognovisset, eò cum filio natu minore JOHANNE (quem R. Henricus VI. *Baronem Insulæ* sive de Lisle, à loco in Bercheria sito, & cum materna hæreditate ad eum delato, d. 26. Jul. 1444. creaverat) & militum manu advolavit, castraque illorum ex necopinato invasit, non exigua initio strage edita, verum postquam Britones, quorum remotior erat statio, auxilio popularibus suis venissent, versa momento pugnæ est alea, Anglis turbatis & disjectis. In ea trepidatione *Talbotus* sibi semper constans, equo vectus, quando per senium pugnare manu non poterat, dum suos ad pugnam incitat, ictus minori tormento cecidit. Refert *Bussierius*, Historiæ Francicæ scriptor, (a) cum spectaret desperatam victoriam, contendisse à filio, paulo ante nominato, ut se morti eriperet, spem Angliæ juvenis ad meliora servaret, nec morientem senem curaret, cui vitam, inglorie in lectulo ponendam, Deus patriæ causa adimeret: at vero filium tanto patre dignissimum, quem æmulari diuturna vita & laudatissima neutiquam posset, voluisse gloriosissima morte æmulari, & in patris conspectu fortissime pugnantem abjecta spe vitæ cæsum esse. Excepit Talboti mortem Aquitaniæ jactura, *quem* (juvat subjungere citati autoris *verba*) *ut Graci Philopœmenem, ita Angli ultimum sua gentis dicerent, nemine Anglo post illustrem Talbotum, praclara atque eximia laude, suum in Francia nomen consignante.* Duxerat primis nuptiis *Thomæ Nevill*, vitrici sui (huic enim *Ankareta* vidua facta in manum convenit) gnatam, ex *Johanna de Furnivall*, quæ illi secunda uxor fuit; primogenitam & cohæredem, unde jus ei in Furnivallense dominium natum, & titulus, quo, antequam Comes Salopiæ factus esset, appellari solebat. Cadaver ejus in Angliam devectum, & majorum suorum tumulis in Albo monasterio (*Whitchurch*) illatum est, hoc adscripto epitaphio: *Orate pro anima prænobilis Domini, domini Johannis Talbot, quondam Comitis Salopiæ, Domini Furnivall, domini Verdon, domini Strange de Blackmere, Mareschalli Franciæ, qui obiit in bello apud Burdevus, VII. Julii M CCCC LIII.*

JOHANNES TALBOT II. C. *Salopiæ* positis in castris paternis militiæ rudimentis a. R. Henrico VI. anno 1426. equestri honore insignitus est, multaque Gallico flagrante bello fortitudinis signa edidit. Anno 1446. *Cancellarius Hiberniæ*, & postquam patris hæreditatem adiisset, *Supremus Angliæ Thesaurarius* anno 1457. constitui meruit. Ortis denique intestinis dissidiis, Lancastrensium signa secutus, atque in prælio ad Northanton una cum fratre ger-

(a) Lib. XII. p. 524.

mano CHRISTOPHORO cæsus est. Monumentum illi, in Prioratu *Myrkſop* conditum fuit, cum hac inſcriptione: *Sepulchrum magnanimi atque præpotentis Domini, domini Johannis de Talbot Comitis Salopiæ ſecundi, ex regio ſanguine ducentis originem. Qui Henrico Regi fidiſſimus Bello apud Northamptoniam geſto ante ſigna ſtrenue pugnans, honeſta morte occidit die decimo Julii anno Domini noſtri Jeſu Chriſti. M. CCCC. LX. cujus animæ propitietur Deus. Amen.*

Salopiæ Comitis lapis hic tegit oſſa Johannis,
cui nihil antiquius quam fuit alma fides.
Hic ut ſerviret Regi, tormenta ſubivit
intrepidus ferri ſanguineamque necem.
Ergo licet parvum condat ſua viſcera ſaxum,
virtus Angligenum luſtrat in omne ſolum.

JOHANNI III. C. *Salopiæ* patris fidelitas erga R. Henricum VI. nullo apud R. Eduardum IV. fuit damno, quin etiam ad varia ab eo adhibitus eſt negotia; filius ipſius & ſucceſſor GEORGIUS, vir *Polydori (a)* encomio *nobilis, ſapiens ac in omnibus vitæ partibus moderatus*, poſtquam Henricus VII. regno potitus eſſet, in ſacrum ab eo conſilium adſcitus, poſteaque copiis auxiliaribus Maximiliano Imp. auxilio miſſis præfectus, & tandem ſub Henrico VIII. etiam variis togæ ſagique muniis cum laude functus fuit, pater FRANCISCI C. *Salopiæ*, qui difficillimis temporibus incolumi dignitate vixit, quanquam poſt ſe reliquit GEORGIUM II. clarum ſua ætate virum; is juvenis adhuc, Maria regnante, a patre cum tribus armatorum millibus in Scotiam miſſus, Northumbriæ Comitem ad Lavicum periclitantem liberavit, nec minore deinde ſucceſſu turmam quingentorum cataphractorum in limitibus rexit. Ab Eliſabetha poſtea cuſtodiæ Reginæ Scotorum adpoſitus, ſumma eam humanitate ac modeſtia tractavit, & poſt Thomæ Norfolcii mortem ad honorem *Comitis Mareſcalli* Angliæ evectus, *fidem tam ambiguis temporibus* (Camdeni (*b*) jam verbis utor) *contra externas inſidias, uxoris ſecundæ moleſtias quindecim annos ita tutatus eſt, ut non minorem fidei & prudentiæ, quam majorem fortitudinis laudem reliquerit.* Ex priore uxore filios quatuor ſuſcepit, e quibus natu maximus FRANCISCUS immatura morte abreptus fuit, GILBERTUS in hæreditate & honore ſucceſſor evaſit, *Mariam Cavendisham*, novercæ filiam, Uxorem duxit, & legatione anno 1596. in Gallia nomine Eliſabethæ functus, nulla maſcula prole poſt ſe relicta vivis exemptus eſt. HENRICUS fœmellas tantum genuit, & ante fratrem Gilbertum deceſſit, EDUARDUS denique natu minimus poſtmodo dicti Gilberti obitum *Comes Salopiæ* factus eſt, ſed unius ſolummodo anni ſpatio ei ſuperſtes & ſobole omnino deſtitutus. Hinc ex primæva conceſſione GEORGIUS TALBOT DE GRAFTON in dignitatem *Comitis Salopienſis* illi ſucceſſit, utpote qui ad *Johannem primum Salopiæ Comitem* genus referebat, ejusque è gnato *Johanne* II. nepotem GILBERTUM TALBOT (à quo *Schema* II. exorſi ſumus) rami ſui ſatorem habebat: Is cœlebs vita defunctus avitos honores ad fratris ſui filium JOHANNEM transmiſit, cujus nepos eſt CAROLUS TALBOT, qui *Comitis Salopiæ* axioma nunc gerit, & Regi hodierno Wilhelmo III. ab epiſtolis eſt, fratremque habuit JOHANNEM, eundem, ni fallor, quem ab Henrico Duce de Grafton a. 1686. in duello occiſum fuiſſe *Novellæ* retulerunt.

Scuto Talbotia gens hodieque non alio utitur, quam illo quod ſupra deſcriptum fuit, nempe *rubeo, limbo aureo dentato cincto*, in quo *leo gradiens, ejusdem metalli* conſpicitur: qualem etiam *galeæ* imponere ſolet, *telamonum* vero loco *canes* adhibet.

Non incongruum nec ſupervacuum eſſe videtur poſtremo memorare loco quod à viro Anglo eleganti ſcientia ornato pronuper, imò verò modò, dictum mihi eſt; nempe *Johannem Comitem Tyrconnel* in Hibernia, qui regno huic Gubernator Generalis à R. Jacobo II. ineunte anno 1687. præfectus, & partes ejus, licet exautorati, acerrimè propugnando famam conſecutus eſt, cognomen *Talboti* gerere, originemque ſuam ab hac ipſa, jam enumerata Familia repetere. Cujus equidem rei certiorem ex Anglia notitiam adhuc præſtolor, inter *Addenda*, quoniam in tempore non advenit, referendam.

(*a*) *Lib. XXVI. p. 567.* (*b*) *Annal. P. IV. pag. 570.*

CAPUT

CAPUT XXI.

DE COMITIBUS CANTII, ET QUIDEM ANTIQUIORIBUS, FAMILIISQUE BURGHENSI ET HOLANDICA.



Salopiensem excipit *Comes Cantii*: id Tamesi & Oceano Germanico alluitur & primum Saxonum in Britannia regnum fuit, fuisque paruit *Regibus*, donec in Occiduorum Saxonum ditionem concessit: post haec *Comites* accepit *officiarios* initio, quos inter *Godwynus*, Haroldi usurpatoris pater, numeratur, dein *hereditarios*. E Normannico sanguine primus Cantii Comes habetur *Odo*, Wilhelmi Conquestoris frater, itemque Bajocensis Episcopus; hoc ob turbas crebro datas à Wilhelmo Ruffo Anglia facessere coacto, R. Stephanus *Wilhelmum Iprensem*, Flandrum eo honore exornavit. Aliquo post tempore *HUBERTUS de BURGO*, optime de Republica meritus, eandem dignitatem à R. Henrico III. obtinuit, *Vir*, Camdeni (a) elogio, *patria verè amans, & qui omnia officia, quæ à cive optimo patria exigere posset, inter medias adversantis fortunæ procellas, cumulate præstitit.* Origo ejus haud satis explorata est, licet non desint, qui stirpem ipsius vel à Scotiæ Regibus vel à Balduino II. de Burgo (b) Hierosolymæ Regetertio, derivare sustinent. Patruum autem *Dugdalius* (c) illi tribuit *Wilhelmum Fitz Adelme*, R. Henrici II. Stuartum sive Præfectum Palatii, & oppidi Werford in Hibernia præsidem, cujus è *Juliana Doisnell* filius *Walterus* per matrimonium cum *Mathilda*, Hugonis *de Lacy* C. Ultoniæ gnata & hærede hunc Hiberniæ Comitatum adeptus est, pater *Richardi*, qui *Conatiæ* Comitatum cum Ultoniensi conjunxit, & filium genuit, sibi anno 1313. præmortuum, relictis ex *Elisabetha de Clare*, Gilberti C. Glocestriæ gnata, *Mathilda* quæ Gilberto Glocestrio, avunculo suo nupsit, & *Wilhelmo.* Is è *Mathilda*, Henrici Ducis Lancastriæ filia uxore sua, gnatam unicam suscepit, *Elisabetham*, quæ Ultoniæ Conatiæque Comitatus *Lionello Duci Clarentiæ*, Regio sato sanguine, attulit. Propagata tamen ad præsens usque ævum fuit Burghensis familia: namque *Waltero*, quem Ultoniæ Comitatum nuptiis acquisivisse diximus, frater fuisse traditur *Richardus*, cujus posteri *Clan-Rickard* (hoc est filii Richardi) vocati sunt, ex quibus tandem *Comites Clan-Richardiæ* enati fuere. Hos inter, hoc, quo agimus, seculo claruit, *Richardus Comes de Clanrikard* à R. Jacobo I. d. 3. April. 1623. *Baro* Angliæ sub titulo *Lord Somerhill*, nec non *Vicecomes Tunbridge*, à Rege Carolo I. autem d. 23. Aug. 1628. *Comes de St. Albans* creatus, prætereaque novis in Hibernia honoribus, *Baronis* nempe *de Imaudy* & *Vicecomitis de Gallovvai* auctus. Uxor ei fuit *Francisca*, Francisci Walsinghami filia ac hæres unica Roberto Essexiæ Comiti ante illum nupta; è qua parens factus est *Honoræ*, Johanni Paulet, Marchioni Vintoniæ elocatæ, necnon *Ulicki*: Is rebellione in Hibernia flagrante in Angliam se recepit, atque à dicto Rege Carolo I. per diploma Oxonii d. 21. Febr. 1645. datum, axioma *Marchionis de Clanrikard* obtinuit, atque anno demum 1659. vita defunctus est, unicæ filiæ parens, ex *Anna Comptonia*, Wilhelmi C. Northantoniæ gnata, videlicet *Margaritæ*, quæ Baroni *Muskerry*, Comitis *de Clunkarty* filio, in pugna navali adversus Batavos anno 1672. occiso, in manum convenit. In præsentia autem titulum Comitis Clanrichardiæ inter Hiberniæ proceres exornat *Wilhelmus Burgh Comes de Clanrickard*, qui veteri Ultoniæ Comitum de Burgo tessera, nempe *Cruce rubea in aureo solo*, adhuc utitur, eo tamen cum discerniculo, ut cruci *flos lilii*, & parmæ *quadra angularis*, quam Gallici feciales *franc canton* vocant, *nigro leone ornata*, addita sit. Ex eadem Burghensium stirpe in Austria etiam ramum superesse, & *Comites de Galle* ab eo provenisse *Calenus*, Historicus Cæsareus, in *Genealogia Familiæ Zierotiniæ*, (d) ante paucos annos edita, tradidit.

Sed ut ex hoc diverticulo in viam redeamus, fuere *Huberto de Burgo Cantii Comiti*, quatuor successive conjuges: prima *Johanna*, Wilhelmi *de Vernun* C. Devoniæ filia, Wilhelmi de Briwer vidua, secunda *Beatrix* Wilhelmo *de Warren* nata, & à Dodone Bardolfo relicta, tertia *Isabella*, quæ Wilhelmum Consulem C. Glocestriæ patrem, & Johannem sine terra, postea Regem, nec non Godofredum de Mandevil, priores maritos habuit, quarta denique *Margarita*, Wilhelmi R. Scotiæ filia. Atque ex hac demum filios duos suscepit, videlicet *Johannem* & *Hubertum*, quos, sed Cantiano Comitatu multatos, IV. Id. Maji anno 1243. fatis functus, post se reliquit. Prior ex *Havisia de Lanvaley* gnatum *cognominem* genuit, patrem trium tantum fœmellarum; Huberto autem diuturnior obtigit progenies; ex qua denique *Thomas Bourgh s. Borough*, Thomæ & Elisabethæ Perciæ f. a. R. Richardo III. inter Equites Ordinis *Georgiani* atque ab Henrico VII. a. 1489. inter Barones Angliæ allectus est, cujus posteri masculi eo honore seculi, & quod excurrit, spatio, gavisi sunt, usque dum in illius atnepote *Thoma Burgh de Sterborough-castle*, *B. de Gaynesborough*, circa annum 1598. mortuo, defecerunt.

Post

(a) *Descr. Brit. p. 268.* (b) *Vid. Carbei Anaceph. Hibern. p. 97.* (c) *Baronag. P. I. p. 693.* (d) *Pag. 69.*

SCHEMA PRISCÆ HOLANDORUM FAMILIÆ,

COMITUM DE KENT, ET HUNDINGTON, DUCUM DE SURREY ET EXETER.

ROBERTUS HOLAND, Johannis F. Ingelrami N. Secretarius Thomæ Comitis Lancastriæ, *decollatus* 7. Oct. 1328. *Mathilda, Alani la Zouche de Ashby f. ducta 1313.*

- Robertus Holand II. deBracale † 16. Mart. 1373.
- Thomas Holand COMES CANTII, *Eques Perisc.cr.* 1350. † 26. Decemb. 1360. *Johanna Plantagenet, Edmundi C. Cantii f.*
- Alanus Holand de Dalbury & Weeksworth.
- Otho Holand *Eq. Perisc.cr.* 1350. † 1359.

Children of Thomas Holand, Comes Cantii:

- Mathilda nup. *Johanni Lovel, Equiti.*
- Thomas Holand II. C. Cantii B. Wake de Lydell. Marescallus Angliæ † 1397. *Alicia Fitz - Alan, Richardi Com. Arundel f.*
- Edmundus Holand.
- Johannes Holand COM. HUNTINGDON, DUX EXONIÆ, *Eq. Per. decoll.* 5. Jan. 1400. *Elisabetha Plantagenet, Johannis D. Lancastr. f.*
- Mathilda nupta. *Hugoni de Courtney.*

Children of Thomas Holand II.:

- Thomas Holand III. Comes Cantii DUX SURRIÆ *Eq. Per. decoll.* m. Jan. 1400. *æt.* *Johanna, Hugonis C. Stafford f.* 1. *Oct.* 1443.
- Edmundus Holand, Comes Cantii, *Eq. Per.* † 15. Sept. 1408. impr. *Lucia Visconti, Barnabæ Pr. Mediol. f.* † 4. *Apr.* 1424.
- Johannes Holand † juv.
- Richardus Holand † juv.
- Alienora, nup. 1. *Rogero Mortimer C. March.* 2. *Eduardo Charlton B. Powys.*
- Johanna, nupta 1. *Edmundo D. Ebor.* 2. *Henrico Bromflet.*
- Margarita nupta 1. *Johanni Beaufort Com. Somerset.* 2. *Thomæ D. Clarentiæ.* † 31. Dec. 1440.
- Eleonora Ux. *Thomæ Montacute Comes Sarisburiæ.*
- Elisabetha Ux. *Johannis Nevil.*
- Brigita, *monialis.*

Children of Johannes Holand, Dux Exoniæ:

- Richardus Holand cœlebs † 3. Decemb. 1416.
- Johannes Holand II. D. Exon. C. Huntingd & d'Ivory, B. de Sparre *Eq. Per.* † 5, Aug. 1448. 1. *Anna, Edmundi C. Stafford f. Edmundi Mortimer C. March. vid.* 2. *Anna, Johannis Montacute C. Sarisbur. f. Joh. Fitz.-Lewis vid.*
- Eduardus Holand.
- Constantia nup. 1. *Thomæ Mowbray Com. Mareschallo.* 2. *Johanni B. Grey de Ruthin.*

Children of Johannes Holand II.:

- Eleonora, *notha, è Constantia de York genita* nup. *Jacobo Touchet Bar. Audley.*
- 1. Henricus Holand Dux Exoniæ, C. Huntingdon. † 1473 improlis. *Anna Plantagenet, Richardi D. Eborac. f.*
- 2. Anna nup. *Johanni Bar. Nevil.*
- Wilhelmus *nothus.*
- Thomas *nothus.*

Children of Eleonora:

- Robertus *nothus.* Ux. Margarita.

Children of Robertus:

- Johanna Ux. *Johannis Kindall de Trewvorgie.*
- Johanna nup. *Johanni Reskimer.*

Post Huberti de Burgo Comitis Cantii excessum, cessavit hic titulus usque ad Eduardi II. tempora, ab eo enim fratri suo juniori *Edmundo de Woodstoke* anno 1321. collatus fuit, cui securi percusso filii duo *Edmundus* & *Johannes* successerunt, hisque sine prole mortuis honorem illum soror eorum superstes in *Holandorum* familiam transtulit:

Ea equestris in Lancastria loci illustrari cœpit in ROBERTO HOLAND, qui cum Thomæ Comiti Lancastriæ officia sua addixisset, è tenui conditione ad ampliorem fortunam pervenit, atque in censum Parium Angliæ referri cœpit, ab anno VIII. Eduardi II. usque ad XV. ad Parlamenta evocatus; postquam vero herum in adversis ipsius rebus deseruisset, perfidiæ pœnam capite persolvit, filiis quatuor post se relictis, quos inter secundus & quartus THOMAS videlicet & OTHO rerum gestarum gloria fratres suos superarunt, ambo Regi Eduardo III. digni habiti, qui in Ordinem *San-Georgianum*, ab ipso fundatum, inter primos cooptarentur. *Otho* in Armorica bello intentus sed à Gallis captus immaturam obiit mortem; *Thomas* eodem in bello fortitudinem solertiamque suam dicto Regi ita probavit, ut omnis tandem rerum Anglicarum in Gallia cura ipsi demandaretur, & permitteretur dignitate *Comitis Cantii*, quam jure uxorio sine ulla creatione sibi sumserat, uti ac frui. De matrimonio ejus refertur, quod munere Stuarti sive præfecti domus apud Wilhelmum Montacutum C. Sarisburiæ fungens, cum *Johanna Plantageneta*, formosissima puella, ab isto in uxorem expetita, sed nondum ducta concubuerit, hocque nomine postea apud Papam Clementem VI. perfecerit, ut illi per divortium adempta, sibi jugali sociaretur vinculo. Ex filiis natu maximum THOMAM II. in Comitatu Cantiano successorem habuit officiis Marescalli Angliæ & Comestabilis arcis Londinensis auctum, eumque patrem THOMÆ III. ac EDMUNDI. Ille ad fastigium *Ducis Surriæ* à R. Richardo II. d. 29. Sept. anno 1397. provectus, constanti ei fide adversus Henrici Lancastriæ Ducis factionem adhæsit, qua denique prævalente in adversariorum potestatem delapsus & capite truncatus fuit; qnoniam prole caruit, *Edmundus* ejus frater Comitis Cantii titulum assumsit; is Angliæ Archithalassus cum Fanum Briaci in Armorica oppugnaret, balista in capite lethaliter vulneratus occubuit, nullis itidem liberis post se relictis. Superfuit autem familia in progenie ejus patrui JOHANNIS, quem R. Richardus II. frater ipsius uterinus anno 1388. *Comitem Huntingdoniæ*, anno 1394. Angliæ Camerarium, & denique anno 1398. *Ducem Exoniæ* creavit; hic deinde hac dignitate à. R. Henrico IV. exutus, & quod vitæ ipsius insidias struxisset delatus, supplicioque capitali affectus est; filium ejus JOHANNEM II. R. Henricus VI. natalibus & paternis honoribus restituit, & præfectura maris Anglici, Hiberniciatque Aquitanici insuper decoravit genitorem HENRICI, qui licet Eboracensi familiæ affinitatis nexu esset conjunctus, stetit tamen à partibus R. Henrici VI., qui cùm undique se suosque profligante fortuna urgeretur, eò miseriarum redactus ille fuit, ut in Belgio centonibus amictus & pedibus incectis stipem emendicare à *Comineo* visus sit, quemadmodum iste in Commentariis suis testatur. In Angliam denique versa non nihil in melius dicti Regis fortuna redux factus gravia in ultimo ad *Barnetum* prælio accepit vulnera, ita ut pro mortuo relictus fuerit; à servo autem spirare deprehensus atque obligatis vulneribus ad sanctuarium Westmonasteriense deductus, sed non ita multo post in mari Doveram inter & Caletum examinis, incertum quo casu, repertus fuit, postremus suæ stirpis; quos enim reliquit filios è concubina nec ex legitima uxore sustulit. (a) *Insignia*, quibus hæc familia usa est, in *scuto cæruleo lilia argentea, leonemque ejusdem metalli inter ea erectum*, repræsentabant.

CAPUT XXII.

DE COMITIBUS CANTII HODIERNIS ET FAMILIA GREIA.



Dmundo Holando vivis exempto R. Eduardus IV. titulum *Comitis Cantii Wilhelmo Nevill* Domino *de Fauconberg* impertiit (de cujus familia suo dicetur loco) hocque extincto in EDMUNDUM GREY Dominum *de Ruthyn* transtulit, cujus posteri illo hodieque gaudent. *Grejam* familiam nobilitate & claritudine nulli in Anglia secundam & latissime diffusam *Dugdalius (b)* ab HENRICO GREIO deduxit, qui R. Richardi I. ætate vixit, ejusque beneficio prædium *Turroc* in Essexia nactus, & per conjugium cum *Isolda* Roberti *Bardolf* nepte & cohærede aliis etiam latifundiis, imprimis fundo Grimstonensi in Nottingamia, quem R. Henri-

Aa

(a) Sandford. General. Hist. L. III. c. II. Dugdal. Baron. P. II. pag. 73. & seqq.
(b) P. I. pag. 709.

FAMILIÆ
DOMINI DE CODNOVRE DE WILTON

HENRICUS DE GREY in Turroc & Grimſton, Johannis & *Aviſia* F. Anchetili II. N. Richardi Pron. Anchetilli I. Dn. de Lands in Com. Oxon. Abn.

Richardus Grey de CODNOVRE. *Lucia, Johannis de Humez f.* | Johanes Grey † a. 1266. *Johanna Peyvre, Paulini vid. 1241.* | Wilhelmus Grey de Landford.

Johannes Grey † a. 1272. | N. nupta *Roberto de Tatshall.* | Reginaldus Grey † 1307. *Mathilda, Henrici de Longchamp in Wilton f.*

Henricus Grey † a. 1308. *Eleonora.* | Johanna nup. *Radulpho B. Baſſet de Drayton.* | Johannes Grey de Wilton † 1322. 1. *Mathilda Radulfi Baſſet de Draiton f.* 2. *Anna VVilhelmi Ferrers de Groby f.*

Richardus Grey II. de Codnovre † 1336. *Johanna.* | Nicolaus Grey de Barton. | Henricus Grey DE WILTON † 1342. *Emma, Godofredi de Glanville f.*

Johannes Grey II. de Codnovre *Eq. Periſc.* 1350. *Alicia de Inſula.* | Robertus Grey de Cherleton. | Reginaldus Grey † 1360. *Mathilda.*

Henricus Grey II. de Codnovre † ante patrem. *Johanna, Reginaldi Cobham de Sterborough f.* | Johannes Grey. | Alicia nup. *Wilhelmo ab Everingham.* | Henricus Grey de Wilton II. † 1395. *Eliſabetha.* | Johannes Grey † ante patrem.

Richardus Grey de Codnovre III. † 1. Aug. 1417. *Eliſabetha, Radulphi B. Baſſet de Sapcote f.* | Margarita nup. *Joh. B. Darcy.* | Richardus Grey de Wilton † 1442. *Margarita* . . . . † 1452. | 1. Johannes Grey *vid. Tab. ſeq. A.*

Johannes Grey de Codnovre III. † 1430. | Henricus Grey de Codnovre III. † 17. Jul. 1444. *Margarita Henrici B. Percy de Athol f.* | Eliſabetha hæres nepotis è fratre nupta *Johanni Zouche Equiti.* | Reginaldus Grey de Wilton.

Henricus Grey de Codnovre IV. † a. 1495. ſine legitima prole. | Johannes Grey Baro de Wilton † 2. Mart. . . . . *Anna Grey Edmundi C. Cantii f.*

Richardus Grey de Ratcliffe, *nothus.* | Henricus *nothus* ſator Grejorum de Langley. *Cecilia Charleton.* | Edmundus Grey B. de Wilton † 1512.

Georgius Grey de Wilton improlis. | Thomas Grey † ǽv. | Richardus Grey † ǽv. | Wilhelmus Grey Baro de Wilton *Eques Periſc.* † 14. Dec. 1562. *Maria Somerſet, Caroli C. Wigorn. f.*

Arturus Grey B. de Wilton *Eq. Periſc.* Prorex Hiberniæ † 14. Oct. a. 1593. 1. *Dorothea, Richardi B. Zouche de Haringvvorth f.* 2. *Johanna Sibylla Moriſon.* | Wilhelmus Grey. | Honora nupta *Henrico Denny, de Cherton.*

1. Eliſabetha nup. *Franciſco Goodvvyn.* | 2. Thomas Grey Baro de Wilton † in carcere 6. Jul. 1614. improlis. | Wilhelmus Grey. | Brigitta.

GREJÆ SCHEMA I.
ET DE ROTHERFEILD.

Uxor: *Ysolda, Hugonis Bardolfe sive Bardoul fil. Roberti Neptis & cohæres.*

Robertus Grey de ROTHERFEILD. Walterus Grey, *Archiepisc. Eboracensis.* Henricus Grey.

Walterus Grey de Rotherfeild † a. 1268.

Robertus Grey de Rotherfeild II. † a. 1295. *Avicia VVilhelmi de St. Lice f.*

Rogerus Grey de RUTHYN, † 6. Mart. 1353. *Elisabetha, Johannis B. Hastings de Bergavenny f.*

Johannes Grey de Rotherfeild III. † 1311. *Margarita, VVilhelmi d' Odingselles fil. & cohæres.*

Reginaldus Grey B. de Ruthyn † 1441. *Eleonora, Johannis B. de Strange f.*

Johannes Grey de Rotherfeild IV. † 1. Oct. 1359. *1. Catharina, Briani Fitz-Alan de Bedall f. & coh. 2. Avicia, Johannis B. Marmion f.*

Reginaldus Grey II. Baro de Hastings & Ruthyn † . . . . *1. Margarita, Wilhelmi B. Roß f. 2. Johanna, Wilhelmi B. Astley f.*

1. Johannes Grey de Rotherf. V.

Mathilda nup. 1. *Johan. de Boletourt, 2. Thomæ de Harecourt.*

2. Johannes Grey, improlis.

Robertus Grey de Marmion. *Lora Herberti de S. Quintin f.*

2. Eduardus Grey. *vid. Tab. seq. B.*

Johannes Grey de Betwell.

Robertus Grey de Enfeild.

Johannes Grey de Rotherfeild VI. † 4. Jun. 1376. *Elisabetha Michaelis de Poynings f.*

Robertus Grey, improlis.

Elisabetha nup. *Henrico Fitz-Hugh.*

Johannes Grey VII. † ante patrem.

Bartholomæus Grey de Rotherfeild improlis.

Robertus Grey de Rotherfeild † 14. Jan. 1387. *Elisabetha, Wilhelmi de la Plaunche de Haversham f.*

Richardus Grey † improlis 1401.

Johanna nup. *Johanni Deyncourt Equiti.*

A.

BARONES DE RUTHYN ET HASTINGS, COMITES DE KENT.

JOHANNES GREY, Reginaldi II. Bar. de Ruthyn & Haſtings è priore uxore filius, ante patrem mortuus. Ux. *Conſtantia Holand, Johannis Ducis d'Exeter fil. Thomæ Movvbray Comitis Mareſcalli vid.*

Edmundus Grey B. de Ruthyn, Haſtings & Weysford COMES DE KENT cr. 1465. † 1488. *Catharina Percy, Henrici Com. Northumbr. f.* | Thomas Grey Baro de Rugemont-Grey † improlis.

Antonius Grey † ante patrem | Georgius Grey C. de Kent † 1504. Ux. 1. *Anna, Richardi VVidevile C. Riverſ. f. VVilhelmi Vicec. Bourchier vid.* 2. *Catharina Herbert, VVilhelmi C. Pembroc. f.* | Johan. Grey. | Edmundus Grey | Eliſabetha ux. *Roberti Greyſtoke Eq.* | Anna nup. *Joh. Bar. Grey de VVilton.*

1. Richardus Grey C. de Kent † 1523 improlis. *Eliſabetha, VVilhelmi Huſſe f.* | 2. Henricus Grey de Wreſt † 24. Sept. 1562. *Anna Johannis Blanerhaſſet f.* | Antonius Grey de Branſpeth. | Georgius Grey. | Anna nup. *Johanni B. Huſſy.* | Eduardus † in juventa | Antonius † juvenis. | Dorothea nup. 1. *Roberto VVilloughby B. Broke,* 2. *VVilhelmo Blount B. Montjoy.* | Cecilia Ux. *Joh. Sutton B. Dudley.* | Eleonora nup. *Joh. Arundell de Lanherne.*

Henricus Grey de Wreſt, *Margarita, Oliverii St. John de Bletſo ſoror.* | Georgius Grey de Branſpeth. ♂ | Eliſabetha ux. Thomæ *B. Audley De VValden.* | Catharina nup. *Henrico Fitz Alan C. Arundel.* ♄

Reginaldus Grey C. Cantii, B. de Ruthyn † 1573. improl. *Suſanna Richardi Bartu f.* ☾ | Henricus Grey C. Canc. B. de Ruthyn † m. Jan. 1616. improl. *Maria Georgii Cotton f. Eduardi C. Derbiæ vid.* | Carolus Grey Com. Canc. B. de Ruthyn † 1625. *Suſanna, Richardi Cotton f.* ☽ | Antonius Grey Comes Cantii † . . . . *Magdalena VVilhelmi Pareſoy Caldecote f.*

Henric. Grey II. C. Canc. † 1639. ἄπ. *Eliſabetha Talbot, Gilberti C. Salop. fil.* | Suſanna ux. *Michaelis Longuile.* | Henricus Grey III. C. Cantii † *Maria Wilhelmi Courtene fil.* | Johannes Grey. | Jacob. Grey. | Theophilus Grey | Nathanael Grey.

Carolus Longuile, Baro Grey de Ruthyn † 1643. *Franciſca Eduardi Nevill fil. & cohær.* | Henricus Grey † 1644. | Antonius Grey Comes Cantii. *Maria, Johan. B. Lucas f.* | Eliſabetha nupta *Banaſtæ Maynard*

Suſanna hæres unica nupta *Henrico Yelverton B. Grey de Ruthyn.*

Carolus Yelverton n. 1657. † | Henricus Yelverton B. Grey de Ruthyn. | Chriſtophorus. | Franciſca.

GREJÆ SCHEMA II.

B.

BAR. DE GROBY ET L' ISLE, MARCH. DE DORSET, DUC. DE SUFFOLK, COMITES DE STAMFORD.

EDUARDUS GREY, Reginaldi II. Bar. de Ruthyn & Hastings è secunda conjuge filius, BARO FERRERS DE GROBY † 18. Dec. 1458. *Elisabetha Ferrers, Henrici f. VVilhelmi B. de Groby nept. & cohæres.*

Johannes Grey B. de Groby occ. in pr. San. Alban. 1460. *Elisabetha, Richardi Widvile C. River f.*	Anna nup. *Eduardo Hungersford, Eq.*	Eduardus Grey BARO ET VICEC. L' ISLE † 1491. *Elisabetha Talbot, Thomæ Vicec. L'isle for. & hær.*	Reginaldus Grey occ. in pr. Wakefeld 30. Dec. 1460.

Thomas Grey B. de Groby C. HUNTING. MARCHIO DE DORSET, *Eq. Per.* † 20. Sept. 1501. *Cecilia, VVilhelmi B. Bonvile f.*	Richard. Grey, *decoll.* 1483.	Johannes Grey Vicec. l'Isle † 1504. *Muriel Thomæ Hovvard D. Norfolc. f.* ☾	Anna nup. *Joh. Willougby.*	Elisabetha nup. 1. *Edmundo Dudley.* 2. *Arturo Plantageneta Vicec. l'Isle.*	Muriel ux. *Henr. Stafford Com. VVilton.*

Elisabetha ux. *Geraldi Fitz-Gerald, C. de Kildare.*	Maria nup. *VValtero Devereux B. Ferrers de Chartley.*	Margarita ux. *Richardi VVake de Blisvvorth.*	Thomas Grey M. de Dorset *Eq. Per. ifc.* † a. 1530. *Margarita Roberti VVatton de Boston f. VVilhelmi Medley vid.*	Richardus Grey.	Johannes Grey.	Leonhardus Grey *decoll.* 1559.	Georgius Grey *Clericus.*	Brigitta † in juventa.	Anna ux. *Richardi Clement.*	Elisabetha nupta *Henrico Courtney, C. Devon.*

Anna nup. *Henrico VVillough by de Wollaton.*	Henricus Grey M. de Dorset DUX SUFFOLC. *Eq. Per. decoll.* 17. Febr. 1554. Ux. 1. *Catharina Fitz-Alan, VVilhelmi C. Arundel f.* 2. *Francisca Brandon. Caroli D. Suffolc. f.*	Johannes Grey de Pirgo . . *Maria Antonii Brovvn, Vicec Montacute f.*	Thomas Grey *decoll.* 27. Apr. 1555.	Leonhardus Grey.

2. Johanna nup. *Guilfordo Dudlejo, decollata*, una cum marito d. 12. Febr. 1554.	Catharina nup. 1. *Henrico B. Herbert* 2. *Eduardo Seymour C. Hertford.*	Maria ux. *Martini Keys.*	Henricus Grey Baro de Groby † 26. Jul. 1614. *Anna, VVilhelmi B. VVindsor f.*

Gratia.	Magdalena.	Patientia.	Priscilla.	Johannes Grey † ante patrem *Elisabetha, Eduardi Nevill B. Bergavenny f.*	Ambrosius Grey.	N nupta 1. *VVilhelmo Suylard* 2. *N. Stevvard.*	N. Uxor *Wilhel. Felton.*

Henricus Grey B. de Groby COMES STAMFORDIÆ cr. 26. Mart. 1627. † 21. Aug. 1673. *Anna Cecil, VVilhelmi C. d' Exeter f.*	Philippus Grey.	

Thomas Grey † ante patrem. *Dorothea Bourchier Eduardi C. de Bathe f.*	Johannes Grey.	Leonardus Grey.	Elisabetha nupta *Georgio B. de la Mer.*	Diana nup. *Roberto Bruce C. d' Aylesbury.*	Johanna.	Anna & Maria †† innup.

Thomas Grey Comes de Stamford. B. Grey de Groby. *Elisabetha Danielis Harvye Eq. aur. & Legati Constantinop. fil.* †	Elisabetha nupta N. *Benson de Charton.*	Anna.

Henricus III. peculiari concessione corroboratiorem ei reddidit, auctus est. Ab ejus filiis RICHARDO, JOHANNE & WILHELMO tresenati sunt rami: in primo, qui cognomento de *Codnovre* distinguebatur, inclaruere, post ipsum satorem, quem R. Henricus III. Comestabilem castri Doverensis & Custodem quinque portuum creavit, his officiis postea, eo quod monachum literas Regi ingratas & adversas à Pontifice Romano afferentem, terram conscendere passus esset, multatum; RICHARDUS II. à R. Eduardo II. ob bene merita munere Senescalli Vasconiæ & Aquitaniæ ornatus, RICHARDUS III. Comestabilis castri Nottingam, & Supr. Cubicularius R. Henrici V. & denique HENRICUS Alchymiæ studio impense deditus, ramique sui palmes legitimus postremus; nothos enim is tantum post se reliquit, inter quos HENRICUS *Grejos de Langley* prosevit; hæredem autem habuit amitam *Elisabetham*, quæ prædium *Codnovre* in *Zouchianam* familiam transtulit. Omnes de cætero ex illa linea recta serie prognati inde à Johanne, Richardi I. filio, usque ad Henricum in censu *Baronum Angliæ* habitos, & ad Parlamenta evocatos fuisse, ex autoris nostri *Submonitionibus* videre est. Hac autem prærogativa etiam ex tertio prognati ramo, *Rotherfeldensi* scilicet, quem *Wilhelmus* condidit, gavisi sunt: è quibus militari gloria illustratus est JOHANNES II. R. Eduardi III. in pletisque expeditionibus bellicis strenuus comes, atque ab eo præfectura palatii sui ornatus. Progenies ejus usque ad Henrici IV. regnum duravit, cujus anno secundo in RICHARDO *Johannis* IV. gnato minimo defecit.

Enim vero JOHANNIS, qui Richardi I. filius secundo genitus fuit, propago maximis semper auctibus ad hanc usque ætatem crevit, novisque subinde effloruit surculis: à Johannis II. gnatis HENRICO & ROBERTO in *Grejos de Wilton* & *Grejos de Ruthyn* se diffudit: priorum stirps hoc demum emarcuit seculo, multa tamen gloria in posterioribus ejus palmitibus WILHELMO & ARTURO inclutis bellatoribus, macta. Ille multis fortibus factis sub Henrico VIII. Eduardo VI. Maria & Elisabetha nobilitatus, propugnatione inprimis Ghisnensis castri famam sibi peperit: ejus enim obsidionem, qua à Gallis summa vi cingebatur, incredibili solertia & virtute, diuturnius quam sperare licebat, sustinuit, nec nisi extrema coactus necessitate, omnique destitutus auxilio, accedentibus tumultuantium præsidiariorum minis, arcem seque hostium potestati permisit, à quibus in custodia detentus fuit, donec XXIV. coronatorum millia persolvisset, quo tam gravi redemptionis pretio, cum patrimonium ejus valde accisum esset, à Regina Elisabetha virtutis decoramentum, & officiorum remunerationem, limitis Medii ac Orientalis, nec non Berwici præfecturam tulit, inter Equites *Ordinis San Georgiani* jam antea ab ea allectus. Postquam fatis concessit magno, ut *Camdenus* (a) testatur, cum Protestantium dolore, honorum ac virtutum suarum hæredem post se reliquit ARTURUM: hunc perspectæ fidei ac fortitudinis virum modo dicta Regina Proregem Hiberniæ anno 1580. constituit, quo munere strenue ac prospere functus est, fractis rebellibus, & ad obsequium reductis. Verum quam illi fidelitatis laudem consecuti sunt, contaminavit THOMAS GREIUS, *Arturi* filius, Brocianæ conjurationis adversus R. Jacobum initio statim sui in Anglia regni initæ particeps, imo *Johnstono (b)* referente *princeps & autor, in omnem patrandi sceleris occasionem intentus, nunc occulte legendo milites, specie belli Belgici, nunc convocando fidissimos clientes, velut ad vitæ præsidium.* Comprehensus & capitis damnatus, cum, ut clementiam Regis imploraret, admoneretur, respondisse fertur, *non omnibus omnia decora: neque congruum pudori suo, vitam toties periculis objectam, nunc suppliciter deprecari, didicisse se à parentibus, majoribusque suis, pro Regis regnique salute in acie decertare; non misericordiam implorare;* atque ad hæc commemorasse familiæ suæ egregia facinora, nunc in acie, nunc in expeditionibus Gallicis, Stoticis aut Hibernicis. *Erat certe*, cum *Johnstono* loquor, *juvenis virilis vere ac militaris: in medio virium robore, multis naturæ & fortunæ dotibus instructus; qui præclarum dederat suæ virtutis in Belgio specimen.* Spontanea vero Regis clementia cum in loco supplicii jam tum constituto vitæ gratia facta fuisset, voce, gemitu, lachrymis delicti pœnitentiam publice testatus est, paratumque se sanguine scelus expiate, abolere memoriam fœdissimæ culpæ, ac pro salute Majestateque Regis mortem oppetere. Perpetuæ tamen custodiæ addictus undecimo demum anno elapso spiritum in ea posuit, lineamque *Grejorum de Wilton* finivit.

Grejorum de Ruthyn sator ROGERUS fuit, qui sub Regibus Eduardis II. & III. in Scotico Gallicoque bello militavit, in Parlamento Eboraci anno 1322. habito, inter Pares regni consedit, & post soceri mortem castrum *Bergavenny* obtinuit. Filiorum ejus natu major JOHANNES vir egregius, & togæ pariter ac sagi artibus, quarum in legatione Romana anno XVII. regni Eduardi III. obita, posteaque in bello Gallico documenta dedit, ornatissimus, immatura morte patris fata antevertit, unde ad REGINALDUM natu minorem successio familiæ devenit, nec ipsum inglorium militiæ. Huic filius erat cognominis REGINALDUS II. qui

(a) *Annal. Elis. P. I. pag. 78.* (b) *Rer. Brit. L. XI. p. 377.*

qui cum *Ovveno Glendour* agri compaſcui ergo in acrem incidit contentionem, ita ut cum ad manus ventum fuiſſet, ab eo captus, nec niſi gravi lytro perſoluto dimiſſus fuerit, quam tranſactionem neceſſitate extortam Rex Henricus IV. ratam habuit. Non levior illi diſceptatio coram Curia Eqneſtri orta eſt poſt obitum Johannis de Haſtings, de titulo *Baronis de Haſtings* & inſignibus integris dicti Pembrociæ Comitis, ſed ea ſine ferro diremta fuit, per ſententiam à judicibus anno 1410. latam, qua *Reginaldus Grejus* victor evaſit, adverſario etiam in ſumtus torenſes condemnato. Ab ejus filiis JOHANNE & EDUARDO, è duplici conjugio prognatis, duo iterum propullularunt palmites, hodieque florentes. Prior patri præmortuus totidem gnatos poſt ſe reliquit, quorum natu minor THOMAS à R. Henrico VI. anno 1450. *Baro de Rugemont-Grey* creatus, ob fidem illi ſervatam ab Eduardo IV. capitis damnatus eſt; major autem EDMUNDUS ob mutatam fidem & ad Eboracenſium partes defectionem, d. 24. Jun. 1463. munere Supremi Angliæ Theſaurarii, & poſt biennium d. 3. Maji dignitate *Comitis Cantii* auctus fuit. Succeſſorem in ea habuit GEORGIUM filium primogenitum, qui R. Henrico VII. in bellis domi foriſque geſtis operam commodaſſe prædicatur, pater ex iterato matrimonio aliquot filiorum; è priore natus RICHARDUS *Cantii Comes* patrimonium omne alea profligavit, ita ut ſine prole mortuus ad hæredem fratremque ſuum HENRICUM GREIUM *de Wraſt* nihil niſi inanem Comitis titulum transmitteret, quo tamen is ob rei familiaris anguſtias abſtinere, quam ſordida dignitatem deterere vita maluit; cujus modeſtiæ imitatorem habuit *filium cognominem*. Hoc autem natus REGINALDUS, cum frugalitatem in conſilium adhibendo aliquid comparſiſſet, atque ad lautiorem conditionem perveniſſet, *Comitis Cantii* axioma, annuente Regina Eliſabetha, iterum aſſumſit, cumque ſine ſobole è vita migraſſet, fratres HENRICUM & CAROLUM ſucceſſores in eo honore nactus eſt. Hujus denique gnato etiam ſine liberis functo ANTONIUS *Grejus de Granſpeth*, proximus illius agnatus hæreditatem gentilitiorum honorum ſibi vindicatum ivit, & *Comitis* quidem dignitatem nemine obſtante tulit, de titulo vero *Baronis Greji de Ruthyn* locoque in Parlamento ei annexo, in jus vocatus eſt à *Carolo Longuile*, è ſorore *Henrici Greji* II. Comitis Cantii nato, in cujus quoque favorem ſententia d. 6. Febr. 1641. à Judicibus pronunciata fuit, qui exinde *Baro Grey* appellari cœpit, idque tituli moriens ad generum in filia unica *Henricum Telverton* transmiſit, qui eo in præſentia gaudet. Cantii autem Comitis axiomate ANTONIUS GREIUS, *Antonii* paulo antememorati nepos, nunc eminet.

EDUARDUS GREIUS, *Reginaldi* II. Baronis *Grey de Ruthyn* è poſteriore matrimonio gnatus (à quo nova defluxit linea) proſoceri ſui hæres factus, honores etiam *Baronis Ferrers de Groby* conſecutus, eoque nomine ad Parlamentum à R. Henrico VI. anno regni ſui XXVII. indictum evocatus eſt. Filiorum ejus natu maximus ac minimus, JOHANNES ſcilicet & REGINALDUS dicti Regis partes adverſus Eboracenſium factionem ſtrenue propugnando mortem oppetiere, hic in *Wakefeldenſi*, ille in ſecundo ad *Albani fanum* prælio: medius EDUARDUS novum uxorio jure titulum in familiam intulit, nempe *Baronis l' Isle* à R. Eduardo IV. anno 1475, ipſi collatum, atque à Richardo III. *Vicecomitis* axiomate d. 28. Jun. 1483. auctum; is autem filio illius JOHANNE ſine prole maſcula mortuo in aliam atque aliam gentem tranſiit. *Johannis* autem Baronis *de Groby*, qui in pugna *San-Albana* occubuiſſe dictus eſt, Uxor *Eliſabetha Widvilia*, vidua facta cum formæ, qua valebat, illecebris in torum R. Eduardi IV. penetraſſet, filiis è priore thalamo ſuſceptis incremento partim, partimi exitio fuit. Nimirum minor natu RICHARDUS GREIUS, poſtquam Rege modo nominato vivis exempto frater ejus Richardus Glouceſtrius regnum rapuiſſet, idque vi & cædibus propinquorum reginæ viduæ ſibi aſſertum iret, à miniſtris hujus tyrannidis interceptus, & uſurpatoris juſſu Ponrifracti ſecuri percuſſus eſt; cum eidem fato ipſius frater natu major THOMAS GREIUS tempeſtiva ſe ſubduxiſſet fuga. Hunc R. Eduardus IV. undecimo regni ſuo anno *Comitem Huntingdoniæ*, quadriennio elapſo, nempe anno 1475. d. 18. Aprilis *Marchionem Dorſettiæ per cincturam gladii & capæ honoris & dignitatis impoſitionem* creavit, ampliſſima *Bonvillorum* hæreditate jure uxorio in iſto agro & vicinis auctum. Poſtquam ob Richardi tyrannidem in Galliam ſeceſſiſſet, & Henrico Richmondiæ Duci operam ſuam addixiſſet, ab illo ad regnum evecto inter ſanctiores Conſiliarios cooptatus, exploratаque fide ſua in intimam familiaritatem adſcitus eſt. E filiis, quos complures habuit, THOMAS inprimis & LEONHARDUS inclaruere; *hic* poſt haud exiguam operam R. Henrico VIII. in Gallia Hiberniaque navatam, immeritum tulit præmium, in ſuſpicionem, quaſi conſilia cum Cardinali Polo aliisque Regis hoſtibus miſceret, adductus, eaque propter capitali ſupplicio affectus, *Thomas* in honores paternos ſucceſſit, genitor HENRICI GREII, qui cum *Franciſcam* Caroli *Brandon* Ducis Suffolciæ gnatam, & R. Henrici VIII. è ſorore neptem duxiſſet, atque à R. Eduardo VI. d. 11. Oct. anno 1551. *Dux Suffolciæ* creatus eſſet, pro ea, qua erat, ſimplicitate perſvaderi

ſeà

se à Joh. Dudlejo Northumbrio passus est, ut consiliis de *Johanna* filia sua *Guilfordo Dudlejo*, istius gnato, nuptui locata, ad regnum post R. Eduardi obitum provehenda, adstipularetur; quantumvis verò JOHANNA GREIA non solum dicti Regis testamento regni Anglici hæres constituta, sed etiam illo mortuo d. X. Julii a. 1553. Regina renuens equidem, tanquam periculi præsaga, vel conscientia territa, promulgata fuerit, brevi tamen Mariæ fortuna prævalente versæ sunt rerum vices, ita ut Suffolcius ipse, metu prope exanimatus, primus filiam regalibus insignibus exutam ad privatam haud ægre vitam redire admoneret, quem nuntium illa æquioribus se accipere auribus, quam cum invita & minis adacta ad regium fastigium raperetur, testata est. In custodiam deinde à Maria dati, Suffolcius filiaque ejus ac gener veniam gratiamque impetraturi erant, nisi nova Carevi & Wiati conspiratio sequenti anno intervenisset: hujus enim postquam *Suffolcius* adhuc captivus, sed qui mutandi aeris causa morbi prætextu ad ædes suas fide data diverterat, particeps factus fuisset, mox ex innata mobilitate in Warwicensem regionem se contulit, ubi cum frustra cives ad arma vocaret, & filiæ *Johannæ* rursus regnum asserere conaretur, ab omnibus desertus, atque à rustico, cujus fidei se commisit, proditus Londinum denuo captivus deductus, & tandem ad mortem una cum gnata generoque damnatus fuit. De patre d. 17. Febr. de his autem quatriduo ante supplicium sumtum est, quod *Johanna* mira subiit constantia, postquam modestam ad adstantes orationem de facti serie habitam hoc clausisset epiphonemate: *reamme*, inquiebat, *non quod regnum affectaverim, sed quod oblatum non repudiaverim, facit, exemplum memorabile posteris præbituram, innocentiam facta gravia, quæ in publicam perniciem vergunt, non excusare; abunde quippe sceleris videri illum admisisse, quisquis alienæ ambitioni & libidini vel invitus serviverit.* (a) Fuisse in *Johanna* prædicatur pietas eximia & infucata, fidei sinceræ & Theologiæ supra sexum, Græcarum etiam & Latinarum literarum scientia singularis, plurimaque virtus, ita ut fata ejus etiam adversarii veris deplorarint lachrymis, & *Morganus*, qui funestam adversus eam pronunciaverat sententiam, ex animi morsu & inquietudine in phrenesin inciderit. *Suffolcius* de cætero cum læsa Majestate non se tantum perdidisset, sed etiam familiam avitis honoribus privasset, vicem illustris stirpis misertus R. Jacobus, primo statim regni sui anno HENRICO GREIO *de Pirgo*, Suffolcii è fratre nepoti, diploma d. 21. Julii scriptum impertiit, quo *Baronem Grey de Groby* denuo illum creavit; hujus postea nepotem è filio Johanne R. Carolus I. anno 1627. dignitate *Comitis Stanfordiæ*, Lincolniæ urbs ea est, auxit, qua nunc THOMAS GREJUS gaudet.

Insignia familiæ *Greja*, è qua *Comites Cantii & Stanfordiæ* prodiere, *scuto senis transversis fasciolis ex argento & cyano exarato, tribusque vitellis rubeis in cephalo distincto*, constant; *Atlantum* vices ab utroque latere *basiliscus* implet *aureus*, quali etiam *in apice* uti solent.

CAPUT XXIII.

DE COMITIBUS DARBIÆ ET FAMILIIS FERRARIA ET STANLEIANA.



Arbiæ Comitem ordo jam tangit; ea provincia occiduum Nottingamiæ latus claudit, atque à Wilhelmo Conquestore Dominum accepit, *Wilhelmum Peverellum*, filium ipsius nothum, cui ejusdem nominis successit gnatus, à R. Henrico II. quod Ranulpho Cestriæ Comiti venenum miscuisset, fugatus & ditionibus multatus. *Comitis Darbiæ* titulum primus gessit ROBERTUS DE FERRARIIS, *Hugonis* filius, & *Gualchelini de Ferrariis*, genere Normanni, nepos, à R. Stephano ipsi collatum ob fortem operam, quam in bello, *de Standardo* dicto atque à Septentrionalibus Anglis adversus Davidem Regem Scotorum gesto, præstitit. Gnatum ille post se reliquit cognominem, qui *Comitem juniorem de Ferrariis & de Nottingham* se indigitasse legitur, & Abbatiæ Merevalensis fundator ac dotator extitit, ubi exuviæ ejus, bovino involutæ corio, reconditæ fuere. Eo natus WILHELMUS filiam ac hæredem *Wilhelmi Peverelli* II. paulo ante nominati, uxorem duxit, cumque ea novum in Nottinghamiam & Darbiam jus obtinuit, genitor ROBERTI III. Is audita rebellione, quam Henricus Junior, à patre R. Henrico II. in Regem coronatus, in Gallicis provinciis cœptaverat, arma corripuisse & Nottinghamiam ferro ac igne vastasse memoratur, Regi tamen post imploratam ejus gratiam reconciliatus; filius autem ejus WILHELMUS II. avitis caruit honoribus, quippe quos R. Richar-

(a) *Thuan. Hist. Lib. 13.* (b) *Burnet. Hist. Reform. Angl. P. II. L. 2. p. 648.*

SCHEMA FAMILIÆ FERRARIÆ.

ROBERTUS FERRERS sive DE FERRARIIS, Henrici F. COMES DARBIÆ † a. 1139. Uxor: *Havisia.*

Robertus Comes Junior de Ferrariis & Nottingham. | Isolda nupta *Stephano de Beauchamp.* | N. Uxor *VValchelini Mamimot.* | Walchelinus de Ferrariis de Ocham.

Wilhelmus Comes de Ferrariis & Darby. *Margarita, VVilhelmi Peverel de Nottingham f.* | Hugo de Ferrariis † improlis *N. Hugonis de Say fil. ac hær.* | Isabella nupta *Rogero B. Mortimer.*

Robertus C. de Ferrariis & Darby III. *Sibylla, Wilhelmi de Braose in Brecknock fil.* | Wilhelmus de Ferrariis. | Hugo de Ferrariis. | Walchelinus de Ferrariis in Egginton.

Wilhelmus II. C. de Ferrariis & Darby † in obsid. Aconæ 1191. *Sibylla.* | Milisenda nupta *Rogero B. Mortimer de VVigmore.* | Agatha Concubina *R. Johannis*, post uxor *Leolini Pr. VVallia.* | Robertus de Ferrariis Do. Egginton † 1225. *Johanna VVilhelmi de Bocland fil. & cohæres.*

Wilhelmus III. C. de Ferrariis & Darby † 1247. *Agnes, Ranulphi C. Cestriæ f. & cohæres.* | Ermentruda nup. *Roberto Talbot de Gainesborough.* | Margarita.

Wilhelmus IV. Comes de Ferrariis & Darby † 24. Marti 1254. Ux. 1. *Sibylla, VVilhelmi Mareschall C. Pembroc. f. & coh. 2. Margarita Rogeri de Quincy C. VVintonia fil.* | Thomas de Ferrariis.

Agnes Ux. *Wilh. de Vesci.* | Isabella nupta 1. *Gilberto Basset. 2. Reginaldo de Mohun.* | Mathilda nup. 1. *Wilhelmo de Kime. 2. Wilhelmo de Vivon. 3. Emerico de Rupe canardi.* | Sibylla Uxor *Francisci de Bohun de Midherst.* | Johanna, nupta 1. *N. Aguillon, 2. Joh. de Mohun de Dunster.* | Agatha uxor *Hugonis de Mortimer de Chelmersh* | Eleonora nup. 1. *Wilhelmo de Vallibus. 2. Rogero de Quincy C. VVinton. 3. Rogero de Leyburne.* | 2. Robertus IV. C. de Ferrariis & Darby ultimus. *1. Maria, Hugonis C. Marchia & Engolism. f. 2. Alienora Radulphi B. Basset f.* | Wilhelm. de Ferrariis de Groby † 1288. *1. Johanna Hugonis le Despenser f. 2. Eleonora.*

2. Johannes de Ferrariis Baro de Chartley † 1324. *Hawvisia, Roberti de Muscegros fil. & hæres.* | 1. Anna, nup. *Johanni B. Grey de Wilton.* | Wilhelmus II. Baro Ferrers de Groby † 1324.

Robertus de Ferrariis † 1350. Johanna . . . . | Henricus Baro Ferrers de Groby † 15. Sept. 1343. *Isabella, Theobaldi de Verdon soror & cohæres † 25. Jul. 1349.*

Johannes de Ferrariis B. de Chartley † 2. Apr 1367. *Elisab. Fulconis le Strange vid.* | Robertus Ferrers de Wemme † 1380 *Elisab. Wilh. Boteler de Wemme f.* | Wilhelmus III. B. Ferrers de Groby † 1373. Ux. 1. *Margarita Roberti Ufford, C. Suff. f. 2. Margarita, de Percy, Gilberti de Umfranvil C. Angos f. † 1375.* | Philippa nup *Guidoni de Beauchamp.* | Anna nupta *Eduardo Despenser.* | Elisabet. Ux. *N. de Assely.*

Robertus de Ferrariis B. de Chartley † 1413. *Margarita, Eduardi B. Spencer f. † 1415.* | Robertus Ferrers B. de Werne *Johanna Beaufort, Joh. de Gaunt D. Lancastr. f.* | Henricus II. B. Ferrers de Groby † 3. Febr. 1388. *Johanna, Thomæ Poynings f. † 30. Maji 1394.* | Elisabetha *monialis.* | Margarita nup. *Thomæ de Beauchamp II. C. Warvvici † 22. Jan. 1406.*

Edmundus de Ferrariis B. de Chartley † 1436. *Helena, Thomæ de la Roche f.* | Elisabetha nup. *Johanni B. de Greystock.* | Maria uxor *Radulphi Nevil.* | Wilhelmus IV. B. Ferrers de Groby. *1. Philippa, Rogeri B. Clifford, f. 2. Margarita de Montacute, Johannis C. Sarisbur. f.*

Wilhelmus de Ferrariis B. de Chartley. | Edmundus de Ferrariis. | 1. Henric. de Ferrar. † ante patrem. *Isab. Movvbray, Thomæ D. Norf. f.* | Thomas à quo Ferrarii de Tamworth.

Anna Baronissa Ferrers de Chartley nup. *Waltero Devereux.* | Elisabetha Baronissa Ferrers de Groby, nup. 1. *Eduardo Grey. 2. Johanni Bourchier.*

R. Richardum I. in fratrem suum *Johannem*, quiad regnum deindepervenit, transtulisse memoriæ proditum est; ille nihilominus, ut fidem suam dicto Regi probaret, expeditioni ejus in Palæstinam comitem se præbuit atque in obsidione Aconitana mortem oppetiit, relicto post se gnato WILHELMO III. qui una cum Comite Cestriæ, socero suo, ejusdem Regis partes adversus Johannem ipsius fratrem, cum is absentia & captivitate Richardi ad tyrannidem abuteretur, strenue tuitus, atque ab eo reduce inter cariores propterea adscitus, nec minoris deinde à Johanne, cum ei legitima per Richardi mortem via ad regnum delato fidem jurasset, habitus atque ab eo *Comes Darbiæ* sollemni ritu denuò creatus est, quod d. 7. Jul. anno 1199. contigisse autor noster (*a*) refert; diversis etiam sub R. Henrico III. muniis & præfecturis probe perfunctus, filium WILHELMUM IV. successorem in recuperata dignitate habuit. Is inde à prima juventa articulari morbo afflictus, cum curru circumvehi necesse haberet, tandem aurigæ incuria rheda excussus & de ponte super quo tunc forte vehebatur lapsus est, tam graviter, ut fractis membris paulo post animam efflaret. Gnatus ejus ac successor ROBERTUS IV. cum post multas in Baronico, ceu vocant, bello, adversus R. Henricum III. turbas datas, in gratiam cum illo rediisset, & fidem conceptissimis verbis in officio se permansurum obstrinxisset, sed injuriarum impatientissimus, ut fortunam, quam flectere non potuit, plane frangeret, arma denuo in Principem corripuisset, demum captus, (ut cum *Camdeni* (*b*) Historico loquar) secundum formam obligationis suæ, fortunarum & dignitatum omnium jacturam fecit, adeo ut ex posteris nulli in integrū restituti fuerint, licet cæteroquin dignatio eorum haud exigua esset, utpote in Parium censu habitorum, & titulo *Baronum Ferrers de Chartley* (quod Staffordiæ castrum nec non oppidum *Holbroke* in Darbia Roberto ex amplissimis ditionibus fortuna reliquum fecerat) insignium. Defecit denique virilis illorum stirps Henrico VI. regnante in WILHELMO BARONE FERRERS DE CHARTLEY, cujus gnata unica ANNA id tituli una cum patrimonio in familiam *Walteri Devereux* mariti sui transtulit: quo temporis tractu alter quoque Ferrariæ stirpis ramus emarcuit adque colum devolutus est. Hunc WILHELMUS de Ferrariis postremi Comitis Darbiæ frater prosevit, *de Groby* (quod prædium Leicestriæ è materna acceperat hæreditate) cognominatus, cujus *filius cognominis* primus ad regni Comitia inter Pares evocatus fuisse legitur: eo natus est HENRICUS, hoc WILHELMUS III. ambo gloria militari sub R. Eduardi III. signis parta illustres. WILHELMUS VI. HENRICUM II. genuit, patrem WILHELMI IV. qui gnatum natu majorem HENRICUM turbato mortalitatis ordine sibi præmortuum extulit, atque ELISABETHAM suam ex illo neptem hæredem habuit, cum qua titulus *Baronis Ferrers de Groby in Grejanam* transiit domum, quemadmodum *capite præcedenti* dictum est.

Scutum quo *Ferrarii Comites Darbiæ & Barones de Chartley* utebantur, *petasis aureis & rubeis variegatum* erat; Barones vero *de Groby Quinciæ* gentis insignia, ab eorum autore *Wilhelmo* maternæ originis ergo adscita, gessere, nempe *rhombos septem aureos in solo rubeo*.

Cæterum postquam *Robertus de Ferrariis* Darbiensi Comitatu ob perduellionem exutus fuit, collatus is illico est à R. Henrico III. *Edmundo Gibboso*, filio suo natu minori, Lancastriæ etiam & Leicestriæ Comiti, unde Lancastrico stemmati coaluit, donec R. Henricus VII. id tituli THOMÆ STANLEIO, qui *Margaritam Bellofortiam* ipsius matrem uxorem duxerat, impertiit. Familiæ, qua ille ortus est, primam in Cestria sedem fuisse, appellationem vero *Stanley*, à dynastia ejusdem nominis in Septentrionali Staffordiæ tractu, quem *Mooreland* vocant, sita atque à saxis & rupibus, quibus abundat, sic dicta, traxisse, *Dugdalius* (*c*) refert; opibus autem aucta maxime illa fuit per matrimonium JOHANNIS STANLEII cum *Isabella*, Thomæ *Lathom de Lathom* in Lancastria gnata ac hærede: ab his stemmatis Stanlejani seriem autor noster exorsus est, *Johannem* maximæ dignationis virum sub Regibus Richardo II. Henricis IV. & V. extitisse prædicans, ut pote ab illo prædio *Blake-castle* in Hibernia & præfectura castri *Kokesburgh* in Scotia, ab Henrico IV. officiis Senescalli Palatii Regii, & Comestabilis Windsoriæ, nec non *Manniæ* insulæ dominio ac insignibus *Ordinis Georgiani*, à postremo denique legatione Hiberniæ amplificatum. Ab ejus gnato minori THOMA *Stanleji ab Elford* in Staffordia prodiere; major JOHANNES II. castrum *Caernarvon* rexit, pater THOMÆ, qui Hiberniæ Locumtenens aliquandiu præfuit, & filium cognominem habuit, in censum Parium Angliæ relatum, atque ad Parlamenta ab ineunte regno Eduardi IV. evocatum; postea vero quam *Margaritam*, Edmundi C. Richmondiæ viduam, in matrimonium duxisset, ejusque gnatum Henricum diademate, quod Richardo III. in Bosworthensi pugna prostrato deciderat, cinxisset, ab ipso ad dignitatem *Comitis Darbiæ* evectum, atque una cum filio GEORGIO inter intimiores ejus consiliarios adscitum. Iste Baro Strange, jure uxorio, dictus, mans

(*a*) *Dugdal. Baronag. T. I. p. 260.* (*b*) *Descr. Brit. p. 464.*
(*c*) *Baronag. T. III. p. 247.*

manu strenuus & bellator bonus, dicto Regi Henrico VII. fidem operamque plurimam præstitit in bello intestino à Johanne Pola Comite Lincolniæ excitato, victoriæque de eo & complicibus ejus apud vicum *Stoke* reportatæ præcipuum extitit instrumentum, *aurea periscelide* ea propter decoratus; quo ornamento frater quoque ejus EDUARDUS affici meruit egregia virtute, cujus in Floddonensi contra Scotos prælio eximia dedit documenta; dum enim sagittariorum, quos regebat, opera hostes de colle, quem sibi peropportunum occupaverant, deturbavit, præcipuum ad illorum internecionem populariumque victoriam momentum attulisse celebratur. Rex Henricus VIII. præter dictum Equitis Georgiani decus, etiam axioma Baronis Montaquilini *(Lord Montagle)* ei contulit, in perpetuum monticuli, de quo Scotos dejecerat, & aquilæ, qua tunc ad majorum suorum exemplum galeam ornaverat, monumentum.

WILHELMUS STANLEIUS, Thomæ primi Comitis Darbiæ frater, merita propinquorum suorum de R. Henrico VII. superasse dicendus est: quippe qui eum in decretoria ad Bosworthum pugna, à Richardo circumventum, & de vita periclitantem, opportune cum copiis suis auxilio veniendo præsenti eripuit discrimini & servavit, interfecto ibi eodem momento Richardo. Neque Henricus victoria & regno potitus immemorem beneficii se præbuit, sed *Wilhelmum* magnis donatum muneribus cubiculo suo præfecit, summoque in honore habuit. Ille vero his regiæ gratitudinis signis non contentus & ampliora meruisse sibi visus ambivit honorem Comitis Cestriæ, qui tamen filiis Regum primogenitis ex more conveniebat, repulsamq; adeò ipique tulit, ut animum studiumque suum sensim à Rege alienaret, & deinde consiliis factionique eorum clam se sociaret, qui Richardum Ducem Eboracensem, R. Eduardi IV. gnatum minorem, in vulgaris juvenis, cui *Petro Warbek* nomen erat, persona resuscitatum, atque ad regnum evectum ibant. Ea re cognita Rex valde perturbatus est, vixque adduci potuit, ut delatori fidem haberet; postquam vero certis id indiciis patuit, comprehendi *Wilhelmum* & quæstioni subjici jussit, qui nihil inficiatus, sed si quid peccatum erat, ingenue fassus est, *confisus, ceu erat opinio, superioribus meritis suis, atque intercessioni fratris. Verum his adjumentis præponderasse complura alia Verulamius in vita R. Henrici VII. notavit, quæ contra eum faciebant, atque in Regis ingenio & animo prædominabantur; primo meritorum ejus exsuperantiam, eò quod Regibus grata sit meritorum mediocritas, quibus præmia paria esse possint. Deinde apprehensionem potentiæ ejus: subiisse enim Regem eam cogitationem, ab eodem qui ipsum extulisset, periculum sibi imminere, ne rursus dejiceretur. Tertio confiscationis magnæ expectationem: etenim omnium Regis subditorum illum fuisse ditissimum. Postremò temporis ipsius conditionem, quod Rex à metu quoad statum proprium immunis nondum esset. Itaque post sex hebdomadarum spatium elapsum (quam moram Rex interposuit, tum ut fratris intercessioni spatium daret, quam ut palam fieret, se non sine conflictu quodam animi ad hoc compulsum) alta proditionis condemnatus & statim post decapitatus est.*

EDUARDUS STANLEIUS *Comes Darbiæ* multis floruit virtutibus, quibus magnam sibi peperit existimationem, sub R. Henrico VIII. variis togæ ac sagi muniis cum laude perfunctus, ab Eduardo VI. *aurea Periscelide* ornatus, à Maria die inaugurationis suæ summus Senescallus constitutus, atque ab Elisabetha inter intimiores consiliarios cooptatus. Comitate ac liberalitate familiari jucundam sui memoriam reliquisse, cumque ipso hospitalem gloriam quodammodo obdormivisse *Thuanus* (a) & *Camdenus* (b) monumentis annalium mandarunt. Ex ejus filiis THOMAS & EDUARDUS conspirationis ad Scotorum Reginam è custodia liberandam referente eodem autore (c) participes, in carcerem ea propter a. 1570. conjecti fuere.

DE FERDINANDO STANLEIO *Comite Darbiæ* modo citatus autor (d) memoriæ prodidit, quod paulo post parentis ipsius decessum Richardus Heskettus à profugis Anglis submissus ei persuaserit, ut regni titulum assumeret, jure à proavia Maria, filia R. Henrici VII. repetito, auxiliares copias & pecuniam ab Hispano prolixe pollicitus, minatus contra certum intra breve tempus exitium, ni faceret & rem silentio obtegeret; sed illum insidiis se peti metuentem, hominem detulisse. Minæ tamen illæ effectu non caruerunt. Comes enim post quatuor menses diris doloribus, crebris ferruginei coloris vomitibus excruciatus, non sine suspicione veneni in juventutis flore expiravit. Cadaver, quamvis ceratis linteis obvolutum & plumbo inctectum, ita corruptissimis & fœtidissimis humoribus defluxit, ut sepulturæ locum nemo longo tempore accedere potuerit. Suspicio non parva cecidit in Hippocomum, qui, simul ac Comes decubuit, equo optimo arrepto aufugit. Successit in Darbiæ Comitatus

honore

(a) Lib. 51. (b) Annal. Elisab. p. 238. (c) Ib. 187. (d) Ib. p. 613. & 632.

SCHEMA FAMILIÆ

JOHANNES STANLEY *Eques Perisc.* cr. 1408.

Johannes Stanley II. *Isabella Harington.*

Thomas Stanley † 1459. *Johanna Roberti Goushill f.*

Thomas Baro Stanley, COMES DARBIÆ, cr. 27. Oct. 1485. *Eques Periscel.* † 9. Nov. 1504. 1. *Eleonora Nevil, Richardi Com. VVarvvic. f.* 2. *Margarita Beaufort, Edmundi Tudor C. Richmondiæ vid.*

Margarita nupta *Wilhelmo Troutbek.*

1. Thomas Stanley † juv. | Richardus Stanley † juv. | Georgius Stanley, Baro Strange *Eq. Per.* † 5. Dec. 1487. *Johanna Johannis B. Strange de Knockin f. & hær.* | Wilhelmus Stanley † juv. | Johanna † juv. | Catharina † in juv.

Thomas Stanley II. C. Darbiæ † 24. Maji 1521. *Anna Eduardi B. Hastings f.* | Jacobus Stanley. | Elisabetha. | Johanna nup. *Roberto Sheffeild.*

Johannes Stanley † ante patrem. | Eduardus Stanley C. Darbiæ *Eq. Per.* † 24. Oct. 1572. 1. *Dorothea Hovvard, Thomæ D. Norfolc f.* 2. *Margarita, Eliæ Barlovv f.* 3. *Maria Georgii Cotten de Cumbermere f.* | Henricus Stanley. | Margarita nupta *Roberto Ratcliff C. Sussexiæ.*

1. Henricus Stanley C. Darb. *Eq. Perisc.* † 25. Sept. 1594. *Margarita Clifford, Henrici C. Cumbriæ f.* † 1596. | Thomas Stanley Eques *Margarita, Georgii Vernon de Haddon f.* | Eduardus Stanley de Eynsham. | Anna nup. 1. *Carolo B. Stourton.* 2. *Johanni Arundel de Lanherne.*

Eduardus Stanley † juvenis. | Ferdinandus Stanley C. Darbiæ † m. April. 1595. *Alicia Johannis Spencer de Althorpe f.*

Anna nup. *Grejo Bruges Bar. Chandos.* | Francisca uxor *Johannis Egerton Com. de Bridgvvater.* | Elisabetha nupta *Henrico B. Hastings, C. Huntingd.*

Carolus Stanley C. Darbiæ † 21. Dec. 1672. *Dorothea Helena Rupa, Germana.* | Eduardus Stanley † cœlebs. | Wilhelmus Stanley † cœlebs.

Wilhelmus Richardus Georgius Stanley Com. Darbiæ, B. Strange Dn. Manniæ. *Elisabetha, Thomæ Butler, C. d'Ossery f.* | Robertus Stanley | Jacobus Stanley.

STANLEJANÆ.

Uxor: *Isabella, Thomæ Lathom de Lathom f.*

Thomas Stanley. *Mathilda, Johannis Arderne ab Elford fil. & hæres.*

Elisabetha ux. *Richardi Molineux.* — Wilhelmus Stanley *Eques Per. decoll.* 16. Febr. 1495. *Elisabetha Thomæ Hopton f.* — Johannes Stanley.

☾

Anna, † in juv. — Eduardus Stanley BARO MONTEGLE, *Eq. Per. Anna, Joh. Harington. fil. & coh.* — Jacobus Stanley *Episc. Eliensis* 1506. † 22. Mart. 1525. — Margarita nup. *Johanni Osbaldeston.* — Wilhelmus Stanley *Johanna Godofredi Massy de Tatton fil.*

☽

Thomas Stanley B. Montegle † 18. Aug. 1560.
1. *Maria Brandon, Caroli D. Suffolc. f.*
2. *Helena, Thomæ Preston de Lebens f.*

Johanna nupta *Richardo Brereton.*

1. Wilhelmus Stanley Baro Montegle. 1. *Anna, Jacobi Layburne f.* 2. *Anna Johannis Spencer de Althorpe f.* — Carolus Stanley. — Franciscus Stanley. — Elisabetha, nupta N. *Zouch.* — Margarita, ux. N. *Sutton.* — Anna.

☾

Elisabetha ux. *Henr. B. Morley.* — Maria nup. *Eduardo B. Stafford.* — Johanna ux. *Eduardi B. Dudley.* — 2. Georgius Stanley † juv. — Margarita nupta 1. *Joh. Jermyn.* 2. *Nicol. Poyntz.* — Catharina ux. *Thomæ Knyvet.*

☽

Elisabetha nup. *Eduardo B. Morley.*

Wilhelmus Stanley C. Darbiæ, B. Strange de Knockin, Dn. Manniæ *Eq. Perisc.* † 29. Sept. 1642. *Elisabetha de Vere, Eduardi C. Oxon. f.*

Jacobus Stanley C. Darbiæ, *Eq. Per. decoll.* 15. Oct. 1651. *Carola de la Tremoille, Claudii D. de Thouars f.* † 31. Mart. 1664. — Robertus Stanley Eques. — Elisabetha † juv. — Anna nupta 1. *Henrico Portmann de Orchard,* 2. *Roberto Carr Com. de Ancrum in Scot.*

☾

Maria nup. *Wilhelmo Wentvvorth C. de Strafford.* — Catharina ux. *Henrici Pierpont M. Dorcestria.* — Æmilia nup. *Johan. Murray C. Atholiæ.*

☽

Carl. Stanley Eq. Baln. *Jana, Wilh. B. Widdrington fil.*

Carolus Stanley. — Carola nupta *Thomæ Savage Vicec. Colchester.* — Maria † innupta.

honore WILHELMUS frater, inter quem & tres Ferdinandi filias cum lis orta esset de insulæ *Manniæ* dominio, juris periti regii pronuntiarunt, jus ejus insulæ ad Reginam spectare, Stanleiosque & Darbiæ Comites C C. jam annos nullo jure possedisse. Verum Regina hoc jure cessit, & Wilhelmus persoluta neptibus pecunia per transactionem pacta, insulam sibi posterisque asseruit.

In JACOBO STANLEIO *Darbiæ Comite*, Wilhelmi filio, fuisse celebratur summa probitas, summa prudentia multa cum eruditione conjuncta, summa fortitudo, summa in Regem fidelitas, quam constantissime usque ad perniciem suam coluit; dumque ipse vaga R. Caroli I. castra sequeretur nullumque non discrimen pro eo adiret, uxor ipsius *Carola Tremollia*, fœmina præstantissima & heroici spiritus, Lathomense castrum, quod in Lancastria situm cum prole incolebat, excelso & impavido animo adversus oppugnatores, summa vi usos defendit, multisque eruptionibus male multatos denique quinto obsidionis mense discedere re infecta coegit. Ad extremum vero cum Rex amissis rebus omnibus hoc etiam castrum Parlamentariis dedi jussisset, nec tamen multo post indignissima neceaffectus esset, Comes cum uxore ac liberis in Manniam insulam se recepit, ibique continuit, donec anno 1651. à Carolo II. è Scotia Wigorniam versus tendente evocaretur; quo dum iter facit, sexcentis stipatus equitibus, in tria millia hostium, quos Colonellus *Lilburne* ductabat, loco valde incommodo incidit; impetum tamen eorum duarum spatio horarum mira sustinuit fortitudine, ita ut difficultatibus omnibus superatis ad Regem tandem Wigorniam veniret, prœliique die 3. Septembris illic adversa fortuna commissi pars esset. In Staffordiam exinde fuga cum Rege delatus, postquam hunc in tuto collocasset, ipse vagus & circumerrans infesto denique casu in adversariorum potestatem in Cestria delapsus & contra fidem datam, tanquam reus violati decreti d. 12. August. ejusdem anni promulgati, ne quis cum Carolo Stuarto aliquid commercii haberet, Boltoni in Lancastria à conciliabulo perversorum hominum capitis damnatus ac securi subjectus est. Uxor postea ejus ac proles post Manniam insulam quàm diutissimè stupenda virtute defensam à nequam homine, quondam domestico, proditæ, in custodiam conjectæ, & improbissime habitæ sunt, usque dum Carolo II. in regnum feliciter reducto ac restaurato, in integrum ab eo restitutæ fuere.

Digma Stanlejorum gentilitium *tænia* constat *obliqua cærulea argenteo solo inducta & tribus capitibus cervinis aureis* distincta, *Galeam* tegit *mitra rubea, vellere muris Pontici farta*, cui incumbit *infans, fasciis rubeis involutus, & in præsepi spinis vel salicibus auro tinctis contexto recubans*, quem premit *aquila aurata. Sustinent* clypeum à dextris *cervus*, à sinistris *Gryphus*, ambo aurati & millo cœruleo, a quo longa dependet catena, vincti.

CAPUT XXIV.

DE COMITIBUS RUTLANDIÆ ET FAMILIA MANNERIA.



Darbiensem proximè sequitur *Comes Rutlandiæ* sive *Rotelandiæ*; ea à rubedine, qua passim terra ejus infecta est, usque adeo, ut etiam ovium vellera rubeant, sic dicta esse *Camdeno (a)* videtur, & Leicestrensi agro fere includitur; Comitem primum habuit *Eduardum Plantagenetam*, ex Eboracensi domo, qui etiam Dux Albæ marlæ, idemque extitit, qui consilia de tollendo R. Henrico III. nefarie concepit, parique postea levitate aperuit. Mortuo sine liberis successit nepos è fratre *Richardus Dux Eboracensis*, cujus filius tertiogenitus *Edmundus* titulum Comitis Rutlandiæ gessit, sed immatura ætate in pugna ad *Wakefield* cum patre interemtus est. Multis post annis R. Henricus VIII. THOMAM MANNOURS in Rutlandiæ Comitem erexit. Hujus majores multis retro temporibus in Northumbria aliqua in dignatione vixisse *Dugdalius (a)* refert, enumerans *Henricum Mannours*, qui paterna prædia LXXX. Marcis

(a) *Descr. Brit. p. 417.*

Marcis à R. Henrico II. anno 1179. redemerit, *Robertum Mannours ab Ethale* illo prognatum; cui Rex Eduardus III. potestatem domum suam *Ethale* muniendi fecerit, *Johannem*, qui à R. Henrico V. Sheriffus Northumbriæ constitutus fuerit, genitor filii cognominis, quo natus est ROBERTUS MANNOURS. Is felici connubio amplissimam *Rossorum* hæreditatem in familiam suam intulit, qua auctus filius ejus GEORGIUS MANNOURS titulum *Baronis Roos* uxoremque Regio ortam sanguine accepit nempe R. Eduardi IV. è sorore Anna neptem, quam ista è posteriore conjugio cum Thoma à S. Leodegario, equestris loci viro, suscepit. Decessit ille Tornaci, quo Regem Henricum VIII. secutus fuerat, relicto post se THOMA MANNOURS, eo ipso, quem dictus Rex *Comitem Rutlandiæ* creavit, id quod d. 28. Junii anno 1525. factum est. Huic successit HENRICUS, qui regnantibus Eduardo VI. Maria & Elisabetha claruit, atque obsidioni Fani Quintini in Picardia ductor generalis Equitum interfuit, à Regina ultimo loco memorata Locumtenens Nottingamiæ & Rutlandiæ, nec non Supremus Præses Senatus pro partibus regni Borealibus constitutus atque in *aureæ periscelidis* ordinem cooptatus.

EDUARDUS MANNOURS, Henrici filius natu major ac successor juris scientia, & omni politiori eruditione, *Camdeni (a)* elogio, ornatissimus, cum diversis togæ ac sagi muniis ab Elisabetha sibi collatis, egregie & supra ætatem perfunctus esset, Thomæ Bromleio Angliæ Cancellario successor destinatus fuit, quam ipsi dignitatem mors fato propera invidit. Filia ejus unica *Elisabetha* Baronatum *Roos* in *Ceciliam* transtulit gentem, unde *Wilhelmo Cecilio*, ex ea nato, & in Italia anno 1618. vivis exempto, titulus *Lord Roos* obtigit. In honorem vero Rutlandiæ Comitis Eduardo successit JOHANNES ejus frater, qui etiam mox fato suo functus illum gnato ROGERO reliquit. Hunc post data in bello Hibernico militiæ rudimenta Regina Elisabetha Comestabilem castri Nottinghamici, Rex Jacobus vero Locumtenentem Lincolniæ constituit, eodemque anno, qui seculi tertius & regni ejus primus erat, ad Christianum Daniæ Regem Legatum misit, ut in filii Sacro Lustrico adesset testis, & simul periscelidem perferret. Defuncti fine liberis memoriam frater ac hæres FRANCISCUS grate pieque (*Johnstone (b)* referente) persecutus est, & in honorem ejus magna pompa funus celebravit; fortunam familiæ providentia auxit; dignitatisque gratia in *ordinem Georgianum* cooptatus est & primum titulum *Baronis Roos* cum additamento *de Hamlake* gessit, à Rege Jacobo anno 1616. sibi concessum, eo quod axiomate priori non se posse jure uti intelligeret, utpote in Ceciliam gentem devoluto. Mares, quos è secunda genuit uxore, intra infantiæ annos decesserunt, veneficio ceu vulgo creditum est enecti; hinc frater ejus GEORGIUS avitos adiit honores, qui nullam prorsus prolem post se reliquit, & JOHANNEM MANNOURS *de Haddon* agnatum suum è filio natu minore Thomæ primi Rutlandiæ Comitis ortum, successorem nactus est, genitorem JOHANNIS III. qui in præsentia dignitatem *Comitis Rutlandiæ* ornat, antea *Baro Roos* dictus.

Insignia Mannerierum gentilitia *fascias duas cæruleas* repræsentant *aureo clypeo* inductas, qui *cephalum* habet, quondam rubentem, sed à Thoma primo Rutlandiæ Comite, respectu originis maternæ, quam ad Regiam referebat familiam, & annuente R. Henrico VIII. *quadris*, quæ *Regia digmata*, *lilia scilicet Gallica & leonem Anglicum*, exhibent, distinctum. *Galeam* mitra rubea tectum *pavo* exornat, *versicolore cauda superbiens*; *telamonum* vero vicem utrinque *unicornis (b)* explet.

(a) *Annal. Elisab. pag. 518.* (b) *Rer. Brit. L. XV. p. 477.*

CAPUT

SCHEMA FAMILIÆ
BARONES ROOS COMITES

ROBERTUS MANNERS five MANNOURS ab Ethale, Johannis F. Johannis N.

Georgius Mannours Baro Roos † 23. Oct. 1513.

Thomas Mannours B. Roos COMES RUTLANDIÆ cr. 28. Jun. 1525. *Eques Periscel.* † 20. Sept. 1543.

2. Henricus Mannours C. Rutland. B. Roos, *Eq. Per.* 1560. † 17. Sept. 1563. Ux. 1. *Margarita Nevil, Radulphi C. VVestmorl. f. 2. Brigita, Johannis B. Hussey f. Richardi Morrison vid.*	Gertrudis nupta *Georgio Talbot C. Salopiæ.*	Anna ux. *Henrici Nevil C. Westmorl.*	Francisca nup. *Henrico Nevil B. Bergavenny.*	Catharina ux. *Henr. Capell.*

1. Eduardus Mannours C. Rutland. B. Roos, *Eq. Perisc.* 1584. † 14. Apr. 1587. *Isabella, Thomæ Holcroft fil.*	Johannes Mannours C. Rutlandiæ B. Roos † 21. Febr. 1588. *Elisabetha, Francisci Charlton de Apley f.*	Elisabetha nupta *Wilh. Courtney de Pouderham.*

Elisabetha nup. *VVilhelmo Cecil. B. Burghley.* 11. Maji 1591.	Rogerus Mannours C. Rutl. †ær. 26. Jun. 1612 *Elisabetha, Philippi Sidney f.*	Franciscus Mannours C. Rutl. B. Roos de Hamlake, *Eq. Per.* 1616. ux. 1. *Francisca Henrici Knevet de Charleton, Wilhelmi Bevill vid. 2. Cecilia, Joh. Tufton de Hothfield fil.*	Brigita ux. *Roberti Tirvvhit de Ketilby.*

1. Catharina, nup. 1. *Georgio Villers D. Buckingam.* 2. *Randulpho Mac. Donald C. de Antrim in Hibernia.*	2. Henricus & Franciscus obiere in infantia.	Georgius † juv.	Eduard. † juv.	Francisca Ux. *Johannis Cecil. C. Exon.*

MANNERIÆ
DE RUTLAND.

Uxor: *Eleonora, Thomæ Bar. Roos filia Edmundi soror ac hæres.*

Uxor: *Anna, Thomæ de S. Leoger & Anna de York fil.* † 22. Apr. 1526.

Ux. 1. *Elisabetha, Roberti Lovel f.* 2. *Eleonora Wilhelmi Paston de Paston f.*

Eleonora Uxor secunda *Johannis Bourchier C. Bathon.*

Elisabetha nupta *Johanni Savage Equiti.*	Johannes Mannours Eques. *Dorothea Georgii Vernon de Haddon f.*	Rogerus Mannours de Uffyngton.	Thomas Mannours.	Oliverius Mannours.	Isabella † in juv.

Georgius Mannours de Haddon, Eques
Gratia, Henrici Pierpont de Holme Pierpont f.

Georgius Mannours C. Rutl. † an. 29. Mart. 1641. *Francisca, Eduardi Carevv de Aldenham f.*	Oliverius Mannours Eq.	Francisca ux. *Wilhelmi B. VVilloughby de Parham.*	Elisabetha nup. *Emanueli B. Scrope de Bolton.*	Maria.	Johannes Mannours de Haddon. C. Rutland. † 1679. *Francisca, Eduardi B. Mountagu de Boughton fil.*

Johannes Mannours III. C. Rutl. B. Roos de Hamlake Trusbut & Belvoir. 1. *Diana Bruce Roberti C. de Aylesbury fil. Seimuri Shirley vid.* 2. *Catharina, Baptista Vicec. Campden. f.*	Gratia ux. *Patricii Vic. Chavvorth.*	Dorothea nupta *Antonio B. Ashley*	Elisabetha Ux. *Jacobi B. Annesley C. de Anglesey.*	Margarita nup. *Jac. Cecil C. Salisbur.*	*Horv.*	Anna ux. *Scropi de*	Maria † juv.

CAPUT XXV.

DE COMITIBUS HUNTINGDONIÆ ET FAMILIA HASTINGICA.



Utlandiæ Comitis latus claudit *Huntingdonensis*; hæc provincia, quæ *Avona & Usa* fluviis alluitur, *Comites* habuit, referente & verba nobis commodante *Camdeno (a)* Siwardum Danum, Walteofumque *ejus filium, capite à Wilhelmo primo multatum, à quo per filiam* Mathilden *primum ad* Simonem de Sancto Lizio *Comitem Northamtoniæ, inde ad* Davidem, *Alexandri Regis Scotorum fratrem, descendit, utrique enim nupsit, & ex utroque prolem suscepit, varianteque fortuna & Regum favore nunc* S. Lizii, *nunc* Scoti *hunc gesserunt honorem, scilicet* Henricus, *Davidis filius, tum* Simon S. Lizius, *Simonis primi filius, post hunc* Malcolmus Rex Scotorum, *Henrici Comitis filius, eo defuncto* Simon S. Lizius III. *qui cum sine prole obiisset,* Wilhelmus Rex Scotorum, *Malcolmi frater, successit, inde* David *ejus frater, hujusque filius* Johannes *cogn.* Scotus Cestriæ Comes, *qui cum sine sobole fatis concessisset, &* Alexander II. *qui Regis Angliæ Henrici III. filiam duxit, aliquantisper hoc titulo usus esset, Scoti eo honore & lautissimo in Anglia patrimonio exciderunt. Eduardus III. satis longo post tempore* Wilhelmum Clinton *Huntingdoniæ Comitem creavit: illi suffectus à Richardo II.* Gviscardus Angolismius *& eo mortuo* Johannes Hollandius, *cui* Johannes *filius &* Henricus *ex Johanne nepos successerunt. Postea* Thomas Grejus, *ut aliqui volunt, eo honore auctus est, nec multo post (ut in Archivis habetur)* Wilhelmus Herbertus *Comes Pembrochiæ; Henricus VIII. denique illum GEORGIO HASTINGS contulit.*

Hujus familia perantiqua, quam *Dugdalius (b)* inde à WILHELMO HASTINGS Regis Henrici I. Stuarto seu præfecto palatii repetit, jam olim Comites Pembrochiæ dederat, per matrimonium JOHANNIS HASTINGS, cum *Isabella*, Wilhelmi *de Valentia Comitis Pembrochiæ* gnata, Audomari vero sorore & cohærede, jus in dignitatem illam indepta: unde LAURENTIUS HASTINGS, illius nepos, à R. Eduardo III. per diploma d. 13. Octobr. anno regni ipsius XIII. datum, *Pembrochiæ Comes* investitus est, cui successit filius JOHANNES, qui à dicto Rege Aquitaniæ præfectus, & ad liberandam obsidione Rupellam missus, in Hispanorum classem incidit, à quibus oppressus & captivus abductus elapsoque biennio claro & forti in Gallia viro, Bertrando Gvesclin, venditus est, accepto tamen ab Hispanis antequam discederet lento veneno, è quo in Gallia contabuit, relicto post se *filio cognomini*, qui infesto casu in flore ætatis periit: R. Richardo II. enim hastiludium circa Festum Nativitatis Christi anno regni ipsius XIV. celebrante, cum ille cum Johanne S. John concurreret, venter ei ictu lanceæ perforatus est, ita ut erumpentibus intestinis animam efflaret. Quoniam prolem nondum genuerat, gravis de hæreditate nominis & dignitatis Hastingianæ lis inter *Eduardum Hastings* defuncti agnatum, sed remotiorem, & *Reginaldum Grejum* ab avia sua paterna *Elisabetha Hastings* jus derivantem, orta est, judicum denique sententia in Greji favorem diremta, quemadmodum dictum jam superius *(c)* fuit.

Ab eadem stirpe *Hastingos*, qui hodieque florent, defluxisse autor noster asserit, licet rationem connectendi utramque propaginem non repererit, deductionem hujus ab HUGONE HASTINGS, quem filium natu minorem ex antiqua & nobili illa familia extitisse nude refert, exorsus, & ea quam *Schema* nostrum exhibet, serie persecutus. Inclaruit ex hac propagine, & primus in Parium regni dignationem pervenit WILHELMUS HASTINGS, *Leonardi* filius: is flagrante inter Lancastricam & Eboracensem domum bello, posteriori ex ingenita propensione addictus, & fidelis ac strenua opera de Richardo ac Eduardo Eboraci Ducibus egregie meritus, ab hoc, cum Toutonensi victoria superior evasisset, & Rex proclamatus esset, dignitate supremi Cubicularii & Baronis Angliæ latifundiisque remuneratus, atque inter Equites *Ordinis Georgiani* atque arcanorum arbitros adscitus fuit, pluribus subinde præmiis muneribusque auctus, postquam Eduardo advesis etiam in rebus constantiam & fortitudinem suam probasset. Erat quippe, *Cominæo* Gallico scriptore teste, singulari prudentia & virtute præditus, ea quoque magnanimitate, ut ægre potuerit adduci quo pensionem à Rege Galliæ ad exemplum aliorum Angliæ primorum acciperet, chirographum vero in fidem traditæ sibi pecuniæ edere prorsus detrectaret, Petro Clareto, Galli internuncio respondens: *Si vis ut capiam donum Principis tui, opus est ut in vestem ipse mihi imponas; testimonium autem à me nullum aut literas es habiturus, ut enim illud de me jactetur & chirographum meum inter rationes quæstorum ærarii conspiciatur*

(a) *Descr. Brit p. 399.* (b) *Baronag. T. I. pag. 574.* (c) *Cap. 12.*

tur, minimè committam. Rex Galliæ licet ægre id ferret, magni tamen recusantem faciebat, eique deinde pensionem absque chirographo persolvit: sicut autor modo citatus (a) literis prodidit. Rege Eduardo IV. vita defuncto, versa est *Baronis Hastingii* fortuna: licet enim is primus Richardum Ducem Glocestriæ de morte illius certiorem fecerit, eumque ut regni curam suscipere maturaret, monuerit, attamen quia à nefando, quod iste ceperat, consilio, de occidendis Eduardi filiis abhorrebat, & majori ex iis debitum exhiberi honorem cupiebat, offensam ejus ac odium capitale subiit, ita ut de medio ipsum tollere statueret. Itaque primoribus regni in Turrim convocatis, cum Reginam Elisabetham veneficii, quo corpus ipsius infecerit, atrociter accusasset, & tacentibus cunctis *Hastingius* respondisset, reginam magna pariter infamiæ nota ac pœna dignam esse, si magicis artibus usam ei nocuisse liquidò constaret, confestim sævo clamore Richardus in Hastingium invehi: quid igitur, sic tuis rationibus & ambagibus ducar ad interitum? signumque militibus ad id subornatis dare, qui facto impetu Hastingum cum duobus Episcopis & Stanlejo comprehenderunt, hisque in carcerem conjectis, illi vix dato confitendi peccata spatio, caput amputarunt. Indignum hoc mortis genus vindictam Divinam *Polydorus Virgilius* (b) interpretatus est, eo quod *Wilhelmus Hastingus* è numero percussorum Principis Eduardi, R. Henrici VI. filii, fuerit. Novum tamen id in familia hac non fuit; patruo etiam illius, RADULPHO HASTINGS III. eadem nece sub R. Henrico IV. affecto: eo quod *Ovveni Glendour* consors in rebellione fuisset. EDUARDUS HASTINGS natalibus, ditionibus & honoribus paternis à R. Henrico VII. restitutus memorem hujus beneficii animum præstitit, & fidelem fortemque ei operam in turbis civilibus navavit, qua meruit, ut fundis etiam ac titulis soceri sui utendi ac fruendi facultatem acciperet. Erat isti nomen Thomæ Hungerford, cujus genus perantiquum à castro in Bercheria ad amnem *Kenet* sito, & priscis Ingleford Charnam-street dicto, nomen accepit, atque incrementa sua præcipuè Waltero Hungerford debuit; hunc R. Henricus V. ob virtutem & fortem operam in bellis sibi navatam magno habuit in pretio, castroque Homet in Normannia donavit, lege clientelari, qua Regi ejusque successoribus annuatim die Exaltationis Crucis lanceam, è qua cauda vulpina dependebat, tradere tenebatur, quemadmodum *Camdenus* refert.

Filius Eduardi GEORGIUS cum pari virtute ac fide se R. Henrico VIII. præbuisset, ad dignitatem *Comitis de Huntingdon* provectus est, in qua successorem habuit filium natu maximum FRANCISCUM; is à R. Eduardo VI. *aurea Periscelide* ornatus, & Leicestriæ præfectus, Maria regnum ineunte, turbas à Duce Suffolciæ motas oppressit, huncque captivum Londinum duxit, fratre quoque ipsius EDUARDO dictæ Reginæ partes strenue tuente, à qua inter secretiores Consiliarios & *Equites Georgianos* cooptatus, nec non Hipparchi & denique Supremi Cubicularii muneribus, tituloque *Baronis Hastings de Loughborough* in Leicestria auctus est: post mortem verò benevolæ sibi heræ, ipse quoque mundo esse mortuus videri voluit, atque in ptochodochium, quod apud *Stoke Pogeis* in Buckinghamia fundaverat, se abdidit, ibidemque reliquum ætatis exegit.

HENRICUS HASTINGS *Comes Huntingdoniæ* à Regina Elisabetha insignibus *Ord. Georgiani* decoratus, nec non Leicestriæ & Rutlandiæ Vicarius, & deniq; Præses Concilii in partibus Septentrionalibus constitutus, spartam suam ornasse celebratur, *vir, Camdeni (c)* encomio, *miti ingenio & purioris religionis studio inflammatus adeo ut Ministros flagrantiores impensè fovendo patrimonium plurimum imminuerit.* Mortuus sine liberis sepultus est *Aschbeia Zoucheana* in Leicestria; eodemque funere elatus est FRANCISCUS HASTINGS, nepos è fratre GEORGIO, qui in honore successit, eundemque fato suo functus ad nepotem è filio memorato HENRICUM, transmisit, qui Locumtenentis Leicestriæ & Rutlandiæ & Stuarti Ducatus Lancastriæ munia obiit, pater natorum duorum, quorum minor isque *cognominis* manu fortis & bellator bonus R. Carolo I. sub belli civilis initium inter primos præsto adfuit, & summa fide adhæsit, cujus præmium *Baronis Lougborough* titulum accepit; cum verò infestus posteà casus tulisset, ut facta mense Augusto, 1648. à Regiis deditione Colcestriæ hostium potestati se permittere coactus esset, haud longè abfuit à capitis supplicio; sed ei fuga se eripuit, ea ipsa die, qua Rex mortem obiit, viam evadendi è custodia Windsoriensi nactus; major ejus frater FERDINANDUS in paternos honores successit, genitor THEOPHILI, qui in præsentia eis fruitur.

Scutum Hastingorum gentilitium *argento* tinctum est, *manicamque*, antiquæ formæ, *nigram* repræsentat, & utrinque *tigride aurea* sustinetur; è *casside caput bovinum nigrum collo*, quod *corona cinctum est aurea, tenus*, prospicit.

(a) *Comment. Lib. VIII.* (b) *Lib. XXV. pag. 543.* (c) *Annal. Elis. Part. IV. pag. 683.*

SCHEMA FAMILIÆ
COMITES DE PEMBROKE

HUGO DE HASTINGS, Wilhelmi, Præfecti Palatii sub R. Henrico I. F. cui uxor fuit *Ernburgis, Hugonis Flamenvill fil.*

Wilhelmus de Hastings, Præf. Palat. R. Henr. II. Ux. *Margarita Bigod, Rogeri C. Norfolc. f.*

Henricus de Hastings † improlis. | Wilhelmus de Hastings † a. 1226. Uxor *incomperta.*

Henricus de Hastings † 1250. Ux. *Ada, Davidis Scott C. Huntingdon. fil.*

Henricus de Hastings † 1269. Ux. *Johanna, Georgii de Cantilupe, B. de Bergavenny soror ac hæres, VVilhelmi filia.*

Johannes Hastings B. de Bergavenny † 1312. *Isabella de Valence, VVilhelmi f. Audomari C. Pembroch. sor. & cohæres.* | Edmundus de Hastings. | Auda. | Lora. | Johanna.

Johannes Hastings B. de Bergavenny † 1326. *Juliana, Thomæ de Leyburne f.* | Wilhelmus de Hastings. | Henricus de Hastings. | Johanna. | Elisabetha nupta *Reginaldo Grey.* | Margarita.

Laurentius Hastings COMES PEMBROCHIÆ, B. de Bergavenny † 13. Oct. 1339. *Agnes Mortimer, Rogeri C. Marchiæ f.*

Johannes Hastings C. Pembr. B. de Bergavenny *Eq. Perisc.* † 16. Apr. 1375. Ux. 1. *Margarita, R. Eduardi III. fil.* 2. *Anna, VValteri Manney Eq. f.* † 1383.

Johannes Hastings C. Pembr. B. de Bergavenny † 13. Dec. 1389. improlis. *Philippa Mortimer Edmundi C. Marchiæ f.*

Franciscus C. Huntingdon. B. Hastings, *Eq. Per.* 1552. † 20. Jun. 1561. *Catharina Pole, Henrici B. Montacute f.* | Eduardus Baro Hastings de Loughborough *Eq. Per.* 1556. † ἄπ. | Thomas Hastings † 1558. ἄπ. *Winifridis Pole, Henrici B. Montacute f.*

Henricus C. Huntingd. B. Hastings *Eq. Perisc.* † 14. Dec. 1595. ἄπ. *Catharina Dudley, Johan. D. Northumbr. f.* | Georgius C. Huntingd. B. Hast. † 13. Dec. 1604 *Dorothea, Johan. Port de Etwall f.* | Wilhelm. Hastings † impr. | Eduardus Hastings *Barbara, Wilhelmi Devereux f. N. Cave vid.* | Catharina nup. *Henrico Clinton C. Lincolniæ*

Franciscus Baro Hastings † 1595. *Sara, Jacobi Hatington Eq. f.* | Henricus Hastings. *Dorothea, Francisci Willoughby de Wollaton f.*

Henricus II. C. Huntingd. B. Hastings † 14. Nov. 1643. *Elisabetha Stanley, Ferdinandi C. Darb. fil. & coh.* | Georgius Hastings Eques. *Seamour, Gilberti Prynne de Chippenham f.*

Ferdinandus C. Huntingdon. B. Hastings & Hungerford n. 18. Jan. 1608. † 13. Febr. 1655. *Lucia, Johannis Davres de Englefeild fil. & hær.*

Henricus Hastings † cœlebs. | Johannes Hastings † cœl. | Ferdinandus Hastings † ἄπ. | Theophilus C. Huntingdon. B. Hastings n. 10. Dec. 1650. *Elisabetha, Joh. Levves de Ledston fil. & coh.* 19. *Febr.* 1672.

HASTINGICÆ
ET DE HUNTINGDON.

HUGO DE HASTINGS, maritus *Helenæ, filiæ & heredis Alani de Alveſtan*, obiit a. 1208.

Thomas de Haſtings.

Nicolaus de Haſtings, Eques, *Ermelina, Walteri de Heron f.*

Radulphus de Haſtings, Sheriffus Eboracenſis, obiit è vulneribus in pugna contra Scotos prope Durham acceptis a. 1346. *Margarita, Wilhelmi de Herlef.*

Radulphus de Haſtings II. Sheriffus Eborac. † 1397. Ux. 1. *Iſabella, Roberti de Sadington fil. & coher.* 2. *Mathilda, Thomæ de Sutton fil. & coher.*

Radulphus de Haſtings III. *decoll.* 28. Jul. 1410.

Richardus de Haſtings Sheriff. Ebor. Warwic. & Leiceſtr. † ἄπ. 1436.

Leonardus de Haſtings † 1455. *Alicia, Baronis Camoys f.*

Wilhelmus BARO Haſtings cr. 1461. *Eques Periſc. decoll.* 13. Jun. 1483. *Catharina Nevill, Richardi C. de Salisbury f. Wilhelmi B. Bonvile vid.*

Thomas de Haſtings.

Anna nup. *Thomæ Ferrers de Tamvvorth. Caſtle.*

Eduardus B. Haſtings & Hungerford *Eq. Per.* † 8. Nov. 1506. *Maria, Thomæ B. Hungerford f. & her.*

Richardus Haſtings.

Wilhelmus Haſtings.

Anna nupta *Georgio Talbot C. Salopiæ.*

Georgius B. Haſtings & Hungerford COMES DE HUNTINGDON cr. 8. Dec. 1529. † 24. Mart. 1544. *Anna Stafford, Henrici D. Bucking. f. Walteri Herbert vid.*

Anna nupta *Thomæ Stanley C. de Darby.*

Henricus Haſtings.

Wilhelmus Haſtings.

Dorothea nupta *Richardo Devereux.*

Maria.

Catharina.

Franciſcus Haſtings † ἄπ. *Mathilda Radulphi Longford f. Georgii Vernon de Haddon vid.*

Walterus Haſtings *Joicia, Wilhelmi Roper f.*

Franciſca Ux. *Henrici Bar. Compton.*

Anna † innupt.

Eliſabetha nupta *Eduardo Somerſet C. de Worcheſter.*

Maria † cœlebs.

Eduardus Haſtings Eq. † Viennæ in Auſtr.

Cathar. nup. 1. *Eduardo Unton de Wadley.* 2. *Waltero Chetvvind de Engesky.*

Dorothea nup. 1. *Jac. Stuart Scoto.* 2. *Roberto Dillon C. de Roſcomon in Hibernia.*

Eduardus Haſtings † in Guinea.

Franciſcus Haſtings † inf.

Catharina nup. *Philippo Stanhope, C. de Cheſterfeild † 1636.*

Theodoſia Ux. *Franciſci Bodenham de Kyale.*

Henricus Haſtings Baro Loughborough cr. 23. Oct. 1643. †

Alicia nup. *Gervaſio Cliſton de Cliſton.*

Eliſabetha Ux. *Hugonis Calveley de Lea.*

Alicia † juv.

Alienora. † juv.

Eliſabetha nup. *Jacobo Langham de Cotesbroke.*

Lucia †, innup.

Maria.

Chriſtiana.

CAPUT XXVI.

DE COMITIBUS BEDFORDIÆ *ET* FAMILIA RUSSELLANA.



Edfordiæ Comes Huntingdonensi succedit; illa Huntingdoniam Australi attingit latere, atque initio *Barones* habuit è familia *de Bellocampo*, quorum octo numerantur, qui omnes Regibus Angliæ erant jure hæreditario ab eleemosynis. Primus *Hugo de Beauchamp* fuit, qui cum Wilhelmo Conquestore in Angliam venit; hunc excepere successive gnati duo, *Simon* videlicet & *Paganus*; secutus est hujus filius natu minor *Simon* II. quo natus *Wilhelmus* factioni contribulium suorum adversus Reges Johannem & Henricum III. firmiter adhæsit, & tres, quos habuit filios, *Simonem* nempe *Wilhelmum* & *Johannem* successores nactus est, quorum postremus consors rebellionis à Baronibus adversus R. Henricum III. factæ in pugna ad *Eversham* anno circiter 1265. occubuit. Inde licet eorum fundos dictus Rex Principi Eduardo gnato suo donaverit, paulo post tamen inter sorores ipsorum, quarum natu maxima *Mathilda*, Rogero

SCHEMA FAMILIÆ COMITES DE

JOHANNES RUSSEL de Berwick COMES BEDFORDIÆ cr. 1550. *Eq. Per.* 1542. † 14. Mart. 1555.

Franciscus Russel C. Bedford, *Eq. Perisc.* 1583. † 28. Jun. 1585.

1. Eduardus Russel † improlis.	Johannes B. Russel † 1584. *Elisabetha, Antonii Cook f. Thomæ Hobby vid.*	Franciscus Baro Russel, occ. 27. Jun. 1585. *Juliana, Johannis Forster Eq. fil.*

Children of Johannes B. Russel:

Franciscus Russel † 1580.	Elisabetha † innupta.	Anna, nup. *Henrico Somerset M. & C. Wigorniæ.*

Son of Franciscus Baro Russel:

Eduardus Russel Com. Bedford. † 3. Maji 1627. *ux. Lucia, Johannis B. Harington f.*

Wilhelmus Russel C. Bedford. *Eq. Perisc.* 1672. *Anna Carr. Roberti C. Somerset fil.*	Franciscus Russel. † cœlebs.	Johannes Russel Colonellus † m. Nov. 1687.	Eduardus Russel.

Franciscus Baro Russel. † sine pr. masc.	Johannes Russel † infans.	Wilhelmus Russel *decoll.* 31. Jul. 1683. *Rachel, Thomæ Wriothesley Com. Southampton fil. & cohær. Francisci B. Vaughan vid.*	Eduardus Russel.

N. nupta *Wilhelmo Bar. Cavendish.* 1688.

Rogero Mowbray nupta erat, & Simonis III. filiam eos dispertitus est. Eduardus III. deinde *Engelramum de Coucy*, Svessionum in Gallia Comitem, cui filiam elocarat, *primum Bedfordiæ Comitem* creavit; Henricus IV. autem in *Ducatus* titulum illam evexit, eoque filium tertium *Johannem* insignivit, qui prole caruit; excepere tamen istum duo alii *Bedfordiæ Duces*, nempe *Georgius Nevil*, Marchionis Montis acuti filius, & *Caspar Tudor de Hatfeild*, quorum illi R. Eduardus IV. huic Henricus VI. frater ipsius uterinus id dignitatis contulerunt. Denique in *Comitatum* Bedfordia recidit, cum R. Eduardus VI. anno regni sui III. die 19. Jan. JOHANNEM RUSSELLUM eo honoris efferret.

Is ex antiquissima familia, quæ agris in Dorsettia jam olim abundabat, prognatus, multijuga eruditione & linguarum scientia, qua pollebat, ad magna & honorata ministeria gradum sibi fecit, atque à R. Henrico VII. productus est, Philippi Archiducis Austriæ maxime commendatione, cui, cum ex Belgio in Hispaniam navigaturus adverso vento ad Angliæ litora appulsus fuisset, solertiam suam & scitam agendi rationem aliquot dierum conversatione probaverat; (a) neque is minore R. Henrici VIII. benevolentia usus est, cui in diversis iisque maximis muniis, domi forisque & bello & pace gestis, industriæ & prudentiæ documenta cumulatim dedit, & promeruit, ut *Baronibus regni* aggregaretur, (id quod d. 29. Marc. anno 1538. factum) in sanctius Regis Consilium, & *Equitum Georgianorum* collegium adsciscere tur, porro Supremus Angliæ & Hiberniæ Admiralis, Privati sigilli Custos, atque in ultima memorati Regis in Galliam expeditione Capitaneus Generalis primæ aciei constitueretur. Ea fortunâ

(a) *Dugdal. Baronag. T. III. p. 378.*

Tab. LII.

RUSSELLANÆ. BEDOFRD.

Uxor: *Anna, Guidonis Sapcotes, Equitis filia & heres.*

Uxor. 1. *Margarita, Johannis St. John fil.* 2. *Brigita, Johannis B. Hussey f. Henrici C. Rutland. vid.*

Wilhelmus Russel B. de Tornhaugh cr. 1603. † . . . *Elisabetha, Stengaji Long de Shengay f.*	Anna nupta *Ambrosio Dudley, C. Warvvici.*	Elisabetha Ux. *Wilhelmi Bourchier C. de Bath.*	Margarita nup. *Georgio Clifford C. Cumbr.*

Franciscus Russel, C. Bedford † 9. Maji 1641.
Catharina, Ægydii Bridges, B. Chandos f.

Catharina nup. *Roberto Grevill B. Brooke.*	Anna Uxor *Georgii Digby C. de Bristol.*	Margarita nupta 1. *Jacobo Hay C. de Carlile.* 2. *Eduardo Mountagu C. de Manchester.*	Diana Ux. *Francisci B. Nevvport de Excall.*

Robertus Russel.	Jacobus Russel.	Georgius Russel.	Diana nup. 1. *Grevillo Verney.* 2. *Wilhelmo B. Allington.*	Anna † juv.	Margarita.

fortuna longum Henrici VIII. regnum emensus, sub ejus etiam successore Eduardo VI. faventem illam habuit, cumque in ejus inauguratione Supremi Senescalli officio functus esset, turbasque ab imaginum cultoribus excitatas virtute ac celeritate usus oppressisset, ad dignitatem *Comitis Bedfordiæ* provectus fuit. Denique huic etiam Regi superstes, à Regina Maria novo diplomate in munere Custodis Sigilli Privati confirmatus, & Legatus in Hispaniam, nuptiarum ejus cum Rege Philippo II. causa, missus est, ex quo itinere redux ad penates factus non ita multo post naturæ debitum explevit.

FRANCISCUS RUSSELLUS *Comes Bedfordiæ secundus*, religionis virtutisque verus cultor *Camdeno (a)* celebratus, Reginæ Elisabethæ à consiliis intimioribus fuit, ejusdemque nomine legationes duas in Gallia, unam in Scotia, ad suscipiendum è sacro fonte Principem ejus regni, obiit, atque anno 1563. Baroni Grejo de Wilton in Berwici præfectura surrogari, & porro anno 1583. *aurea periscelide* decorari meruit. Huic autem honori biennii tantum & quod excurrit spatio superfuit, è gangræna mortuus, cum tres filios, EDUARDUM, JOHANNEM, & FRANCISCUM præmisisset, quorum quidem postremus uno tantum die genitoris fatum prævertit, in conventu quodam à Præfectis mediorum limitum inter regna Angliæ & Scotiæ de rebus repetundis instituto, ad quem cum socero suo *Joh. Forstero* præfecturam illam gerente venerat, perfide occisus. *(b)* Filius ejus EDUARDUS, quem in ætate pupillari post se reliquit, avo in dignitatem *Comitis Bedfordiæ* successit, eamque sine prole vita defunctus ad patruelem FRANCISCUM transmisit. Hic patrem habuit WILHELMUM, quem R. Jacobus anno regni sui in Anglia primo, *Baronem Russel de Thornhavv* creavit, gnatos complures, inter quos natu maximus WILHELMUS Bedfordiæ Comitis nec non *Equitis Ordinis Georgiani* honoribus in præsentia fruitur, aliquot iterum filiorum genitor: Ex his tertio genitum WILHELMUM sub nomine *Mylord Russel* mala nobilitarunt fata: is ipse enim fuit, qui nostra memoria conspirationis adversus Regem nuper defunctum, ejusque fratrem tunc Eboraci Ducem initæ, cujus fax & tuba *Comes de Shaftsbury* fuisse vulgo ferebatur, delatus, & nequicquam gratiam Regis implorantibus patre ac uxore securi percussus est, postquam de innocentia sua, de Zelo erga religionem Anglicam, odioque contra Pontificios, quo tamen ad nefanda adversus Regem consilia nunquam se perpelli passus esset, quædam literis commendasset, quæ in libello Gallico *de Tragicis Angliæ casibus* nuper evulgato *(c)* succincte recensentur.

Tessera Russellorum gentilitia *leone rubeo* constat, qui *scutum argenteum* implet, *cephalo nigro*, cui *tres conchæ argento tinctæ* inscriptæ sunt, distinctum; fulciunt id *telamonum* loco à dextris *leo coccineus*, à sinistris *hircus argenteus*, qualis *cassidi* etiam imponi ab illis solet.

CAPUT XXVII.

DE COMITIBUS PENBROCHIÆ ET FAMILIA HERBERTANA.



PRoximus à Comite Bedfordio est *Penbrochiensis*, quæ provincia extremum Walliæ promontorium ad occidentem occupat. Comitis Penbrochiæ titulum Rex Stephanus *Gilberto* primum contulit, è clara *Clarensium* familia (de qua superius *(d)* actum est) oriundo, qui eundem filio *Richardo*, cui cognomen *Strongbovv* erat, reliquit. Hujus unica filia *Isabella Wilhelmo Domino de Hampsted* Comitatum illum attulit: is ex Angliæ *Marescallorum* genere, quod cognomen sibi ab hoc officio sumsit, prognatus belli pacisque artibus, regnantibus Richardo I. Johanne & Henrico III. floruit, Hibernos domuit, Anglis profuit, in Normannia multa fecit, & in Gallia strenuissimi militis munia implevit, id quod sequenti expressum fuit epitaphio.

Sum, quem Saturnum sibi sensit Hibernia, Solem
Anglia, Mercurium Normannia, Gallia Martem.

Liberos

(a) *Annal. Elis. P. III. p. 418.* (b) *Vid. idem autor pag. 401. & 402.* (c) *Evenemens Tragiques de l'Angleterr p. 152. & 153.*
(d) *Cap. 5.*

Liberos idem post se reliquit decem; *filiæ* quinque fuere, videlicet, *Mathildis*, Hugonis Bigod C. Norfolciæ & Johannis de Warren C. Surriæ, *Johanna*, Warini de Montchensy, *Isabella*, Gilberti de Clare, C. Glocestriæ & Richardi C. Cornubiæ, *Sibylla*, Wilhelmi de Ferrers IV. C. Darbiæ, necnon *Eva*, Wilhelmi de Brahuse uxores. Totidem è virili sexu extitere, singuli successive Comites Penbrochiæ: natu maximus *Wilhelmus*, *Junior* dictus, parenti successit, obiitque duodecimo ab illo anno, nempe 1231. nulla ex *Alienora*, R. Henrici III. sorore, conjuge sua prole suscepta. Ætate huic proximus *Richardus*, cum à modo dicto Rege defecisset, atque in Hiberniam se contulisset, in pugna cum adversariis Calendis Aprilis a. 1234. commissa vulneratus & captus paucosque post dies vivis exemptus est. Adiit ejus hæreditatem, Rege gratiam delicti faciente, tertio genitus *Gilbertus Mareschall*, qui in hastiludio Waræ, prope Hartfordiam equo excussus periit Calend. Julii 1241. illamque ad fratrem *Walterum* transmisit, cui nulla è *Margarita de Quincy*, uxore sua, sobole genita, anno 1246. defuncto denique natu minimus *Anselmus Mareschall* successit, sed exeunte eodem anno mortalitate interceptus est. (a) His ita extinctis Rex sæpe memoratus Henricus III. Comitatus Penbrochiæ gladio cinxit *Wilhelmum de Valentia* fratrem suum uterinum, qui paternum genus ex illustri in Gallia stirpe *Lusignanorum* ducebat, filius nimirum natu minor *Hugonis le Brun de Lusignan Comitis Marchiæ*, ex *Isabella Engolismensi*, R. Johannis vidua susceptus, quique in conjugio habebat *Johannam* Warino *de Montchensy* & Wilhelmi Mareschalli senioris filia natam. Successit illi anno 1304. mortuo, vel ut quidam volunt in pugna ad Bajonam à Gallis anno 1296. occiso, filius natu minimus *Audomarus*, (majores enim *Johannes* & *Wilhelmus* fatum patris antevarterant) inclutus bellator, qui sub auspiciis Regum Eduardi I. & II. in Scotia, Flandria & Gallia excelsi animi & impavidi spiritus signa plurima edidit, Scotiamque, quantum ejus Angliæ tunc parebat, vicaria potestate rexit. Anno 1316. exeunte Romam iter faciens à quodam Burgundo, cui *Joh. Moilley* nomen erat, captus atque ad Imperatorem missus est, à quo libertatem XX. millibus librarum redimere necesse habuit. Denique cum Thomæ C. Lancastriæ supplicium suo approbasset calculo, ea de causa non ita multo post in Gallia, quo Reginam Elisabetham deduxerat, interfectus est d. 23. Jun. anno 1323. Uxores tres habuisse fertur, primam *Beatricem*, Radulphi *de Neal* Comestabilis Franciæ (ita quidem Anglis appellatur, mihi Radulphus de Clermont, Dominus *de Nesle* fuisse videtur) filiam, secundam è *Comitibus Barri* ortam, tertiam *Mariam de Chatillon* Vidi III. C. de S. Paul gnatam, sobole autem caruit. (b)

In aliam itaque iterum familiam Penbrochiensis Comitatus honos transiit, nempe in *Hastingicam*, è qua *Johannes* Baro *Hastings Elisabetham*, Audomari *de Valentia* sororem & cohæredem, nuptiis sibi adjungendo jus in eum acquisivit; cujus rationem habuit Rex Eduardus III. cum *Laurentium Hastings*, illius nepotem, *Penbrochiæ & Westfordiæ Comitem* investiret; hujus vero progenies cum secundam non excessisset generationem, quemadmodum supra (c) dictum jam fuit, longo post tempore *Johannes Dux Bedfordiæ*, & deinde *Humfredus Dux Glocestriæ*, R. Henrici IV. filii, eundem titulum sunt consecuti. Post illos *Wilhelmus de la Pole* factus est *Penbrochiæ Marchio* eoque sublato R. Henricus VI. fratrem suum uterinum *Casparem Tudor de Hatfeld Penbrochiæ Comitem* creavit; huic omnibus honoribus exuto Eduardus IV. successorem dedit WILHELMUM HERBERTUM, mortui autem gnatum Huntingdoniæ Comitem creavit, & Penbrochiæ titulum filiolo suo *Eduardo* Walliæ Principi detulit (d). Interjecto sat magno temporis spatio R. Henricus VIII. *Annam Bullenam*, quam sibi copulaverat, *Penbrochiæ Marchionissam* dixit. Eduardus VI. demum *Herbertorum* familiæ id honoris restituit, quo ea hodieque gaudet.

De origine gentis hujus dissentiunt Scriptores: quidam enim ad *Henricum nothum* R. Henrici I. eam referunt, alii ad *Henricum Fitz-Herbert* dicti Regis cubicularium, qui *Sibyllam Corbet* ejusdem concubinam in conjugio habuerit, rursum aliqui ad alium Regis illius spurium, cui *Herberto* nomen fuerit: & postremam quidem sententiam suis approbarunt calculis feciales Cambriæ Australis, quos Rex Eduardus IV. cum WILHELMUM Comitem Penbrochiæ creasset, verum ejus cognomen ac genus scrutari atque eruere jussit: isti enim evolutis & excussis monasteriorum Archivis veteribusque codicibus & tabulis, summam repertorum literis mandarunt, quadruplici idiomate, Britannico nempe, Latino, Anglico & Gallico usi, hasque Regi obtulerunt; quæ referentibus *Dugdalio* (e) pariter & *Sandfordio* (f) ita se habebant:
„ Honoratissimus Comes, de quo est quæstio, *Wilhelmus Herbert* vocatur, estque Eques Nobi-
„ lis, filius Domini *Wilhelmi*, cui pater erat *Thomas*, hunc progenuit *Gvillimus*, gnatus *Jenkyni*, sati
„ ex *Adamo*, qui patrem habuit *Reginaldum*, filium *Petri*, prognati ex *Herberto*. Is genus ducebat
„ ab *Herberto* Nobili Barone, è Regio Angliciæ Coronæ sanguine orto; erat enim filius natura-
„ lis Regis Henrici I. quem Wilhelmus, vulgo Conquestor cognominatus, genuerat. His

(a) *Dugdal. Baronag. T. I. p. 600. & seqq.* (b) *Ibid. p. 774.* (c) *Cap. 23.* (d) *Camden. Brit. p. 527.* (e) *Baronag. T. II. p. 256.* (f) *Geneal. Hist. p. 31.*

SCHEMA FAMILIÆ

COMITES DE PEMBROKE, MONTGOMERY

WILHELMUS DOMINUS DE RAGLAND in Monomuthia

Wilhelmus Herbert Dn. de Ragland, COMES de PEMBROKE cr. 27. Maji 1468. *Eq. Per. decoll.* 28. Jul. 1469. Ux. 1. *Anna, Walteri d'Everenx f.* 2. sive *Concubina, Mathildis, Adami ap Hovvel-Graunt f.*

1. Wilhelmus Herbert II. C. Huntingdoniæ, *Maria Widvile, Richardi C. River. sor.*

Walterus Herb.

Georgius Herbert de S. Julians.

Cecilia nup. *N. Grey Stoke.*

Mathilda ux. *Henr. Percy C. Northumbr.*

Cathar. nup. *Georgio Grey C. Cantii.*

Elisabetha nup. *Carolo Somerset C. Wigorniæ.*

Wilhelmus Herbert Baro de Caërdiff Comes Pembr. cr. 11. Oct. 1551. *Eq. Per.* † 17. Mart. 1570. 1. *Anna, Thomæ B. Parr de Kendal fil.* 2. *Anna, Georgii Talbot, C. Salop. f. Petri Compton vid.*

1. Henricus B. Herbert C. Pembr. *Eq. Perisc.* † 19. Jan. 1601. 1. *Catharina, Georgii Talbot C. Salop. f.* 2. *Maria, Henrici Sidney f.*

Anna, nup. *Francisco B. Talbot C. Salop.*

2. Wilhelmus Herbert IV. C. Pembr. *Eq. Per.* † 10. Apr. 1630. *Maria, Gilb. C. Salop. f.*

Henricus Herbert † in infantia.

Philippus Herbert B. de Shurland C. de MONTGOMERIE, & Pembr. *Eq. Per.* † 23. Jan. 1649. Ux. 1. *Susanna, Eduardi Vere C. Oxon. f.* 1604. 2. *Anna Georgii Clifford C. Cumbr. f. Richardi C. Dorset. vid.*

Anna † innup.

Anna nup. *Wilhelmo Stanley de Hou...*

Catharina Uxor *Wilhelmi Massy de Puddington.*

1. Jacobus Herbert † inf.

Henricus Herbert † inf.

Carolus B. Herbert sponsus *Mariæ Georgii Villers D. Buckingam f.*

Philippus Herbert II. Com. Pembr. & Montg. † 1670. Ux. 1. *Penelope Roberti Naunton f. & h.* 2. *Catharina, Wilhelmi Villers de Brokesby f.*

Wilhelmus Herbert † cœlebs.

Johanna Roberti Spiller de Lalebam fil. ⊙

Iacobus Herbert.

Roberto Dormer C. de Caërnarvon.

Anna Soph. nup

Penelope, Paulivic. Bayningf.

Johan. Herbert

Catharina † juv. ⊙

Maria † innup.

1. Wilhelmus Herb. V. C. Pembr. & Montgom. † 8. Jul. 1674 cœl.

2. Philippus Herbert III. C. Pembr. Montgom. † 8. Sept. 1683. *Henrica de Quiroelle Ducissæ de Portsmouth. soror* 1675.

Thomas Herbert C. Pembr & Montgom. *Margar. Thomæ Exton. f.* 1684.

Susanna nupta *Joh. B. Paulet de Hinton S. George.*

Maria Ux. *Joh. Sydenham de Brimpton.*

Catharina.

Rebecca.

Anna.

Osborne C. de Danbyf.

Jacob. Herbert ⊙ *Cathar. Thomæ*

Filia unica nup. . . . . *Jefferyes, Baronis de Wem Cancellarii filio m. Jul.* 1688.

HERBERTANÆ
ET POWYS, BARONES DE CHIRBURY.

Thomæ & *Mathildis* ex Johanne *de Morley* Dn. *de Ragland* natæ F.

Richardus Herbert de Colbroke, Eques, *decoll.* 28. Jul. 1469. Uxor *incomperta*.

Anna Ux. *Johannis Grey B. Po-vvys.*	Isabella Ux. *Thomæ Cokesey Eq.*	Margarita nup. 1. *Thomæ Talbot, Vicec. L'Isle*, 2. *Henrico Bodrigham.*	2. Richard. Herbert de Ewyas *Margarita, Wilhelmi Gradok de Swanley f.*	Richardus Herbert de Colbroke.

Georgius Herbert de Swanley, Eques.	Eduardus Herbert, Armiger.

Eduardus Herbert de Red-Castle f. Powys-Castle † 23. Mart. 1594. *Maria, Thomæ Stanley de Standen fil. & hær.*	Richardus Herbert de Montgomerie. *Magdalena, Richardi Newport de High Ercall fil.*

Wilhelmus Herbert B. Powys de Powys, cr. 1629. † 7. Mart. 1655. æt. 83. *Eleonora, Henrici Percy C. Northumbr. f.*	Georgius Herbert † cœlebs.	Johannes Herbert † improlis.	Eduardus Herbert † Baccalaureus.	Eduardus Herbert de Montgomerie-Castle, B. de Chirbury, & Castle Island † 5. Aug. 1648. *Maria Wilhelmi Herbert de S. Julians f. & hær.*

Percius Herbert B. Powys † 19. Jan. 1667. *Elisabetha, Wilhelmi Craven fil.*	Catharina nupta 1. *Roberto Vaughan.* 2. *Jacobo Palmer de Dorney-Court.*	Lucia Uxor *Wilhelmi Abington de Hinlip.*	Richardus B. Herbert de Chirbury † 13. Maji 1655 *Maria, Johannis Egerton C. de Bridgwater f.*	Eduardus Herbert.	Beatrix † innupta.

Wilhelmus Herbert COMES & MARCHIO de Powys. *Elisabetha Somerset, Eduardi, M. Wigorn. f.*	Maria Ux. Georgii *Talbot.*	Eduardus Bar. Herbert de Chirbury † improl. m. Dec. 1678. 1. *Anna, Thomæ Middleton de Chirkkastle f.* 2. *Elisabetha, Georgii B. Chantos f. & coh.*	Johannes † inf.	Thomas † cœlebs.	Henr. Herbert, B. de Chirbury. *Catharina.*	Francisca Ux. *Wilhelmi Browne.*	Florentia nupta *Richardo Herbert de Ochly Park.*	Arabella.	Alicia.

Wilhelmus Herbert. Maria nup. 1. *Richardo Molineux.* 2. *Francisco Browne. Vicec. Mountague.* Francisca. Anna. Lucia. Winifridis.

lectis & pensitatis Eduardus IV. *Wilhelmo* Comiti Pembrochiæ cognomen *Herbert* imposuit: apud Britones enim & Wallos cognomenta in usu non fuere, sed quemque patris, avi, proavique nomine appellare receptum erat. Promeruit de cætero *Wilhelmus* sæpe dictus Eduardi IV. benevolentiam, honoresque ab eo sibi collatos constanti obsequio, quo ipsi addictus erat, & summa fortitudine, qua pro partibus ejus pugnabat, fratre quoque ejus RICHARDO candem orbitam premente; at enim vero ambo in Banburiensi pugna ob Humphredi Stafford C. Devoniæ desertionem victi captique, jussu Ducis Clarentiæ necnon Comitis Warwici, qui ab Eduardo defecerant, Northamptoniæ capite truncati sunt. Filio *Wilhelmi* natu maximo & cognomini idem Rex Pembrochiæ Comitis titulum, suopte filio destinatum, cum *Huntingdonensi* commutavit, ceu dictum paulo ante est.

Cum defecisset in eo Wilhelmi Herberti virilis stirps legitima, ex concubina ejus orti processu temporum emerserunt, atque ad eosdem, quibus ille effloruit, honores se extulerunt. Nimirum WILHELMUS HERBERT, illius è filio naturali Richardo nepos, *vir*, Camdeni (a) verbis, *eximius, qui quodammodo sibi fortunam finxit suam*, magnam apud Henricum gratiam iniit, cui fuit à cubiculo; opes prudentia adauxit, maximè postquam Rex Catharinam Parram, sororem uxoris ejus, in conjugem accepisset. Sub Eduardo VI, dum factionibus aula distraheretur, *Georgiani ordinis periscelidem*, Hippocomi regii dignitatem, titulum *Baronis Herbert de Cardiff*, honoremque *Comitis Penbrochiæ* consequutus est. Sub Maria copiis contra Wiatum perduellem, & in expeditione ad Augustam Veromanduorum exercitui Anglico summo cum imperio præfuit, Walliæ Præses, & Caletibus præfectus. Sub Elisabetha magnus Aulæ magister constitutus fuit, cujus gratia aliquantisper excidit, quod nuptias Norfolcii, cum Scotorum Regina in primis promovisset, parumque abfuit, quin mortuus proscriberetur, ex indiciis quibusdam prolatis, & præsumptionibus arreptis. Majus autem & prope capitale discrimen sub excessum Eduardi VI. subierat, cum instinctu Joh. Dudleji D. Northumbriæ, regnum affectantis eumque in finem potentiorum affinitates quærentis, filium suum natu maximum HENRICUM *Catharinæ Grejæ*, quæ Ducis Suffolciæ gnata erat secundo genita, despondisset; in tempore vero pro sagacitate sua odoratus quem exitum stolida Dudleji ambitio nactura esset, matrimonium id nondum consummatum repudiavit, aliamque filio uxorem dedit, & protinus Mariæ Reginæ pedibus advolutus veniam oravit ac exoravit. Eundem gnatum, cum ex hac vita anno climacterico demigrasset, successorem in honore Comitis Penbrochiæ habuit, in *Periscelidis* Ordinem anno 1574. adscitum & munere Præsidis Consilii in Walliæ limitibus post soceri sui Henrici Sidney mortem auctum, quod *Johnstono (b)* prædicante, summa prudentiæ & æquitatis opinione administravit. Ex uxore sua *Maria Sidnea*, quæ *Musis* (Camdeni encomio) *amica & amænioribus studiis deditissima*, fabulam Romanensem Arcadiæ titulo illustratam composuit, præter Annam flore ætatis morte præreptam genuit filios duos eosque superstites reliquit, corporis & animi indole præstantes, nempe WILHELMUM IV. in paterno honore successorem, & PHILIPPUM, qui à R. Jacobo ad intima ejus consilia admissi, atque aurea *Periscelide* multisque beneficiis donati, in aula floruerunt. Prior Cancellarius Academiæ Oxoniensis & Senescallus Regii Hospitii fuit, vir antiquæ fidei & generosissimæ simplicitatis, quam expers literarum & peregrinationis usque retinuit, ita ut mores & conversationem exterorum facilè fastidiret, quemadmodum *Wilh. Sanderson in Hist. R. Car.* I. refert. Vitam quinquagesimo ætatis anno, die sua natali, finivit, subitanea morte nocturno tempore oppressus, postquam benevalens & benè cœnatus cubitum ivisset. Frater ejus ipso vivente in censum Parium regni, sub titulo *Lord Herbert of Shurland* d. 4. Jun. anno 1606. relatus, biennioque post ad dignitatem *Comitis Montis Gomerici* in Cambria evectus fuerat, cui titulo deinde avitum junxit, cum fratris sine prole mortui hæreditatem crevisset; utrumque autem, rebus humanis & ipse exemtus, ad filium cognominem transmisit; cui successit gnatus è priore matrimonio unicus WILHELMUS V. huic vero ante contractas nuptias morte intercepto frater consanguineus PHILIPPUS III. is cum pari fatorum malignitate præmature abreptus fuisset, unica tantum post se relicta filia, quam Georgii *Jefferyes* Baronis *de Wem* & sub regno Jacobi II. Cancellarii Angliæ, gnato elocatam esse, nuntiatum fuit, THOMAS ipsius germanus locum inter Angliæ Comites occupavit, uxoremque, si Novellis fides est, sub umbilicum anni 1684. duxit filiam *Advocati Generalis* (is in *Chamberlani Statu Regni Angliæ (c)* eodem anno evulgato, *Thomas Exton* vocatur) luculenta dote instructam, & nuper legatione apud Ordines fœderati Belgii obita inclaruit.

A secundo genito Wilhelmi C. Pembrochiæ filio EDUARDO linea Baronum & Comitum *de Powys* in Wallia defluxit; ejus enim filium WILHELMUM R. Carolus I. ad *Baronatus* honorem, hujusque nepotem cognominem R. Carolus II. ob merita fidemque singularem d. 4. April. 1674. ad *Comitis*, R. Jacobus II. vero a. 1687. m. Martio ad *Marchionis* dignitatem extulit. Barones vero

(a) *Annal. Elis. P. II. p. 182.* (b) *Rer. Brit. L. 9. p. 297. a. Annal. Elis. p. 824.* (c) *Parte II. p. 289.*

vero *de Chirbury* à Richardo Wilhelmi primi Comitis Penbrochiæ fratre oriundi, id honoris virtuti EDUARDI HERBERTI *de Montgomerie* in acceptis ferunt, viri prudentia pari atque eruditione præditi, & sub R. Jacobo I. legatione in Gallia magna cum laude defuncti, è qua redux factus exeunte anno 1624. *Baro Hiberniæ* sub titulo *Lord Herbert of Castle Island* creatus est; cui honori deinde R. Carolus I. d. 7. Maji anno 1629. patem in regno Angliæ addidit, axioma *Baronis Herbert de Chirbury* in Salopia illi impertiendo. Extant de cætero multa ipsius scripta, ætatem ferentia, videlicet *de Veritate Tractatus Philosophicus*; *de Causis Errorum* & *de Religione Laici*, *de Religione Gentilium*, *de Expeditione in Ream Insulam* & *de vita regnoque Henrici VIII.* libri.

Insignia Herbertanæ familiæ scuto constant *bipartito* è *cyano* & *minio*, quod *tres leunculi argentei* implent, & *margo* ex *tessellis aureis* & *rubeis* compositus cingit, hinc *pardo*, isthinc *leone* utroque *argenteo*, stipatum. *Galeæ* imponi solet *draco viridis*, ore *manum abscissam* & *sanguine stillantem* tenens.

CAPUT XXVIII.

DE COMITIBUS LINCOLNIÆ ET FAMILIA CLINTONENSI.



PEnbrochiensem sequitur *Comes Lincolniæ*, quæ regio Oceano Germanico alluitur, & post *Eggam*, qui anno 716. floruit, neç non *Morcarum* Saxones, *Wilhelmum de Romara* Normannum è *Lucia*, quam *Camdenus* (a) Morcari sororem, *Dugdalius* (b) Algari C. Cestriæ filiam appellat, & *Rogero Fitz-Gerold de Romara* natum, habuit Comitem, cui defuncto (nec enim *filius*, qui ante patrem anno 1152. obiit, nec *nepos cognominis*, quorum ille è *Mathilda* Richardi *de Redvers* gnata, hic ex *Havisia*, Stephani C. Albæmarlæ filia, genitus fuit, honore illo gavisi sunt) Rex Stephanus *Gilbertum de Gand*, illius in filia *Rohasia* generum, substituit. Hujus genus autor (c) noster refert ad *Balduinum VI. Comitem Flandriæ*, cujus sororem Conquestor in matrimonio habuit, euique filium tribuit *Gilbertum de Gand* cognominatum, patrem ex *Alicia*, Hugonis *de Montfort* gnata; *Walteri*, *Roberti* & *Emmæ* Alano *Perci* nuptæ. *Robertus* cum *Alicia* Wilhelmi Paganelli filia progenuit *Robertum*, quo natus *Mauritius* prole caruit. *Walterum* anno 1139. fato functum uxor *Mathilda* Stephani C. Britanniæ filia, parentem fecit *Gilberti*, *Roberti* & *Galfredi*: *medius* ex his progeniem habuit, quæ in tertiam usque generationem duravit, atque in ejus pronepote *Gilberto de Gand*, Loræ, Alexandri Ballioli sororis, marito anno 1298. extincta est. *Gilbertus*, filius natu maximus, *Lincolniæ Comes* jure uxorio extitit, mortuus autem anno 1156. sequioris tantum sexus sobolem reliquit, *Aliciam* nempe & *Gonnoram*, quarum prior Simoni *de S. Lize* Comiti Huntingdoniæ & Northantoniæ nupta, Lincolniensem etiam titulum ei attulit. Eo autem rebus humanis exemto *Ranulphus III. Cestriæ Comes*, cujus proavus cognominis Wilhelmi de Romara frater erat uterinus, hæreditatem ipsius & honores à R. Henrico III. consecutus est, & paulo ante mortem *Havvisiæ* sorori suæ, Roberti *de Quincy* uxori, *per chartam*, ut *Camdeni* verbo utar, Lincolniæ Comitatum dedit; Illa itidem contulit *Johanni de Lacy* Cestriæ Constabulario, & hæredibus, quos è *Margarita* filia sua unica susciperet. Ille vero *Edmundum* suscepit, qui ipse a. 1240. vita defuncto successit, & cum *Alicia*, è Marchionibus Saluciarum prognata, *Henricum* genuit. Is post parentis obitum, qui in annum 1258. incidit, *Comes Lincolniæ* factus est, pater è *Margarita*, Wilhelmi *Longespee* filia & hærede, filioli, quem infausto casu in puteo submersum vivens extulit, nec non gnatæ *Aliciæ*. Hæc ter nupta, vel potius quater, si Richardum de S. Martin, cum quo superstite primo marito, Thoma C. Lancastriæ, stupri consvetudo ipsi fuit, addas, paternum honorem singulis viris communicavit; namque post *Thomam Lancastrensem*, etiam *Ebulo B. Strange* nec non *Hugo de Frenes* Comitis Lincolniæ titulo usi esse leguntur. Cum tamen ex nullo prolem sustulisset, *Henricum Lancastrensem*, Thomæ fratrem, hæredem scripsit, unde amplissimum patrimonium Lancastrensi familiæ, & regio deinde patrimonio coaluit. Titulo autem Lincolniensium Comitum honorarunt Reges Eduardus IV. *Johannem de la Pole*, Henricus VIII. *Henricum Brandonum*, Suffolciæ Ducis filium, & denique Elisabetha *Eduardum Baronem de Clinton*.

Hujus familia perantiqua jam tum regnante Henrico I. inclaruit in *Galfrido de Clinton*, ejus

(a) *Descr. Brit. p. 434.* (b) *Baronag. I. 346.* (c) *Ib. p. 400.*

SCHEMA FAMILIÆ CLINTONENSIS COMITUM DE LINCOLN.

THOMAS DE CLINTON, Osberti N. miles sub R. Henrico III.
Mazera, Jacobi de Biseg in Badsley f.

Thomas de Clinton. *Mathilda, Radulphi Bracebrigge f.*

Osbertus Clinton de Austrey.

Wilhelmus Clinton Rect. Eccl. Austr.

Johan. Clinton de Colshill.

Jacobus Clinton de Badsley.

Johannes de Clinton † 1314. *Ida, Wilhelmi de Oding Sells, B. de Maxstocke sor. & coh.*

Johannes de Clinton, miles sub Eduardo I. *Alicia, Roberti de Grendon f.*

Johannes de Clinton. *Margarita Wilhelmi Carbet de Chadsley f.*

Wilhelmus BARO de Clinton. COM. HUNTINGD. † m. Aug. 1354. *Juliana de Leyburne, Joh. B. Hastings vid.*

Johannes de Clinton miles sub Ed. III. *N. Rogeri Hillary f.*

Johannes BARO de Clinton † 1396. Ux. 1. *Idonea Wilhelmi de Say sor. & haer.* 2. *Elisabetha, Wilhelmi de la Plaunch f. Roberti Grey de Rotherfeild vidua.*

Johanna nup. 1. *Johanni de Montfort.* 2. *Johanni Sutton B. de Dudley.* 3. *Henrico Griffith de Wichnevore.*

---

1. Wilhelmus de Clinton † ante patrem. Ux. *Elisabetha, Johannis Deincourt Eq. f.*

Wilhelmus Baro de Clinton & Say † 13. Jul. 1432. *Anna, Baronis Botreaux f. Fulconis Fitzwaryn Eq. vid.*

Johannes B. de Clinton & Say † . . . . . Ux. *Elisabetha, Richardi Fienes B. Dacres fil.*

Johannes B. de Clinton † 4. Jul. 1514. *Maria, Eduardi Poynings Eq. f.*

Thomas B. de Clinton † 7. Aug. 1517. Uxor *incomperta.*

Eduardus B. de Clinton & Say COMES LINCOLNIÆ cr. 1572. † sub init. a. 1585. 1. *Elisabetha, Blount f. Gilberti B. Talboys vid.* 2. *Ursula, Wilhelmi B. Stourton f.* 3. *Elisabetha, Geraldi Fitz-Joh. Gerald C. Kildariæ f.*

---

1. Brigita nup. *Roberto Dymok de Scrivelby.*

Catharina Ux. *Wilhelmi B. Borough.*

Margarita nup. *Carolo B. Willougby de Parham.*

2. Henricus Clinton C. Lincoln. † . . . . . 1. *Catharina Hastings, Francisci C. Huntingd. f.* 2. *Elisabetha, Richardi Morison f. Wilhelmi Norris vid.*

Eduardus Clinton † coelebs

Thomas Clinton. *Maria, Joh. Tirrel de Warleys f.*

Anna Ux. *Wilhelmi Ascough.*

Francisca nup. *Ægydio Brigges B. Chandos.*

---

1. Thomas Clinton C. Lincoln. † 15. Jan 1619. *Elisabetha Henrici Knevet de Charton f.*

Elisabetha nup. *Arturo Garge.*

Catharina † juv.

Francisca † juv.

Eduardus Clinton *Maria, Thomæ Dighton de Stourton f.*

2. Henricus Clinton cogn. Fienes.

Henricus Clinton † juv.

Thomas Clinton † juv.

Theophilus Clinton C. Lincoln. † *Brigitta, Wilhelmi Vicec. Say & Sele f.*

Eduardus Clinton.

Carolus Clinton.

Knevet Clinton.

† juv.

Robertus Clinton

Johannes Clinton.

Catharina † juv.

Elisabetha.

Francisca Ux. *Johanni Gorges.*

Arabella.

Lucia.

Anna † juv.

Susanna.

Dorcas.

Sara.

Eduardus Baro Clinton † ante patrem. *Anna, Johannis Holles II. C. de Clare f.*

Catharina Uxor prima *Georgii Booth, Bar. de la Mer.*

Eduardus Clinton C. Lincoln. B. Clinton. & Say.
Elisabetha

summo Cubiculario, & patronymici cognominis, qui eodem munere sub Rege Henrico I. functus est, atque ex *Agnete*, Rogeri C. Warwicensis gnata, *Henricum* genuit, quo & *Amicia de Bidun* natus *Henricus* II improlis è vita discessit, hæreditate sua ad *sorores*, quas *tres* habuit, videlicet *Amicabilem*, *Isabellam* & *Agnetem* transmissa. E fratre autem Galfredi I. *Osbertus* natus esse Dugdalio *(a)* fertur, qui Clintonense nomen ac genus ad hanc usque ætatem propagavit. Hunc enim *Margarita*, Wilhelmi *de Hatton* gnata patrem fecit *Osberti* II.; eo satus est THOMAS DE CLINTON, à quo *schema* initium capit. Ex hujus posteris primus inter Pares regni consedit WILHELMUS, *Johannis* filius natu minor, in Parlamento anno V. regni Eduardi III. apud Westmonasterium habito: huic quippe Regi ille in diversis togæ ac sagi muniis, quibus adhibitus fuit, ea solertiæ, dexteritatis, & generosæ indolis specimina dedit, ut in summam ejus dignationem intimamque admissionem perveniret, atque ipsius beneficio ad dignitatem Thalassiarchæ & honorem *Comitis Huntingdoniæ* anno 1336. proveheretur. Defuncti sine liberis hæreditatem crevit nepos è fratre JOHANNES, qui in Baronum Ordinem adscitus ad Parlamenta inde ab anno XXXI. Eduardi III. usque ad annum XX. Richardi II. evocatus fuisse legitur, & successorem habuit nepotem è gnato sibi præmortuo WILHELMUM, qui magni avunculi etiam sui *Wilhelmi de Say* hæres factus, id tituli cum gentilitio conjunxit; Regibusque Henricis IV. V. & VI. strenuam in bellis Gallicis commodavit operam. Hoc natus JOHANNES titulum *Baronis Say* Jacobo de Fienes, qui jus suum à proavia Johanna de Say, Idoneæ sorore derivabat, sollemni cessione tradidit. Idem cum R. Henrico VI. in Gallia militaret, captus fuit, quod infortunium VI. mille marcis ipsi constitit; ad Eboracensium partes deinde transgressus proscriptione & confiscatione omnium bonorum mulctatus, sed Eduardo rerum potito in integrum restitutus est. Pronepos ejus EDUARDUS titulum *Baronis Say*, & locum, quem illi hactenus usi in Parlamento tenuere, sibi denuo vindicavit, quo jure, non satis dilucide autor noster expedivit. Egregia ejusdem fuit opera, quam regnantibus Henrico VIII. Eduardo VI. Maria & Elisabetha maritima in militia præstitit, quaque *aureæ Periscelidis* decus, nec non officium supremi Admiralis, Maria id d. 10. Febr. 1557. largiente, promeruit, denique ab Elisabetha honore *Comitis Lincolniæ*, in qua provincia opimos reditus habebat, per diploma d. 4. Maji anno 1572. scriptum ornatus est. Successorem in eo habuit filium è secundo matrimonio susceptum, HENRICUM, is THOMAM gnatum natu maximum, quem excepit THEOPHILUS: hic restaurationi Regis Caroli II. superfuit, & in primis Comitiis Parlamentariis anno 1661. ab eo indictis inter Comites consedit, ad secunda vero d. 6. Mart. anno 1679. inchoata EDUARDUS Clinton evocatus fuisse legitur, qui nepos illius est.

Digma Clintonorum gentilitium *sex cruciculas cruciatas* & in imo *spiculatas nigras* refert, impressas scuto *argenteo*, cui *cephalus* est *cæruleus*, *stellis*, sive rotulis calcaris, *duabus aureis* fulgens. *Telamonum* vices explent *vertagi candidi*, millo rubeo, à quo funis ejusdem coloris dependet, armati. Galeam tegit *corona rubea*, *pennaculo argenteo* ornata.

CAPUT XXIX.

DE COMITIBUS DORSETTIÆ ET MIDDLESEXIÆ *ET* FAMILIA SACKVILLANA.



Incolniæ Comitem proxime excipit *Suffolciensis*, ex *Hovvardorum* illustri stirpe, de qua actum jam est, *(b)* prognatus: hunc sequitur *Dorsettiensis*. Provincia, à quo titulum is habet, juxta mare Britannicum longissime protenditur: primum ejus Comitem Wilhelmus Conquestor constituit *Osmundum*, qui Sagiensis erat in Normannia Comes, præterea que Sarisburiensis Episcopus & ipsius Cancellarius, *piam hominis prudentiam & egregias artes admiratus*; ut *Camdeni (c)* verba mea faciam. Rex Richardus II. anno regni sui XXI. *Johannem Beaufort*, Johannis Gandavensis filium, eumque Comitem Somersettiæ in *Marchionem Dorsettiæ* evexit, qua dignitate R. Henricus IV. illum exuit, fratremque ejus minorem *Thomam Comitem Dorsettiæ* creavit. Hoc sine prole mortuo Henricus VI. *Edmundum* ex eadem Lancastriæ stirpe, Johannis Bellofortii filium, primo *Comitem*, deinde *Marchionem Dorsettiæ* dixit, cui successit *Henricus* filius. His bello intestino sublatis Eduardus IV. *Thomam Grejum*, privignum suum, *Dorsettiæ Marchionem* creavit, quem eodem in honore excepere *Thomas* filius & *Henricus* nepos, qui

(a) Ib. p. 528. *(b)* Cap. 4. *(c)* Descr. Brit. p. 150.

SCHEMA FAMILIÆ SACKVILLANÆ, COMITUM DE DORSET ET DE MIDDLESEX.

JOHANNES SACKVILLE de Burckhurst in Com. Suffexiæ. *Margarita, Wilhelmi Bullen de Blikling f.*

Richardus Sackville de Burckhurst † 1566. *VVinifridis, Johannis Bruges Eq. fil.*

Thomas Sackville BARO Buckhurst, COMES DORSETTIÆ, *Eques Perisc.* † 19. April. 1608. *Cecilia, Johannis Baker f.*	Agnes nup. *Gregorio Fienes B. Dacres.*

Robertus Sackville C. Dorf. † 23. Febr. 1609. Ux. 1. *Margarita, Thomæ Hovvard, D. Norfolc. f.* 2. *Anna, Johannis Spenser de Althorpe f.*	Henricus Sackville	Wilhelmus Sackville Eques.	Thomas Sackville.	Anna nup. *Henrico Glemham.*	Johanna ux. *Antonii Vicec. Mountagu.*	Maria, nup. *Henr. Nevil, B. Bergavenny.*

1. Thomas Sackville, † cœlebs. 1586.	Richardus Sackville C. Dorf. † 28. Marr. 1624. *Anna Clifford Georgii C. Cumbriæ f. & hær.*	Winifridis † innup.	Cecilia nup. *Henr. Compton.*	Eduard. Sackville C. Dorset *Eq. Per.* † m. Majo 1652. *Maria Georgii Curson de Croxhall fil. & hær.*	Anna nup. 1. *Eduardo Seamour B. Beauchamp* 2. *Eduardo Levves.*

Thomas Sackville † inf.	Margarita ux. *Joh. Tufton C. de Thanet.*	Isabella, nup. *Jac. Compton C. Northampt.*	Richardus Sackville C. Dorset † *Francisca Cranfeild, Leonelli C. de Middlesex f.*	Eduardus Sackville † improlis. *Brigita, Eduardi Wray fil. ac hær.*

Carolus Sackville C. de Dorset & MIDDLESEX. *Elisabetha, Hervei Bagot de Pipe-Hall f. Caroli C. de Falmouth vid.*	Eduardus Sackville.	Richard. Sackville.	Elisabetha ux. N. *Boyle B. Broghill in Hib.*	Anna, nup. . . . . . *C. de Hume in Scot.*	Francisca, ux. *Georgii Lane.*

qui etiam Suffolciæ Dux fuit, & sub Maria capitale supplicium subiit, quemadmodum suo loco *(a)* dictum est. Jacobus denique THOMÆ SACKVILLO *Comitis Dorsettiæ* dignitatem contulit.

Hujus familiam è Gallia oriundam, cum Normannis in Angliam migrasse *Dugdalius (b)* affirmat, recensens quosdam ex ea prognatos, qui ætate Regum Henrici I. & III. in Sussexia floruerunt: continuam vero ejus seriem à JOHANNE SACKVILLO exorsus est, R. Henrico VIII. coævo, quem conjugium cum *Margarita Bullena*, Annæ amita, in ampliorem locum produxit. Pater ille extitit RICHARDI, viri *Camdeni (c)* verbis, *provide prudentis*, quem Regina Elisabetha Proquæstorem ærarii constituit. Hoc natus est THOMAS, ab eadem Regina in Baronum ordinem, sub titulo *Lord Buckhurst* d. 8. Jun. 1567., elatus, & anno 1571. Legatus in Galliam missus, ut Regi Carolo IX. de nuptiis cum Elisabetha Austriaca gratularetur. In sanctius consilium deinde adscitus, anno 1587. aliam legationem, eamque ancipitem apud fœderatos Belgas obiit, ad examinandas & componendas eorum de Comite Leicestriæ querelas, cui rei cum, referente autore modo citato, *(d)* fideliter incubuisset, *officiosa ejus sedulitas Leicestrio insidiosa visa est, cujus ira & firmata apud Reginam gratia ita valuerunt, ut Buckhurstus reversus plures menses domi se continere juberetur.* Post illius vero excessum in pristinam apud Reginam existimationem rediit, & Wilhelmo Cecilio Burghleio in munere *summi Angliæ Thesaurarii* anno 1598. suffectus, inque eo à R. Jacobo confirmatus, & d. 13. Mart. anno 1604. ad *Comitis Dorsettiæ* honorem provectus, tandem vero grandis natu, & fere annorum LXX. non vulgari genere mortis absumptus est: *cum* enim, referente *Johnstono (e) odio Johannis Leusoni Equitis arderet, eum accusatione gravi perdere intendit; magna expectatione Senatus & cupiditate audiendi, quid hic vel ille diceret. Verum secutus est memorabilis eventus. Cum Comes acturus, ea quæ secum commentatus esset, in scripto libello, memoriæ causa animo intento legeret, ac vocem prepararet, orta caligine subitaneo morbo correptus, & subinde collapsus, crebro anhelitu in senatu expiravit, jacuitque immobilis & extentus sine mente ac sine ullo sensu. Exanimis inter servorum manus in cubiculum delatus est, ubi adhibiti medici, ut experirentur, si forte apoplexia tentaretur, nulla humana ope convalescere potuit. Defuncto filius* ROBERTUS *in patrimonium amplissimum successit, qui honorem debitum patri præstitit, in ejus morte decoranda.* Iste quoque paulo post obiit, relicto filio RICHARDO, omni & virtute & humanitate ornato, qui prole mascula orbatus, avitos honores ad fratrem natu minorem EDUARDUM transmisit. Is initio apud Reginam Mariam, deindeque apud ipsum Regem Carolum I. summi Cubicularii officio functus est, ac successorem habuit gnatum RICHARDUM, qui *Cranfeildorum Comitum Middlesexiæ* hæredem uxorem accepit, multosque ex ea liberos suscepit, è quibus natu maximus CAROLUS, beneficio R. Caroli II. axioma *Comitis Middlesexiæ*, per diploma d. 4. April. anno 1675. datum, obtinuit, cumque eo, patre fato suo functo, avitum conjunxit.

Comitis Middlesexiæ, in qua provincia caput regni Londinum situm est, titulum, qui ante Cranfeildos gesserit, nullus reperitur. Rex Jacobus primitus eum erexit in gratiam *Lionelli Cranfeild*, Thomæ civis Londinensis filii, quem obscuris parentibus ortum à mercatura, quam exercuerat, in aulam productum, & honoratissimis ministeriis amplificatum, ad Baronum ordinem d. 9. Jul. anno 1621. extulit, annique sequentis d. 16. Sept. *Comitem Middlesexiæ* creavit. Fatum ejus, quo vario usus est, ac progeniem succincte exprimit *epitaphium*, quod in *Westmonasteriensi* æde conditum ipsi fuit, quodque hic inseruisse non erit, opinor, supervacaneum:

Lionelli Dom. Cranfield Middlesexiæ Comitis, à Jacobo sagacissimo Principe in aulam acciti, & pro nativo ingenii vigore, amplis tum honoribus tum muneribus munificentissime decorati, à supplicum libellis, rei vestiariæ, Orphanorum tutelæ præfectus, & à sanctioribus consiliis; subiit novissimè totius Angliæ Thesaurariæ splendidissimam atque lubricam provinciam, in quibus, quam sedulò navarit operam, indicant tituli, Equitis aurati, Baronis de Cranfield, Middlesexiæ demum Comitis atque alii variè collati, hinc gliscente invidia urgentur adversærerum procellæ, dum animosè movet lacertos (quæ innocentiæ conscientia) fortè jactatus tamen non naufragus enatavit, sedata hieme figit ancharam in re lauta sereno senectutis ocio respiravit; hic depositus, dum lassum prius jam luxatum corpus, nauclerus ille resuscitatum insusiore navigio & cælesti æternitatis portu collocarit. Obiit Augusti 6. anno 1645. ætate plus minus 70.

Duas successivè conjuges accepit, ex utraque suscepit prolem. Elisabetha prior (Richardi Shepard Negociatoris Londinensis gnata) *peperit fœminas: Elisabetham Comitissam de Moulgrave* (Edmundi B. Sheffeild C. Moulgrave uxorem) *Martham, Comitissam de Monmouth* (nempe Henrico Carey C. de Monmouth nuptam) *Mariam, quæ ante nuptias diem obiit. Ex Anna,* (po-

Ee steriore

(a) Cap. 20. (b) Baronag. II. 390. (c) Annal. Elis. p. 105. (d) Ibid. p. 509. (e) Rer. Brit. LXIV. p. 445.

ſteriore conjuge, quæ Jacobi Brett de Howby filia, d. 3. Febr. 1669. deceſſit, eidem tumulo inhumata) *nati ſunt Jacobus honorum hæres, Middleſexiæ Comes*, (is ducta in matrimonium Anna, Eduardi C. de Bath filia, gnatam unicam Eliſabetham, Johanni Egerton B. Braknoch, poſtea C. de Bridgwater elocatam, ſuſcepit, atque d. 16. Sept. 1652. naturæ conceſſit) *Lionellus* (hic fratris hæres & tertius Middleſexiæ Comes factus, nullis cum Rachele Fane, Franciſci C. Weſtmorlandiæ filia, eaque Henrici C. de Bath vidua, uxore ſua, liberis ſuſceptis d. 26. Oct. anno 1674. è vita migravit) & *Eduardus* (d. 16. Mart. 1647. fato functus) *Alterius ſexus, Franciſca domina Burckhurſt* (eadem nempe, quæ fratris Lionelli hæreditatem in Sackvillanam familiam transtuliſſe dicta eſt) *Suſanna, ante octennium denata infans.*

Inſignia Cranfeildorum *palum cæruleum, tribus liliis aureis* ornatum, & ſolo *ejusdem metalli* inductum referebant. *Sackvillorum* autem ſcutum *ex auro & minio* quadripartitum eſt, incumbente ei *baltheo diagonali, vellere vario* farto, ſive *petaſis ceruleis argenteisque* variegato. Suſtinet id utrinque *lynx argenteus*, è Galea autem *προτομὴ arietis nigri*, cujus *cornua deaurata* ſunt, exſurgit.

CAPUT XXX.

DE COMITIBUS SARISBURIÆ ET EXONIÆ ANTIQVIORIBUS, ET FAMILIA MONTACUTENSI.



IAm Comites *Sariſburiæ* & *Exoniæ* ordo tangit, qui ab una eademque familia, *Cecilia* nempe, genus ducunt. *Sariſburia* ſive *Sarum* urbs eſt Wiltoniæ primaria, antiquitus *Sorbiodunum* dicta: titulum ab ea primi, *Camdeno (a)* memorante, geſſerunt *Patricius* & *Wilhelmus*, vulgo *d' Evreux* nominati: *Dugdalius (b)* præceſſiſſe refert *Walterum*, qui *Patricii* pater, filius vero *Eduardi* & nepos *Walteri d' Evreux* Comitis Roſmariæ in Normannia fuerit. Wilhelmo d' Evreux ſucceſſit *Wilhelmus Longeſpee* Regis Henrici II. nothus, qui *Ellam* illius filiam in uxorem duxit, eoque nomine à R. Richardo I. in Comitatus *Sariſburiæ* & *Roſmariæ* reſtitutus eosdem honores ad gnatum *cognominem* transmiſit; Hunc ad ſacrum, ceu loqui amabant, bellum ſine permiſſione R. Henrici III. profectum is titulo & caſtro Sariſburiæ exuit, unde natus ex eo *Wilhelmus* III. avito honore caruit; filia tamen ejus unica *Margarita*, Henrico Lacy nupta, pro Comitiſſa Sariſburiæ habita eſt; cujus iterum gnatam unicam Thomas Comes Lancaſtriæ uxorem duxit. Hic cum proſcriptus fuiſſet, R. Fduardus II. omnibus ejus bonis manum injecit, è quibus Eduardus III. *Wilhelmo Montacute Trowbridg, Winterdourn, Ambresbury* aliaque tradidit *adeò plenè ac integrè, ſicut ea progenitores dicta Margarita Comitiſſa Sariſburiæ aliquo tempore tenuerunt*, eodemque illum tempore *Comitem Sariſburiæ per cincturam gladii* creavit, quemadmodum *Camdenus* refert.

Erat WILHELMO DE MONTEACUTO genus nobile, quod jam regnante Henrico II. in *Richardo* ejusque gnato *Drude Montacute* floruit, avus SIMON, quem inde ab anno XXVIII. Eduardi I. usque ad a. VIII. Eduardi II. ad Parlamenta evocatum, atque adeo in *Baronum* regni cenſu habitum fuiſſe, è catalago *Submonitionum* conſtat: eaque prærogativa filius quoque ejus WILHELMUS gaviſus eſt, huic prima uxor, quæ ſoror Orrici Regis Manniæ, à Rege Scotiæ Alexandro inſula hac exuti, *Dugdalio* audit, jus in *Manniam* attulit, quam etiam auxilio R. Eduardi I. ſibi aſſeruit, ſed ob contractum ad hanc expeditionem æs alienum Epiſcopo Dunelmenſi oppignoravit. Deinde tamen ad gnatum ejus WILHELMUM *Sariſburiæ* jam *Comitem* creatum, rediit, qui Manniam cum corona anno 1390. (ſicut *Camdenus (c)* è *Walſinghamo* refert) Wilhelmo Scroope grandi pecunia vendidit. Enimvero WILHELMUS II. dignitatem *Comitis Sariſburiæ* promeruit fide ac fortitudine, quam R. Eduardo III. in Scotico præſtiterat bello, in qua etiam dum vixit, perſeveravit, omnium dicti Regis expeditionum in Flandriam Galliamque præcipua pars; & denique morte, quam contuſionibus in haſtiludio Windſorienſi acceptis ſibi attraxiſſe fertur, interceptus, filios poſt ſe reliquit WILHELMUM III. & JOHANNEM, qui orbitam ejus ingreſſi, tum dicto Regi, tum ejus Succeſſori Richardo II. ſtrenuam navarunt operam; unde etiam natu minor, majori præmortuus, in *Baronum* ordinem relatus, atque ad comitia vocatus eſt; *Wilhelmus* autem in eam R. Eduardi III. dignationem pervenit, ut primis *Ordinis Georgiani* ab eo inſtituti Equitibus aggregaretur.

Quoniam

(a) *Deſcr. Brit. p. 181.* (b) *Baron. I. 174.* (c) *Deſcr. Brit. p. 741.*

SCHEMA FAMILIÆ MONTACUTENSIS,
COMITUM DE SALISBURY.

WILHELMUS DE MONTACUTE, vixit sub R. Henr. III.

Simon BARO de Montacute † circa a. 1315.

Wilhelmus B. de Montacute † 1319. Ux. 1. N. *Orrici C. Manniæ soror.* 2. *Elisabetha, Johannis de Montfort soror.*

2. Wilhelmus II. B. de Montacute, COMES DE SALISBURY, cr. 16. Mart. 1337. † 1343. *Catharina, VVilhelmi de Grandison f.*

Wilhelmus de Montacute III. C. de Salisb. *Eq. Per.* † 3. Jun. 1397. 1. *Johanna, Plantagenet, Edmundi C. Cantii f.* 2. *Elisabetha, Johannis de Mohun in Dunster f.* † 1414.	Sibylla nupta *Edm. Fitz-Alan.*	Philippa ux. *Rogeri de Mortimer C. Marchiæ.*	Johannes B. de Montacute † 25. Febr. 1390. *Margarita, Thomæ de Monthermer f.*	Elisabetha nup. 1. *Ægydio B. Badlesmere,* 2. *Hugoni B. Despenser.* 3. *Guidoni de Brien* † 20. Jun. 1359.	Agnes

2. Wilhelmus de Montacute, † ante patrem 6. Augusti 1382. improlis. *Elisabetha Richardi Fitz-Alan C. Arundel. f.*	Johannes de Montacute, C. de Salisb. *decoll.* 5. Jan. 1400. *Mathilda, Adami Francii f. Joh. Aubrey vid.*	Thomas de Montacute	Richardus de Montacute.	Margarita *monialis.* Catharina. Sibylla *monialis.* Eleonora.

Thomas de Montacute C. de Salisbury *Eq. Per.* † 3. Nov. 1427. Ux. 1. *Alienora Holand, Thomæ C. Cantii f.* 2. *Alicia, Thomæ Chaucer f. Joh. Philipps vid.*	Richardus de Montacute † *inf.*	Anna nup. 1. *Richardo Hankford,* 2. *Joh. Fitz-Lewis,* 3. *Joh. Holand C. Huntingd. D. Exon.*	Margarita Ux. *Wilhelmi IV. B. Ferrers de Groby.*	Elisabetha nup. *Roberto B. Willaughby de Eresby.*

1. Alicia, nup. *Richardo Nevill, Com. de Salisbury.*

Quoniam is filium unicum, eumque cognominem, infesto casu in ludicro certamine Windsoriæ vita privatum vivus extulit, successorem nactus est nepotem è dicto fratre JOHANNEM, qui cum temporario esset ingenio, & inita cum Comitibus Huntingdoniæ & Cantii conspiratione R. Henrico IV. perniciem moliretur, illa vero patefacta Cirencestriam in Comitatu Glocestriæ fugisset, comprehensus ab oppidanis & capite truncatus est, relicto post se filio THOMA, qui in integrum restitui virtute sua meruit, inter summos belli Duces, *Camdeni* judicio, numerandus, impiger manu, bonus consilio & actu promtus, qui post præclara in bello Gallico sub Regum Henricorum V. & VI. regimine edita facinora in oppugnatione Aureliæ pila majoris tormenti læsus, eoque ex vulnere mortuus, triste sui desiderium omnibus reliquit.

Cum filia *Thomæ* unica transiit honos Comitis Sarisburiæ ad *Nevillos*, è quibus *Richardi duo*, pater ac gnatus, eo gavisi sunt, quemadmodum, ubi ad Baronum in specie sic dictorum classem ventum erit, singulatim dicetur. Posterioris *Richardi Nevilli* filiarum natu major *Isabella* cum *Georgio Plantageneta* Duci Clarentiæ nupsisset, creatus is est *Comes Sarisburiæ* à fratre R. Eduardo anno 1471: sexto autem abhinc anno è vita sublato surrogatus in eo honore ab eodem fuit *Eduardus Plantageneta*, Richardi tunc Ducis Glocestriæ ex *Anna*, altera Richardi Nevilli gnata, filius, qui teneris decessit annis. *Margarita* deinde, Ducis Clarentiæ paulo antè nominati gnata, Richardo Polo nupta, titulum *Comitissæ Sarisburiæ*, beneficio R. Henrici VII. recepit. sed ab ejus filio ac successore illo æque ac vita exuta est, ceu in priore hujus operis parte uberius narratum fuit. Ab eo tempore jacuit hoc axioma, donec à R. Jacobo, anno regni ipsius tertio in gratiam *Roberti Cecilii* restauratum fuit, cujus progenies hodieque illo fruitur.

Ex eadem familia provenere etiam *Comites Exoniæ*, quæ Devoniæ metropolis est. *Excester* popularibus suis dicta, atque initio *Duces* habuit; quorum primus *Johannes Holandus* Huntingdoniæ Comes extitit, quem Richardus II. quod frater esset uterinus, ad id fastigii evexit, de quo ab Henrico IV. dejectus, *Thomæ Bellofortio* ejus fratri consanguineo locum cessit; postea tamen *Johannes Holandus*, prioris filius paternum recuperavit honorem, quem *Henrico* gnato reliquit, patri filiæ unicæ in *Nevillorum* familiam elocatæ, quemadmodum superius jam memoratum fuit. Interjecto haud exiguo temporis spatio Rex Henricus VIII. *Henricum Curtenaeum Marchionem Exoniæ* creavit, quem tamen mox ad capitale abstraxit supplicium. Jacobus denique *Thomam Cecilium*, Roberti paulo ante memorati fratrem, *Comitis Exoniæ* honore decoravit.

CAPUT XXXI.

DE COMITIBUS SARISBURIÆ ET EXONIÆ HODIERNIS, ET FAMILIA CECILIANA.



Ceciliorum stemma à *Roberto Sitsilt*, qui *Roberto Fitz-Hamon* in occupatione Glamorganiæ, regnante Wilhelmo Ruffo, socias præbuit manus, derivari *Dugdalius* (a) tradit. Sedes eorum antiqua *Alterynnis* in Herefordia fuit, ubi hodieque degunt, qui à PHILIPPO, RICHARDI Cecilii filio natu majore, sanguinem ducunt; DAVID autem, Philippi frater, in Lincolniam demigravit, fixoque *Stanfordiæ* domicilio illustrem nactus est progeniem, quam inprimis nobilitavit atque in lucem famamque perduxit WILHELMUS CECILIUS, prolixo nec immerito encomio à *Camdeno* (b) celebratus. *Vir sane erat*, verbis modo dicti Autoris, *præstantissimus, quem (ut speciem venerandam & vultum tranquillum taceam) ad honestatem, gravitatem, temperantiam, industriam & justitiam hominem excelsum finxit natura, & doctrina excoluit. Accessit multiplex & elegans dicendi copia, nec illa affectata, sed plana & facilis, prudentia usu corroborata, & moderatione summa, condita, fidesque spectatissima, sed supra omnia singularis in Deum pietas. Juvenis humanioribus literis Cantabrigiæ operam dedit, ubi vigesimo ætatis anno primam uxorem duxit, sororem Joh. Checi viri literatissimi. Deinde cum juri in Grajensi Londini Collegio aliquantisper incubuisset, Antonii Coci, qui Eduardi VI. informator, filiam Græce Latineque eruditam, nuptiis sibi adjunxit. In Ducis Somersettensis, Angliæ Protectoris familiam adscitus illi fuit à supplicum libellis (primus omnium qui hoc titulo in Anglia usus) Mox factus est Regi Eduardo VI. Secretarius, & ab eodem dignitate Equestri ornatus. Cujus suppositititiæ regni transcriptioni, qua Maria & Elisabetha omni regni jure exclusæ erant, cum se opponeret, (etsi cum cæteris etiam subscripserit) gratiam aliquam apud Mariam invenit, & magnam apud Cardinalem Polum, Tunstallum & Wilhelmum Petre, ob prudentiam. Verum cum Protestantium doctrinam ex animo amplexus (licet temporì*

(a) Baronag. III. 405. (b) Annal. Elisab. p. 720. & seqq.

tempori nonnihil cesserit) omnem aditum ad honores sibi praeclusum videret, ad Elisabetham se convertit. Quae privata ejus opera in negotiis procurandis usa erat, & Regina in sanctioribus Consiliis & epistolis; atque Thomae Parrio defuncto in pupillorum praefectura anno regni tertio surrogavit: quam magna cum integritatis laude administravit, adeo ut illa prudentiam admirata rerum summam ipsi quodammodo commiserit. Invidiam procerum exinde sibi natam magis patientia, quam pervicacia superavit. Denique prudentia & fide jam XIII. totos annos in maximis rebus spectata, Elisabetha eum Baronis Burghleji titulo ornavit, summumque Angliae Thesaurarium anno 1571. constituit. Quo in munere malas artes pecuniam corradendi aversatus, ut rem privatam, ita & publicam industria & parsimonia auxit. Tandem aureae etiam periscelidis insignibus decoratus & Academiae Cantabrigiensis Cancellarius delectus est. Assidua ad extremum animi contentione, arthritide & aetate confectus angoribus se dedit, & datis ad Reginam literis, ut magistratuum onera deponeret, majorem in modum obsecravit. Illa mox eum subinde invisit, blandissime consolata; sed intra paucos dies, cum satis naturae, satisque gloriae, patriae autem non satis, vixisset, morte adeo placida Deo animam reddidit, ut adversariorum maximus se nihil illi perinde invidere dixerit, ac ejusmodi mortem in tanta claritudine, cum maximarum rerum administris exitus plerumque sint tristiores. Filium ejus è priore matrimonio natum THOMAM R. Jacobus in sanctius adscivit consilium, Equitem *Ordinis Georgiani* & anno regni III. *Comitem*que *Exoniae* creavit, quo in honore gnatum WILHELMUM II. successorem habuit: hujus filius unicus cognominis, *Baro Ros*, jure materno, dictus, cum ob atrox dissidium (a) inter ipsius conjugem (haec *Thomae Laquei* Secretarii regii gnata erat) aviamque paternam, quam illa impudicitiae palam accusabat, ortum, matrimonii poenitens, monasticam vitam, spreta opima haereditate, clam amplexus, & in Italiam profectus esset, mox Neapoli non sine suspicione accepti veneni decessit, unde ad patruelem ejus DAVIDEM, axioma illud denique transiit, cujus progenies eo in praesentia fruitur.

EDUARDUS CECILIUS, Thomae C. Exoniae filius tertiogenitus, in militia Belgarum foederatorum sub Anglicis vexillis dux legionis diu meruit, neque exiguam in armis peritiam sibi comparavit, quo minus autem ad altiorem perveniret gradum, Verorum aemulatio & autoritas obstitit; tandem tamen è Chiliarcho subito Generalis factus, & copiis auxiliaribus in Palatinatum missis à Rege Jacobo praefectus est. Quamvis vero ex eo bello nullo prorsus successu mactus rediisset, neque aemulorum & malevorum obtrectationibus caruisset, attamen Buckingamio, qui tum primas in aula tenebat, intercedente, non tantum non luit improsperi culpam eventus, sed praemium quoque quasi de re benè gesta tulit, videlicet honores, *Baronis de Putney* nec non *Vicecomitis Wimbleton*, praetereaque novo auctus imperio, & classi XXCVIII. magnarum navium contra Hispanos instructae, totique illi expeditioni, quae auspiciis R. Caroli I. anno 1625. adversus Gades suscepta est, praepositus fuit. Verum hic etiam non ex destinato proposita fluxerunt: licet enim trepidatum in maritimis Hispaniae oris ad famam adventus classis illius fuerit, & portum nec non arcem Gaditanam Angli expugnaverint, oppido tamen potiri nequivere, sed multis suorum amissis, quos ferrum partim, partim intemperantia morti tradidit, obsidionem solvere & naves repetere velaque retrò vertere coacti sunt. Sperabat equidem Cecilius classem Hispanorum Indicam in redeundo intercipere, sed hac quoque spe frustratus, atque adeo nulla re prosperè gesta in Angliam reversus est. Ibi vulgi rumoribus incessebatur, quasi agendi tempus inutili consumsisset consultatione; quare haud ignarus, quanta invidiae tempestas imminret, secessit in agrum Vimbletonianum suarumque rerum ibi curam egit, & denique sine mascula prole fato defunctus, honores, quos obtinuerat, tumulo secum intulit. (b)

De ROBERTO CECILIO, *Wilhelmi Burghleji* filio secundo genito *Johnstonus* (c) memoriae prodidit, quod virtutibus vitiisque mixtus fuerit; corpore deformis, atque etiam gibber; sed sermone, voce, vultu venustus, & acri ingenio praeditus; porro quod aleae lusu & ludicrae artis amore inquinatus adhuc muneribus Reip à genitore admotus, in aetate nondum senatoria fuerit, exactam vero rerum agendarum solertiam, & multa experimenta morum Elisabethae adeptus, tum parentis claritudine, tum sua industria in tantum accreverit, ut nulli magis salutem privatam aut publicam, ac intimas cogitationes, Elisabetha & Jacobus crediderint. Erat dictae Reginae ab epistolis, Comitis Essexii inimicus ac aemulus perpetuus, cui suis apud illam criminationibus invidiam suppliciumque conflasse creditus est. A Jacobo muneribus & honoribus auctus, multiplicatusque summus Angliae Thesaurarius, Academiae Cantabrigiensis Cancellarius constitutus, *Baro de Essendon*, *Vicecomes Cranbornae*, *Comes Sarisburiensis* & denique *Eques Aureae Periscelidis* creatus fuit. *Quaesturam*, referente eodem Scriptore, *majore favore adeptus est, quam administravit, urbes civitatesque auctu multiplicatisque*

 vecti-

(a) *Vid. Johnston. Rer. Brit. L. XVI. p. 515. 523. & 526.* (b) *Ib. L. XXI. p. 667. Sanderson Hist. Car. I. p. 18. & 19.*
(c) *Ibid. L. V. p. 156. & LXV. p. 480.*

SCHEMA FAMILIÆ
COMITES DE EXETER

RICHARDUS SITSILT sive CECILL de Alterennis.

Philippus Cecill de Alterennis. — David Cecill Præfectus dynastiæ regiæ Coly-Weston sub Henrico VIII.

Richardus Cecill de Burghley, Sheriffus Northamptoniæ † 1542.

Wilhelmus Cecill BARO de Burghley n. 1521. cr. 25. Febr. 1571. Supr. Angliæ Thesaurarius *Eques Perisc.* 1584. † 4 Aug. 1598. Ux. *Maria, Petri Chocke f.* 2. *Mildreda, Antonii Cooke de Giddy-Hall f.* 1546. † 4 Apr. 1589.

1. Thomas Cecill, Baro Burghley, COMES EXONIÆ cr. 4. Maji 1605. *Eq. Perisc.* † 7. Febr. 1622. Ux. 1. *Dorothea, Johannis Nevill, B. Latimer f.* 2. *Francisca, V Wilhelmi B. Chandos f. Thomæ Smith vid.*

2. Anna n. 5. Dec. 1555. nup. *Eduardo Vere, Com. Oxoniæ* † 5. Jun. 1588.

1. Wilhelm. Cecill C. Exon. *Eq. Per.* † 1640. Ux. 1. *Elisabetha Mannours, Eduardi C. Rutl. f. & h.* 2. *Elisabetha, Roberti Drury sor. & coh.*

Lucia nupta *V Wilhelmo Paulet M. Winton.*

Mildreda, nupta 1. *Thomæ Read.* 2. *Edmundo Trafford.*

Richardus Cecill, † . . . . N. *Antonii Cope de Hanwell f.* Maria Ux. *Eduardi B. Denny.*

Eduardus Cecill BARO de Putney VICECOM. Wembleton, † 16. Nov. 1638. Ux. 1. *Theodosia, Andreæ Noel de Dalby f.* 2. *Diana V Wilhelmi Drury de Halstede f.* 3. *Sophia, Eduardi Zouche de Woking fil.*

Thomas Cecill.

1. Wilhelm. Cecill B. Ros. † 1617. ux. *Elisabetha Thomæ Lake Eq. f.*

2. Elisab. nupta *Thomæ Howard C. Bercher.*

3. Diana, nup. 1. *Henr. Vere, C. Oxon.* 2. *Thomæ B. Bruce C. d'Elgin.*

2. Anna Ux. *Henrici B. Grey de Groby, C. Stanf.*

David Cecill, Com. Exoniæ † . . . . *Elisabetha, Johan. Egerton C. de Bridgewater f.*

1. Dorothea.

1. Albina nupta *Christophoro Wray de Barlings.*

1. Elisab. nupta *Francisco Bar. Willougby de Parham.*

1. Francisca Ux. *Jacobi Fienes Vicec. Say.*

Johannes Cecill, Comes Exoniæ † . . . 1. *Francisca Joh. Mannours C. Rutland f.* 2. *Maria Fane Mildmaji C. Westmorland f. Francisci Palmer vid.*

Francisca Ux. *Antonii Cooper B. Ashley C. de Schaftsbury.*

Catharina nupta *Wilhelmo Hay C. de Kinnoul in Scotia.*

Francisca.

Diana † juv.

Penelope † juv.

Johannes Cecill B. Burghley C. Exon. *Anna Cavendish, Wilhelmi III. Devon f. Caroli B. Rich vid.*

David Cecill † juv.

Francisca Ux. . . . . *Vicecom. Scudamore.*

Catharina.

Francisca.

Maria.

Margarita.

CECILIANÆ. ET DE SALISBURY.

Uxor: *Johanna, VVilhelmi Heckington de Bourne f. & bar.*

Margarita nup. *Rogero Cave de Stanford.*

Elisabetha Ux. *Roberti VVingfeild de Upton.*

Anna nup. *Thomæ White de Tuxford.*

Robertus Cecill n. 1. Jun. 1563. BARO de Essendon 1603. VICE-COMES Cranburne 1604. COMES SARISBURIÆ 1605. d. 4. Maji, Supr. Thesaur. *Eques Perisc.* † 24. Maji 1612. *Elisabetha, VVilhelmi Brooke B. Cobham fil.* 31. Aug. 1589. † 1591.

Elisabetha nup. *Wilhelmo VVentvvorth.*

Christoph. Cecill.

Elisabetha nup. 1. *Wilh. Hatton Eq.* 2. *Eduar do Coke Eq.*

Dorothea Ux. *Ægydii Alington.*

Fráncisca nup. *Nicolao Tufton de Hothfeild C. de Thanet.*

Wilhelmus Cecill C. Sarisbur. *Eq. Per.* † 7. Dec. 1668. *Catharina, Thomæ Hovvard. C. Suffolc. f.*

Francisca nup. *Henrico B. Clifford, C. Cumbr.*

Jacobus Cecill † in juv.

3. Algern. Cecill † infans.

2. Anna † inf.

Carolus Cecill † ante patrem. *Johanna. Jacobi Maxvvell C. Derison f. & coh.*

Eduardus Cecill.

Algern. Cecill.

Wilhel. Cecill.

Philipp. Cecill.

Robert. Cecill.

Anna nup. *Algernoni Percy C. Northumbr.*

Elisabetha Ux. *Wilhelmi Cavendish Com. Devon.* † m. Nov. 1689.

David † cœlebs.

Catharina Ux. *Philippi Sidney B. l'Isle.*

Maria nupta *VVilhelmo B. Sandys.*

Jacobus Cecill Com. Sarisb. *Eq. Per.* † 17. Jun. 1683. *Margarita, Johannis Manners Com. Rutland f.*

Robertus Cecill † juv.

Carolus Cecill † juv.

Wilhelmus Cecill † juv.

Eduardus Cecill † juv.

Henricus Cecill † cœlebs.

Georgius Cecill † cœlebs.

Elisabetha † innupta.

Jacobus Cecill C. Sarisbur.

Robertus Cecill.

Wilhelmus Cecill.

Carolus Cecill.

Francisca Bennet.

vectigalibus afflixit, autor extorquenda pecunia ab Equestris ordinis Candidatis (quos Baronettos vulgo vocant) & illustriores dignitates petentibus, extitit, aliorum fortunas depeculatus est, aliorum caput oppugnavit, ita ut nequaquam tam gratum egregia animi dotes, quam invisum civibus sævitia atque avaritia facerent, & adversa apud omnes fama laboraret, apud vulgus autem variorum dedecorum infamia flagraret. Ad extremum cum ab æmulis ac malevolis pari arte, qua ille Essexio incommodaverat, peteretur, Regisque erga se gratiam minui, Roberti Cari autem juvenis favorem augeri cerneret, mærorem & inde cacochymiam contraxit, qua indies crescente, licet firmandæ valetudinis causa Bathonium secesserit, animam efflavit. Corpus a Thermis ad Hartfeildianas ædes cultu conspicuas, in agro Hertfordiensi, deportarunt famuli, & insigni monumento intulerunt. Post mortem patris, senescente invidia, filius ac successor WILHELMUS prosperiore fama fuit: qui nisi ad misericordiam Regis confugisset, bonorum proscriptionem effugere non potuisset; stetitque domus Suffolcii, soceri, gratia, & decreto Regis, in parentis fortunas inquirere prohibentis. Wilhelmus honorem Comitis Sarisburiæ nepoti suo è filio CAROLO sibi præmortuo, cui JACOBO nomen erat, reliquit; huic Ordinis Georgiani insignibus à R. Carolo II. anno 1680. decorato, & abhinc triennio vita defuncto filius *cognominis* immatura ætate successit, quem in itinere Italico ad Romana transgressum sacra nunc in arce Londinensi cohiberi accepimus.

Scutum Ceciliorum gentilitium *taniis argenteis & caruleis* exaratum & *sex parmulis nigris*, quæ singulos *leunculos* dicto metallo tinctos deferunt, ornatum est, utrinque *leone* suffultum: in apice iidem *leones duo erecti* & *mergitem* tenentes conspiciuntur, quorum dexter *cyano*, alter *argento* distinctus est.

CAPUT XXXII.

DE COMITIBUS BRIDGEWATERÆ ET FAMILIIS ALBINENSI ET EGERTONICA.



Ost Comitem Exoniæ locum habet *Bridgewaterensis*, cujus nominis oppidum in Sommersettia est à ponte, quo *Pedredus* amnis jungitur, sic dictum. Id Comitatus titulo à R. Henrico VII. exornatum fuit, cum HENRICUM D' AUBENY *Comitem de Bridgewater* crearet. Hujus genus *Dugdalius (a)* ab antiquissima stirpe *Albiniorum*, qui *Britones* cognominati sunt, deduxit: sator illius, *Robertus de Todenei* fuisse fertur; origine Normannus & conditor castri *Belvoir* in Leicestriæ & Lincolniæ confiniis siti. Quam rationem autem filius ejus WILHELMUS paternum cognomen cum Albinensi commutandi habuerit, literis proditum non est, gloriam tamen militarem, qua idem valebat, non tacuere scriptores, quos inter *Matthaus Paris (b)* ubi prælium, inter Robertum Curthose & Regem Henricum I. fratrem commissum, enarrat, ita mentionem ejus injecit: *in hoc opere potissime potentissimus laudandus fuit Wilhelmus de Albineio, Brito; qui gladio discurrens inter acies extracto, belli negocium consummavit.* A filiis duobus, quos post se reliquit, duo orti sunt rami, quorum natura potior regnante Henrico III. exaruit, ab altero, quem RADULPHUS prosevit, provenere qui mutato nonnihil nomine *Daubenaji* appellati sunt. Ex his ÆGYDIUS D' AUBENY summo apud Henricum VII. loco fuit, Vir, elogio Verulamii, *(c) magna prudentia ac fortitudinis, qua virtutes magis in eo enituerunt, quod simul humanus fuerit ac moderatus*: quare non tantum in ordinem Baronum provectus, sed etiam Camerarius Hospitii Regis, prætereaque *Bridgwaterensis* castri *Comestabilis* creatus est, eaque dignatione HENRICO filio gradum ad altiorem, de quo supra dictum est, honorem struxit; cujus tamen is hæredem nullum ex se natum habuit, sed sine prole defunctus familiæ suæ periodum absolvit.

Ab ejus morte cessavit *Bridgwaterensis* honos, donec à R. Jacobo anno 1617. resuscitatus & JOHANNI EGERTONIO collatus fuit: is satus est THOMA *Egerton*, qui *Richardi Egerton de Ridley* filius fuit nothus, & in collegio Lincolniensi jus municipale didicit. *In hoc juris studio (Johnstoni (d)* verbis utor) *multum vigilavit, laboravit, & pracipuam curam duxit, sensum animi quam apertissime exprimere. Mox in pulvere forensi, successu eloquens, descendit in arenam litigantium, & gradatim omnes honores percurrens ad praturam & pecuniosam senectam pervenit.* Functus aliquandiu officio primarii Reginæ Elisabethæ Procuratoris, ab ea anno 1596. Joh. Puckeringo, magni Angliæ Sigilli Custodi, *summa expectatione* (ut *Camdeni (e)* verba mea faciam) *& integritatis opinione* suffectus est, quod muneris etiam Jacobo ad regnum Britanniæ evecto,

(a) Baronag. l. III. 118. (b) ad annum 1105. (c) Hist. R. Henr. VIII. (d) Lib. VII. p. 22. (e) Annal. Elisab. p. 632.

SCHEMA FAMILIÆ DE ALBINI ſive DAUBENY
quæ COMITEM DE BRIDGWATER dedit.

WILHELMUS DE ALBINI cogn. BRITO, Roberti de Todenei F.
Mathildis de S. Liz, Simonis C. Huntingdon. fil. Roberti de Tunebrigg vid.

Wilhelmus de Albini Brito II. † 1168.
1. *Adeliſa.* 2. *Cecilia.*

Radulphus de Albini † 1190.
Sibylla de Valoines.

Wilhelmus de Albini, Brito, III. † 1236.
1. *Margarita, Odeneli de Umfranvile f.*
2. *Agatha Trusbut.*

Philippus de Albini † in Palæſtina a. 1237.

Radulphus de Albini.

1. Wilhelmus de Albini, Brito IV. † ante a. 1248. 1. *Albreda Biſeth.* 2. *Iſabella.*

Odonelus. Robertus. Nicolaus.

Philippus de Albini Junior.

Elias de Albini. *Haviſia.*

Iſabella, nup. *Roberto de Roſ.*

Oliverius de Albini.

Radulphus de Albini vulgò Daubeny dictus. 1. *Catharina, Thomæ de Thruenge ſoror.* 2. *Alicia, N. Bar. Montacute f.*

1. Eliſabetha nupta *Wilhelmo Botreeux Equiti.*

2. Ægydius d' Aubeny. *Eleonora Henrici de Wylyngton f.*

Ægydius d' Aubeny. Ux. 1. *Johanna* . . . 2. *Alicia.*

Wilhelmus Daubeny . . .

Ægydius Daubeny.

Ægydius Baro Daubeny cr. 1485. R. Henrico VII. a cubiculo & conſiliis † 28. Maji 1507. *Eliſabetha, Johannis Arundel de Lanhern f.* † 1500.

Henricus Baro Daubeny COMES DE BRIDGWATER cr. 19. Jul. 1538. † improlis.
Catharina Howard, Thomæ D. Norfolc. f.

Cecilia nup. *Johanni Bourchier B. Fitz-Warren C. Bathon.*

SCHEMA FAMILIÆ EGERTONICÆ

COMITUM DE BRIDGWATER.

THOMAS EGERTON, Richardi filius *nothus*, BARO ELLESMERE VICECOMES BRACKLEY, Angliæ Cancellarius † 15. Mart. 1617. æt. 77. 1. *Elisabetha, Thomæ Ravenscroft de Brettonf.* 2. *Elisabetha, Georgii Moore Eq. f. Johannis VVolley vid.* 3. *Alicia, Joh. Spenser de Althorpe f. Ferdinandi C. Darbiæ vid.*

1. Thomas Egerton Eques † in Hibernia 1599. *Elisabetha Thomæ Venables de Kinderton f.*

Maria nup. *Francisco Leigh de Neunham.*

Johannes Egerton COMES DE BRIDGWATER cr. 27. Maji 1617. † 4. Dec. 1649. *Francisca, Ferdinandi Stanley C Darb. f. & coher.*

Elisabetha nupta *Joh. Dutton.*

Vera Ux. *Wilhelmi Boothe,*

Maria nup. *Thomæ Leigh.*

Jacobus † juv.

Carolus † juv.

Johannes Egerton II. C. de Bridgwater † m. Nov. 1686. *Elisabetha, Wilhelmi Cavendish, D. de Neucastle f.*

Thomas Egerton.

Francisca Ux. *Joh. Hobert de Blickling.*

Arabella Ux. *Oliverii B. St. John.*

Elisabetha nup. *Davidi Cecill C. Exoniæ.*

Cecilia † innup.

Maria Ux. *Richardi B. Herbert de Chirbury.*

Penelope nup. *Roberto Napier de Luton-Hore.*

Alicia † juv.

Catharina Ux. *Wilh. Cortein,*

Magdalena Ux. *Gervasii Cutler de Stainburgh.*

Anna † juv.

Alicia nup. *Richardo B. Vaughan C. de Carbery in Hibern.*

Johannes Egerton III. C. de Bridgwater B. Brackley. 1. *Elisabetha, Jacobi Cranfeild C. Midlesex f. & coh.* 2. *Johannæ Caroli Paulet M. Vinton. f.*

Wilhelmus Egerton. *Honora, Thomæ Leigh de Stoneley f.*

Thomas Egerton.

Carolus Egerton.

Stuartus Egerton.

Elisabetha nupta *Roberto Sidney Vicec. l'Isle.*

evecto, obiit, novis ab illo honoribus amplificatus, utpote d. 21. Jul. 1603. Baro regni sub titulo *Lord Ellesmere* triduoque abhinc supremus Cancellarius Angliæ, & denique d. 9. Nov. anno 1616. *Vicecomes Brackley* creatus, cui dignitati haud diu superfuit, cumque filium natu majorem THOMAM, sequioris tantum sexus liberorum genitorem, turbato mortalitatis ordine ante se vivis exemptum, extulisset, minorem JOHANNEM successorem habuit. Hunc altero à parentis excessu mense Jacobus axiomate *Comitis de Bridgwater* auxit, quod is fato suo functus gnato cognomini reliquit; hic Buckinghamiam & Herfordiam vicaria rexit potestate & paucis abhinc annis debito naturæ soluto primogenitum JOHANNEM III. sicut in honoribus ita & in prioris provinciæ præfectura successorem nactus est, quem mense post illius obitum quinto gravis & acerbus perculit casus, orto in ejus ædibus incendio fortuito coque tam vehementi & celeri, ut duo ex ejus filiis una cum ipsorum ephoro illo hausti extinguerentur, quemadmodum in schedis publicis mensis Aprilis anni 1687. narratum fuit.

Insignia Henrici *d' Aubeny* Comitis de Bridgewater *fusos quatuor argenteos* in campo *rubeo* repræsentabant, quæ vero Egertonii gerunt, ita *Joh. Gibbonus* (a) expressit: *in clypeo candido, leonem erectum miniatum inter trium jaculorum ferra* (quæ *spicula* Latinis dicuntur) *nigricantia; limbo ejusdem coloris (in semilunulas operato sive dentibus asperato) circumducto. Atlantes* apud *Sandfordium* (b) clypeo huic adduntur, à dextris *equus*, à sinistris *gryphus*.

CAPUT XXXIII.

DE COMITIBUS LEICESTRIÆ ANTIQVIORIBUS.



Equitur *Leicestriæ* Comes; id tituli post Angliam à Normannis subactam primus gessit *Robertus*, filius *Rogeri* Domini *de Beaumont*, ex *Adelina*, Walerani C. *de Meullent* gnata, & Hugonis sorore ac hærede, susceptus; cujus genus *La Roquius* (c) ad Bernardum Danum, satorem stirpis Harcurtiæ in Normannia, refert. Delatus ille cum Wilhelmo D. Normanniæ in Angliam, licet tiro tunc esset, veterani tamen munia implevisse, nec leve momentum ad victoriam, quæ regnum Duci peperit, fortitudine sua attulisse in *Orderici Vitalis* annalibus prædicatur. Regis Henrici I. deinde partes adversus fratrem ejus Robertum strenuè tuitus, meruit, ut *Comes Leicestriæ* ab illo crearetur; quo in honore filium, nepotem & pronepotem successores nactus est, quemadmodum ex subjecta liquet diatyposi.

TAB. LX.

ROGERUS DE BEAUMONT. Ux: *Adelina, Walerani C. de Meullent f. Hugonis C. de Meullent soror ac denique hæres.*

Robertus COMES de Meullent & LEICESTRE † 1118. *Elisabetha, Hugonis C. Veromand. f.*	Henricus Comes Warwici *Vid. inf. Tab. LXV.*

Waleran. Dn. de Beaumont C. de Meullent & Worchest. à quo amplissima posteritas.	Robertus II. Comes Leicestriæ cogn. Gibbosus † 1168. *Amicia Radulphi de Guader f.* 1119.	Hugo cogn. Pauper C. Bedfordiæ à R. Stephano creatus.	Amicia ux. *Hugonis de Novo Castello.*	Alberea. ux. *Wilhel. Louvel Dn. d' Jury.*	Adelina nup. *Hugoni IV. Dn. de Montfort sur Risle.*	Elisabertha. *R. Henrici I. amasia post uxor I. Gilberti de Clare C. Penbroch 2. Hervei de Montmorancy.*

Robertus III. cogn. Albimanus C. Leicestr. † 1190. *Petronilla, Hugonis de Grentemesnil f. 1167.*	Isabella nupta 1. *Simoni S. Liz. C. Huntingd. 2. Gervasio Paganel.*	Havisia Uxor *Wilhelmi C. Glocestriæ.*

Robertus IV. cogn. Fitz. Pernell C. Leicestr. † improlis 1204. *Lauretta Wilhelmi B. Braose de Brembré f.*	Rogerus *Episc. Fani Andreæ* in Scot.	Wilhelmus leprosus Dn. de Bretueil.	Amicia nup. I. *Simoni III. Dn. de Montfort. 2. Alberico C. de Dammartin 3. Wilhelmo des Barres.*	Margarita ux. *Saieri de Quincy C. Vintoniæ.*

(a) *Introd. ad Lat. Blason.* (b) *Geneal. Hist. of. Engl. p. 493.* (c) *Vid. Hist. de la maison de Harcourt. Lib. I.*

SCHEMA FAMILIÆ

AMALRICUS DE HANNONIA Rainieri II. Comitis Hannoniæ F.

Wilhelmus de Hannonia.

Amalricus I. Dominus de Montfort.

Simon I. Dn. de Montfort † post a. 1072. Ux. 1. *Isabella de Broyes, Dna de Nogent, Hugonis I. Dn. de Broyes f.* 2. *Agnes, Richardi I. C. d'Evreux f.*

1. Amalricus II. Dn. de Montf. cogn. Potens † improlis 1090.
Isabella Dom. de Nogent, nup. *Rudolpho II. Dn. de Toeny & Conches.*
2. Richardus Dn. de Montfort † mense Novembr. 1090.
Simon II. Dn. de Montfort. cogn. Junior † cœlebs.

1. Luciana nupta *Hugoni Dn. de Crecy.*
2. Amalricus IV. Dn. de Montf. C. d'Evr. † 1139 cœlebs.
Simon III. Dn. de Montfort C. d'Evreux † 1181. Ux. *Mathilda . . . .* 2. *Amicia de Beaumont, Roberti III. C. Leicestr. f.*

2. Amalricus V. C. d'Evreux & de Glocester † ante matrem &c. 1. *Mabilia, Wilhelmi I. C. Glocestr. fil. & cohær.* 2. *Melissenda Hugonis de Gournay f.*
Simon IV. Dn. de Montfort, Comes de Rochefort & LEICESTRE, occ. 25. Jun. 1218. *Alisa, Buchardi V. Dn. de Montmorency f.*

Amalricus VI. Com. de Montf. Comestab. Fr. † 1241. *Beatrix Andreæ de Burgundia Delphini Viennensis f.*
Amicia nup. *Galcherio de Joigny* † 13. Febr. 1253.
Laura Ux. *Gerardi II. Vicedom. Ambian.*
Petronella *monialis.*
Guido de Montfort C. de Bigorre per Uxor. *Petronellam Comit. de Bigorre* ductam 4. Nov. 1216. occ. 1218.

Johannes C. de Montfort † ineunte anno 1249. *Johanna; Godofredi VI. Vicecom. de Chasteaudun fil. & coh.*
Simon de Montfort † improlis.
Henricus de Montfort occisus cum patre 4. Aug. 1265.
Petronella Uxor *Rudolphi Dn. de la Roche Fesson.*
Alisia, Com. Bigorr. nupta 1. *Eschivato II. Pr. de Chabanois.* 2. *Rudolpho de Courtenay Dn. d'Illiers* † 1255.
Petronella *Abbat. Portus Regii.*
Alisia nup. *Simoni de Clermont, Dn. de Neelle* 1242.
Laura nupta 1. *Ferdinando de Castilia R. Ferdinandi III. filio primog.* 2. *Henrico de Busancois, C. de Grandpre.*
Margarita Uxor *Johannis III. C. de Soissons* † 1288.

Beatrix filia & hæres unica nupta *Roberto IV. C. de Dreux* 1260.
Thomasina Uxor *Petri di Vico, Præfecti Romani.*
Anastasia Comit. Nolæ nupta *Romano Ursino; Nicolai III. Papæ nepoti.*
Philippus de Montfort † juvenis.

MONTFORTIÆ.

Uxor: N. *Isaaci Comitis Cambriæ f. 952.*

Uxor: N. *Domina de Montfort & Espernon.*

Uxor: *Betreida.*

Mainierus de Montfort, Dn. d'Espernon
Uxor *incomperta.*

Amalricus III. Dn. de Montfort C. d'Evreux. 1. *Richildis Balduini II. C. Hannoniæ f.* 2. *Agnes de Garlande, Anselmi C. de Rochefort fil. unica.*

Wilhelmus de Montfort *Episc. Parif.* 1092 † 1100.

Betrada nup. *Fulconi Rechin C. Andium.*

Amalricus de Montfort Dn. d'Espernon.

Agnes Dom. de Gournay nup. *Alerano III. C. de Meullant.*

Simon d'Espernon.

Mainierus d'Espernon.

Betrada nup. *Hugoni C. Cestriæ* 1171.

Guido de Montfort Dn. dela Ferte-Aleps † 31. Jan. 1227. *Helvesia, Baliani II. Dn. d'Thelin f.*

Petronella nup. *Bartholomæo Dn. de Roye.*

Robertus de Montfort † cœlebs.

Simon de Montfort V. C. Leicestr. Senesc. Angl. occ. 4. Aug. 1265. *Eleonora, Johannis R. Angl. f. Wilhelmi C. Pembroch. vid. 7. Jan. 1238.*

Petronella, *monialis in monast. S. Antonii lez Paris.*

Philippus de Montfort Dn. dela Ferté-Aleps de Castres, & de Tyr. 1. *Eleonora de Courtenay Petri Imp. Constantinop. f.* 2. *Maria, Rupini de Poitiers Pr. Antiochiæ f.*

Guido de Montfort Comes Nolæ in regno Neapol. † 1288 *Margarita Rudolphi Com. de l' Anguillara fil. & hær.*

Richardus de Montfort.

Amalricus de Montfort Thesaurar. Eborac. 1282.

Eleonora, nup. *Leolino Pr. Walliæ* 1277. † 1278. *ipse decoll. jussu R. Ed. I.* 1282.

1. Philippus de Montfort II. Dn. de Castres & la Ferté-Aleps † ante a. 1274. *Johanna de Levis.*

2. Philippina nup. *Wilhelmo Dn. d' Esneval* † 1282.

2. Johannes de Montfort Dn. Tyri † a. 1283. *Margarita de Poitiers Henrici Pr. Antioch. f.*

Alfredus de Montfort Dn. de Thoron † 1283. *Eschivia d' Thelin, Joh. Dn. de Baruth f.*

2. Alix innupta.

2. Elvis innupta.

Johan. de Montfort C. de Squillace & Montescagioso † improlis 1306. *Margarita de Belmont e Petri Dn. de Belmonte C. de Montescagioso fil.*

Laura nup. *Bernardo IV. C. de Cominges.*

Eleonora Ux. *Johan. IV. C. de Vendome* † 1338.

Johanna nup. *Guigoni VI. C. de Forests.*

Amalricus de Montf. † cœlebs.

Rupinus de Montfort Dn. de Thoron. *Maria de Thelin.*

Alfredus de Montfort II.

Johanna.

Robertus IV. *Fitz-Pernell* sive Filius Petronellæ dictus *Comes Leicestriæ*, prole destitutus hæreditatem suam, quæ ampla erat, *sororibus* reliquit, quarum natu major potiorem Comitatus Leicestriæ partem sortita est, unde ad *Montfortios*, in quam familiam primis nuptiis elocata fuit, Leicestriæ Comitis titulus devenit; quem quidem qui primus ex ista gente gessit, non maritus Amiciæ, nempe SIMON III. Montfortii Dynasta fuit, (is enim ad affinis sui *Fitz-Pernell* mortem non duraverat) sed gnatus illius SIMON IV. quemadmodum Gallici scriptores, evidentius Anglicis, qui illos confundunt, demonstrarunt. Sed quoniam in hanc Montfortiorum familiam claram suo ævo ac potentem incidimus, non indignum nec intempestivum videtur, licet origine & domicilio Gallica fuerit, ejus Genealogiam hic loci inserere, eamque integram qualem nimirum vir accuratissimus *Buchetus* in *Historia domus Curtenacensis* (a) recensuit, plurimis in locis à *Dugdalio* nostro, quandoque dormitante, maxime cum de familiis extraneis sermo ei est, discrepans, illoque meliora docens. Verum enim vero de origine *Montfortiæ* stirpis Gallici etiam autores inter se dissident atque discordant, antiquioribus, quos inter *Tilletus* imprimis nominatur, ad Regem Galliæ *Robertum*, Hugonis Capeti filium, eam referentibus, atque ab illius notho, quem *Amalricum* vocant, ac è *Domina de Nogent* susceptum, dynastiisque *Montfort* & *Espernon* à genitore instructum fuisse ajunt, deducentibus; quam opinionem etiam *Dugdalius* (b) suam fecit. Recentiores autem, atque ex illis ante *Buchetum*, *Andr. Duchesneus* Genealogorum facile Princeps, fide documentorum & testimonio *Orderici Vitalis* prisci scriptoris ivernat probatum, Montfortiorum stirpem ab *Hannoniæ Comitibus* defluxisse, ejusque satorem AMALRICUM, *Rainieri II. C. Hannoniæ* filium natu minorem, fratrem vero *Comitis Rainieri* III. extitisse: uxorem eidem tribuunt ortam ex Isaaco Comite Cambriæ, qui nepos fuit Balduini I. C. Flandriæ è filio Rudolpho C. Cambriæ anno 898. mortuo: WILHELMUM ex hoc conjugio progenitum accepisse putant conjugem *Dominam de Montfort*, cui amplæ in Carnutis erant possessiones, eamque beneficio R. Hugonis Capeti, cujus filiam Hadwigem Rainierus IV. C. Hannoniæ, Wilhelmi patruelis, connubio sibi junxerat. Wilhelmo natus est AMALRICUS primus hujus nominis Montfortii dynasta pater SIMONIS, & MAINIERI; hic *Espernonium* è paterna hæreditate sortitus, Toparchas hujus loci progenuit; ille vero *Montfortii Dominus* è duplici matrimonio complures sustulit liberos: eorum natu maximus AMALRICUS II. Parentis cognomen habuit, atque ictu lanceæ ante castrum Yvry sauciatus, ex eo vulnere improlis decessit. Simili paulo post fato proximus ab illo RICHARDUS functus est, in defensione oppidi Conches sagittæ ictu exanimatus. Huic successit SIMON II. qui R. Ludovico Crasso ad redigendum in ordinem Buchardum Montmorancii Dominum strenuam navasse operam, suaque alacritate atque animositate vel timidissimis in exercitu Regis animum addidisse *Orderico Vitali* prædicatur, ἄγαμος vitæ munere defunctus; unde AMALRICUS III. denique *Montfortii Dominus* evasit, cui ex avunculi *Wilhelmi* anno 1118. sine prole mortui hæreditate etiam Comitatus *Eburoviensis* in Normannia obvenit; hujus autem in possessionem priusquam veniret, acerrima cum Rege Angliæ Henrico II. contentio, quæ in bellum exarsit, exsudanda ipsi fuit. A priore conjuge *Richilde Hannonica* agnationis ergò separatus fuisse, illaque monasticam Malbissonii amplexa duxisse traditur *Agnetem* Rupisfortis Comitissam, factus ex hac pater AMALRICI IV. præmature vivis exempti, nec non SIMONIS III. qui *Amiciam de Beaumont*, è Comitibus Leicestriæ ortam, uxorem secundis nuptiis accepit, cujus etiam matrimonii gratia partibus Regis Angliæ Henrici II. adversus Ludovicum Juniorem Gallum se applicuisse memoratur. *Amiciam* post Simonis Montfortii obitum ad secunda transiisse vota cum *Wilhelmo de Battes*, eique filium peperisse cognominem, clarissimum suæ ætatis bellatorem, *Buchetus* refert; priori vero marito filio ex ea tres tribuit, videlicet AMALRICUM V. (qui Comitatum *Eburoviensem* è paternis ditionibus sortitus & *Comes Glocestriæ* jure uxorio factus, sed prole destitutus, priorem Comitatum Regi Galliæ Philippo Augusto anno 1200. vendidit) SIMONEM IV. Montfortii Dominum & GUIDONEM, Dynastam *de la Ferté-Aleps* in Belsia. Is suscepto in Palæstinam itinere uxorem ibi duxit, redux autem in Galliam factus, cum fratri *Simoni* in bello adversus Albigenses socias præberet manus, ad locum *Varilles* prope Apamias sagitta ictus interiit, pater PHILIPPI, qui in Oriente famam sibi uxorem liberosque ac rem peperit.

SIMON IV. Montfortii Dominus post excessum avunculi sui, *Roberti IV. Fitz-Pernell* titulum *Comitis Leicestriæ*, annuente matre, assumsit. Eum cum genitore Simone III. Anglici Scriptores confundere solent, è duobus unum facientes, hujusque ætatem annos prope quadraginta prorogantes. Nomen sibi Simon IV. peperit cruento bello, quo miseros Albigenses fidei causa est persecutus, instinctu Innocentii III. Papæ, à quo præmii loco ditionibus Raimundi Comitis Tolosani, bruto percussi fulmine, donatus est, deque eo R. Philippo Augusto mense Aprili anno 1216. homagium præstitit, hoc exinde titulo usus: *Simon Dei gratia Dux Narbonæ,*

(a) *Lib. I. Parte 2. cap. 3.* (b) *Baronag. I. 751.*

Narbona, Comes Tolosæ & Leicestriæ, Vicecomes Biliterarum (Besiers) & Carcassonnæ, Dynasta Montfortii. Neque tamen in solidam ditionum illarum possessionem pervenit: cum enim Tolosam oppugnaret, lapidis jactu in capite percussus, ex eo vulnere animam exhalavit, aliquot filiis post se relictis. Eorum natu maximus AMALRICUS VI. improsperis adversus Raimundum Juniorem Comitem Tolosanum successibus usus, quicquid parens ejus isto in bello occupaverat, Regi Ludovico VIII. cessit, & titulis, quos paulo ante memoravimus, missis, *Comitem Montfortii* se dixit. A Ludovico Sancto anno 1231. dignitate *Comestabilis Franciæ* auctus, & deinde cum copiis auxiliaribus in Palæstinam missus est, qua in expeditione à Turcis apud Gazam captus & Babylonem abductus fuit: ineunte autem anno 1241. libertati redditus cum in Galliam remigraret, Romæ è fluxu sanguinis vitam amisit. Ejus gnatus JOHANNES dicto Regi in primo trans mare itinere comitem se præbuit, sed in Cypro morte interceptus est, unicæ pater filiæ, quæ amplam domus suæ hæreditatem in *Drocensem* familiam, Regiæ agnatione junctam, transtulit. Secundus *Simonis* IV. gnatus GUIDO Comitatum *Bigorritanum* jure accepit uxorio, sed secundo conjugii sui anno in obsidione Castronovarii occisus duas tantum filias reliquit.

SIMON V. *Simonis* IV. filius natu minimus, contracta offensione, quod R. Ludovicus S. matris suæ Blancæ instinctu nuptiis ipsius cum Johanna, Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, impedimentum injecisset, ad Regem Angliæ Henricum III. anno 1236. transiit, à quo benevole exceptus & *Comitatu Leicestriæ* investitus nec non munere *Seneschalli Angliæ* matrimonioque sororis regiæ anctus fuit, postquam ante ejus è Galliam discessum à fratre primogenito *Amalrico* cessionem omnium bonorum, quæ pater avaque in Anglia tenuerant, accepisset. Vasconiæ deinde vicaria potestate impositus, Gastonem Bearniæ Comitem & Wilhelmum Bertrandum, Grammontii Dynastam, rebelles vicit, suæque potestatis fecit, alibi etiam rebus strenue & prospere gestis de dicto Rege bene meritus. Hujus tamen gratia per invidorum obtrectationes deinde excidit, usque adeò, ut è Vasconia in Angliam accitus proditoris & perfidi titulo ab illo salutaretur, id quod ad animum altissime revocans dolorem neutiquam pressit, sed quæ ira suggerebat responsavit, Rege tamen aliquid contra eum statuere non audente. Licet vero facta reconciliatione officiis suis Regi aliquandiu non defuisset, ad extremum tamen famosæ illi Baronum, libertatem publicam obtentui sumendum, rebellioni, anno 1263. cœptæ, ducem se præbuit: quo in bello Rex ipse cum filio Eduardo in Leicestrii potestatem delapsus est; sed ex Herfordiensi castro custodum negligentia iterum elapsus, & Anglorum, qui in obsequio remanserant, nec non Vasconum, quos in auxilium evocaverat, copiis corroboratus, pugnam denuo cum Simone ejusque asseclis capessivit, qua is victus & una cum filio natu maximo HENRICO cæsus est. Cæteris ejus liberis bonis honoribusque à Rege victore exutis & proscriptis, ipsa eorum mater, licet Regis soror esset, in Galliam cum RICHARDO, AMALRICO & ELEONORA se recipere coacta est: SIMON autem nec non GUIDO cum multis Nobilibus suarum partium in insulam Axelhomiam confugerunt, opportunitatem res suas restaurandi capturi, sed prævalente Regis fortuna, & Legato Pontificio interveniente, permittere se illi, pacta incolumitate, necesse habuerunt. Conjecti in Doverense castrum & custodiæ dati, sed nondum elapso anno occasionem evadendi nacti, in Galliam ad matrem trajecerunt, ubi *Simonem* sine prole decessisse *Buchetus* refert. Anglici autem scriptores utrumque in Italiam ad Regem Siciliæ Carolum I. se contulisse, & sanguine Henrici Comitis Cornubiæ, qui Richardi Regis Romanorum filius, eorumque matruelis erat, manus Viterbii polluisse tradunt. *Guido* certe in Italia fuit, à dicto Siciliæ Rege Comitatu *Nolæ* donatus, & deinde Etruriæ præfectus; cum vero Viterbii in æde Divi Laurentii memoratam perpetrasset cædem, ad perpetuos carceres à Papa Gregorio X. condemnatus, verum à Martino IV. in libertatem restitutus, & exercitui ejus ad Romaniolam subjugandam conscripto, præpositus est. Persolvit denique istis in oris naturæ debitum, sequioris tantum sexus sobole post se relicta.

Prætereundum de cætero non esse arbitror, quod eodem ævi spatio, quo enumerata Montfortiorum familia floruit, alia ejusdem cognominis in Anglia & Normannia extiterit, è qua *Hugo Dn. de Montfort* prodiit, in Bellomontanorum diatyposi memoratus, utpote *Adelinæ de Beaumont* è Roberto Comite Meullencii & Leicestriæ natæ, maritus. Ea vero ad eam, quam altera consecuta est, gloriam ac amplitudinem non pervenit, hodieque in Staffordia mediocri fortuna superest, quemadmodum *Dugdalius* in *Baronagio (a)* refert.

Insignia Montfortiæ gentis, quæ *Comites Leicestriæ* dedit, quod ad extremum attinet, *leonem* ea ostentabant *argento tinctum* in scuto *rubeo*. *Bellomontii* vero iique *Meullentii Comites* clypeos suos *tessellis auro & cocco alternatim tinctis* impleverunt, quas *Leicestriæ Comites* ... ex eadem gente orti, cum *rhombis* commutarunt.

(a) Tom. I. p. 407.

CAPUT XXXIV.

DE COMITIBUS LEICESTRIÆ RECENTIORIBUS ET FAMILIA SIDNEIANA.



Imone Montfortio V. Comite Leicestriæ cæso, ejusque prole proscripta *Edmundus Gibbosus*, Lancastriæ Comes, honores illius ac possessiones, à patre R. Henrico III. accepit; unde inter titulos Lancastrensis familiæ diu quasi delituit *Leicestrensis* honos & *Blanca*, quæ Henrici Ducis Lancastriæ filia erat, nuptiis ad *Johannem Gandavensem*, secundæ Lancastricæ stirpis satorem, transiit, eidemque coaluit, donec cum ea expiraret. Resplenduit autem deinde in *Roberto Dudlejo*, quem Elisabetha anno regni suo sexto Leicestrensis Comitatus gladio cinxit, ceu suo dicetur loco. Is cum moriens filium, quem habuit, unicum exheredem scripsisset, cessavit iterum hic titulus usque ad annum Regis Jacobi decimum & sextum; quo ROBERTO SIDNEIO collatus fuit.

Familia Sidnejana ex Andibus *Dugdalio* (a) referente oriunda, atque à *Wilhelmo Sidney*, Equestris loci viro, qui cum Plantageneta Andium Comite, Mathildis Imperatricis filio, mare trajecit, eidemque, Regi Angliæ facto, à cubiculo fuit, hanc in insulam transplantata, in Surria & Sussexia sedem fortunarum nacta est. Ab illo incognita nobis serie, nec à dicto autore enumerata descendit alius WILHELMUS SIDNEIUS, gloria militari regnante Henrico VIII. illustris, & post varia belli munia, uti virum fortem decet, gesta illius cubiculo & Palatio præpositus. Ejus filius HENRICUS SIDNEIUS cum R. Eduardo VI. adolevit, à quo Equestri honore ornatus & Legatus in Galliam missus est, cum annum ætatis secundum supra vicesimum ageret. Maria regnante Hiberniæ Justitiarius & Thesaurarius fuit, sub Elisabetha initio Walliam Præsidis titulo rexit, cumque deinde legationibus in Anglia & Scotia functus esset, *Hiberniæ Prorex* anno 1565. constitutus est, quam provinciam annos plus minus XI. divisis quidem temporibus, sed iis difficillimis, magna prudentiæ, fortitudinis ac æquitatis fama administravit, exorientes tumultus in ipso conatu oppressit, & regulos, quorum potentissimus æque ac ferocissimus Shanus sive Johannes O-Neal, Ultoniæ usurpator erat, vel armis coercuit, Hiberniaque ejecit, vel supplices in deditionem accepit, paucis admodum punitis, quo cæteris infidis & turbidis quies esset. (b) Deposito vice tertia Magistratu illo, navem conscensurum Hiberniæ versiculo è Psalmis valedixisse *Camdenus* literis mandavit: *in exitu Israel de Ægypto, & domus Jacob è populo barbaro.* Filios moriens post se reliquit haud degeneres: quorum quidem natu major PHILIPPUS SIDNEIUS vix quatuor menses illi superstes fuit, juvenis virtute, ingenii solertia, eruditione & morum suavitate præstans, qui modo citato autori dicitur *sidus familiæ suæ, magna spes hominum, expressissimum virtutis exemplum, & literati orbis amor, quem Deus ideò natum voluit, ut priscorum heroum specimen seculo ostenderet, ita ex improviso ad se revocavit, ne deploratissimi ævi sui labes diutius videret.* Nimirum missus à Regina Elisabetha cum Roberto Dudlejo Leicestriæ Comite avunculo suo ad Batavos & Vlissingæ militiæque Seelandicæ præpositus; cum eo munere ex officio viri fortis fungeretur, & juxta Varusfeldium Zutphaniæ pagum, victoriam contra Hispanos ardentius persequeretur, equoque perfosso alterum ascenderet, glande femur trajectus XXV. post die magno sui Anglis & Batavis desiderio relicto, expiravit. Mortui cadaver Leicestrius avunculus in Angliam transferendum curavit, eo reversus exequias magno apparatu & militari ritu, in templo S. Pauli Londini solvit; Jacobus Rex Scotorum epitaphio parentavit, utraque Academia lachrymas consecravit, & novum Oxoniæ collegium elegantissimum peplum contexuit. (c) ROBERTUS SIDNEIUS frater in Vlissingensi præfectura surrogatus præclara fortitudinis specimina in bello Hispanico, maximè in prælio ad Turnholtum in Brabantia, quo anno 1597. sub auspiciis Mauritii Nassovii duo millia Neapolitanorum cum comite Varaxio ductore cæsa sunt, (d) edidit. Regis Jacobi etiam gratiam promeritus, ineunte statim ejus in Anglia regno Baro Angliæ sub titulo *Lord Sidney of Penshurst* in Cantio creatus, & reginæ cubiculo præfectus, bienniique spatio interjecto ad honorem *Vicecomitis L'Isle* provectus, deinde a. 1616. *aurea periscelide* ornatus, & denique anno 1618. 2. Augusti *Comitis Leicestriæ* axiomate auctus est.

De filio ejus ac successore ROBERTO IV. quod dicam non habeo, neque quo anno supremum obierit diem compertum mihi est. Id tantum è catalogo Submonitionum constat superfuisse eum restaurationi Regis Caroli II. atque ad primum ejus Parlamentum anno 1661. evocatum esse, & aliquot abhinc annis in secretiore senatu locum habuisse; ad annum vero 1679. quo secunda comitia dictus Rex indixit, non durasse; ad hæc enim filius ejus PHILIPPUS tanquam

(a) *Baronag. III. 410.* (b) *Johnston. Rer. Brit. L. I. p. 29.* (c) *Camden. Brit. pag. 422. 423. Thuan. Hist. Lib. 85.*
(d) *Camden. Annal. Elis. p. 683.*

SCHEMA FAMILIÆ SIDNEJANÆ, COMITUM DE LEICESTER, VICECOMITUM L'ISLE.

WILHELMUS SIDNEY, R. Henrici VIII. Cubicularius & Stuartus † 11. Febr. 1553. æt. 70.

Henricus Sidney, *Eques Perisc.* † 5. Maji 1586. *Maria Johannis Dudley D. Northumbr. f.*

Francisca nupta *Thomæ Radcliff C. Suffexiæ* † 9. Mart. 1589.

N. Uxor *Wilhelmi Fitz-VVilliam.*

Maria nupta *Wilhelmo Dormer.*

Lucia Uxor *Jacobi Harington.*

Philippus Sidney † 22. Sept. 1586. *Francisca, Francisci Walsingham fil.*

Robertus Sidney B. de Penshurst 1603. VICECOM. L'ISLE 1606. COMES LEICESTR. 1618. *Eques Perisc.* † 13. Jul. 1616. 1. *Barbara, Joh. Gamage de Coytie f.* 2. N. *Thomæ Smith vid.*

Thomas Sidney.

Maria nup. *Henrico Herbert C. Pembroch.*

Ambrosia † in juv.

Elisabetha Ux. *Rogeri Mannours C. Rutlandiæ.*

1. Wilhelmus † juv.

Henricus † infans.

1. Robertus Sidney II. C. Leicestr. Vicec. L'Isle † . . . . . *Dorothea Henrici Percy, Com. Northumbr. f.*

1. Maria nup. *Roberto Wroth de Durance.*

1. Catharina Ux. *Ludovici Mansel.*

1. Elisabetha † innupta.

1. Philippina nup. *Johanni Hobert.*

1. Brigita † juv.

1. Alicia † juv.

1. Barbara nup. *Thomæ Smith Vicec. Strangf.*

1. Vera † inf.

Philippus Sidney, Vicecom. L'Isle C. Leicestr. *Catharina, Wilhelmi Cecill C. Sarisbur. f.*

Robertus Sidney.

Algernon Sidney, Colonellus *decoll.* 17. Dec. 1683.

Henricus Sidney, Baro de Milton, Vicec. de Sheppey cr. 21. Apr. 1689.

Dorothea nup. *Henrico Spenser C. Sunderland.*

Lucia Ux. *Joh. Pelham de Laughton.*

Anna nup. N. *Cart.*

Maria † juv.

Diana † juv.

Elisabetha nupta *Thomæ Smith Vicec. Strangf.*

Francisca.

Isabella.

Robertus Sidney III. Vicecom. L'Isle. *Elisabetha, Johannis Egerton C. de Bridgwater f.*

Dorothea Uxor *Thomæ Checke de Pergo.*

Elisabetha † inf.

tanquam Comes Leicestriæ citatus fuisse legitur. Inclaruere de cætero superioribus annis ALGERNON & HENRICUS SIDNEII, Philippi modo dicti fratres, quorum prior legionis pedestris in Hollandia Colonellus in societatem conspirationis, extremis regni Caroli II. annis detectæ pertractus atque ad Baronis Howardi d'Escryck conscii indicium perduellionis damnatus & capite plexus fuit, quemadmodum in libello *de Tragicis Angliæ Eventibus (a)* legere est; Alter legationem apud Fœderatos Belgii Ordines obiit & pronuper à novo Magnæ Britanniæ Rege *Baro de Milton* & *Vicecomes de Sheppey* creatus fuit.

Scutum Sidnejorum gentilitium *aureum* est, & *ferrum jaculi cæruleum cuspide deorsum posita* repræsentat, *leonibusque coronatis* fulcitur.

CAPUT XXXV.

DE COMITIBUS NORTHANTONIÆ ET FAMILIIS PARRENSI ET COMPTONENSI.



Eicestrio Comiti succedit Northantoniensis, quæ provincia referente *Camdeno (b) Comites* habuit *Sivvardum* & ejus filium *Waldeofum* præcipitata jam Saxonum monarchia; inde è Normannica stirpe *tres Simones Silvanectenses*, sive *de Sancto Lizio*, qui etiam Huntingdoniæ Comites, & Centuriam de *Francelly* in hoc agro ea lege tenuerunt, ut soleas ferreas regio equo conferrent. Sat longo post tempore, nempe anno 1336. R. Eduardus III. *Wilhelmum Bohun*, Humphredi VIII. Comitis Herefordiæ & Essexiæ filium natu minimum, *Northantoniæ Comitem* creavit, cui successit natus *Humphredus* X. qui patrui etiam sui *Humphredi* IX. hæres factus, Herefordiæ & Essexiæ Comitatus cum Northantonico conjunxit, quemadmodum ex *Bohunico* stemmate, inferius, ubi ad Essexiæ Comites ventum erit, exhibendo, videre licebit. Post Humphredum Bohunium X. in robore ætatis vivis exemptum, Northantoniæ Comitatum una cum Essexiano sortitus est gener ejus in filia natu majore Eleonora, videlicet *Thomas de Woodstock*, Regia satus stirpe, utpote R. Eduardi III. filius ordine nativitatis ultimus, qui etiam Dux Glocestriæ & Comes Buckingamiæ audiit. Eo vita privato & gnato quoque ipsius *Humphredo* immatura morte intercepto, R. Henricus IV. qui antequam regno potitus esset alteram Humphredi Bohuni X. filiam Mariam in uxorem duxerat, Comitatum illum sibi vindicavit. Num vero ab illo ad *Staffordios*, ob ductam ab Edmundo Staffordiæ Comite Annam Thomæ de Woodstock gnatam, descenderit, quod *Camdenus* tradit, nullam apud *Dugdalium* mentionem reperio; sed cessavit huic id tituli, usque dum à R. Eduardo VI. primo regni ipsius anno *Wilhelmus Parrus* dignitate *Marchionis Northantoniæ* auctus fuit.

Huic R. Henricus VI. primum a. 1538. titulum *Baronis Parr de Kendal* contulit, deinde nuptias *Annæ Bourchieræ*, Henrici C. Essexiæ unicæ hæredis, sed ab eo deinde repudiatæ conciliavit, simulque *Comitis Essexiæ* axioma concessit, postquam nempe sororem ipsius *Catharinam* penatibus suis induxisset. Ab Eduardo VI. postea ad *Marchionis Northantoniæ* stylum ac honorem, ceu dictum, provectus, officio etiam supremi Angliæ Camerarii ad dies vitæ decoratus est. Sub Maria, quod pro Johanna Greja arma sumsisset, Majestatis damnatus, mox tamen accepta delicti gratia, in patrimonium, atque ab Elisabetha deinde in honores etiam restitutus, *Ordinis Georgiani Periscelide* ornatus, & honorificæ in Galliam legationi adhibitus fuit; vir *Camdeni (c)* verbis, *amœnioribus studiis, Musicis, amatoriis & cæteris aulæ jucunditatibus verſatiſſimus*. Liberos genuit nullos, sed *Henricum Herbertum* Penbrochiæ Comitem, ex altera sorore nepotem, reliquit hæredem. Familiæ qua ortus erat, quæque *insignium* loco *fascias duas cæruleas* in clypeo *argenteo*, qui *margine denticulato nigro* circumdatus est, gerebat, diatyposis hæc est:

(a) *Pag. 154.* (b) *Descr. Brit. p. 408.* (c) *Annal. Elisab. p. 214.*

TAB. LXIII.

TAB. LXIII.

WILHELMUS PARR de Kirckby in Kendalia, Eques, † 3. Oct. 1405.
Elisabetha, Thomæ Roos de Kendal f.

Johannes Parr de Kirckby † 1408.

Thomas Parr de Kirckby † 1460.

Wilhelmus Parr de Kirckby † . . . . *Elisabetha, Richardi B. Fitz-Hugh fil. Georgii sor. & cohær.*

Thomas Parr de Kirchby † . . . . *Mathilda, Thomæ Green fil. & cohær.*	Wilhelmus Parr, Baro de Horton in Northant. cr. 23. Dec. 1543. † 1546. *Maria, VVilhelmi Salisbury Eq. f.*

Wilhelmus Baro Parr de Kendal, Comes Essexiæ, MARCHIO NORTHANTON. *Eq. Per.* † 1571. improlis 1. *Anna, Henrici Bourchier, C. Essex. f. & hær.* 2. *Elisabetha, Georgii B. Cobham f.* 3. *Helena VVolfgangi Suavenburg in Svedia fil.*	Anna ux. *VVilhelmi Herbert C. Penbroch.*	Catharina nup. 1. *Eduardo Borough*, 2. *Joh. Nevill B. Latimer.* 3. *Regi Henrico* VIII. 4. *Thomæ B. Seymour de Sudley* † 1541.	Mathilda Ux. *Radulphi Lane Eq.*	Anna ux. *Johannis Digby de Ketilby Eq.*	Elisabetha nup. *Nicolao Woodhall, Eq.*	Maria ux. *Thomæ Tresham, Eq.*

Cum Northantonicus titulus à morte Wilhelmi Parri aliquandiu jacuisset, renovatus denique fuit à Rege Jacobo I. anno regni ipsius XV. & autore Buckingamio, ceu *Johnstonus* (a) refert, WILHELMO COMPTONO collatus. Habuit is in matrimonio Johannis Spenserii, Prætoris Urbani, cum fama divitis tum copiis, filiam unicam; cum qua *repente dives factus, vel nitore fortunæ præsentis, vel cœlesti calamitate furore alienata mentis, subito correptus, humanæ imbecillitatis magnum documentum dedit*, ut modo citati autoris (b) verba huc transferam. *Hovvardus Suffolcius, opibus inhians, tutelam ejus impetravit; ac per salutis speciem diligentius custodiri & vinculis coerceri jussit, servilemque in modum cruciavit, qua inhumanitate intellecta Rex imperavit, ut remissius custodiretur, & victu cæterisque rebus commodissime tractaretur. Æger autem per multos asservatus curatusque dies, paulatim convalescere cœpit, & tandem sanitati mentis restitutus, incolumis ad suos rediit, summamque Cambriæ præfecturam postea assecutus est.* Parens illi fuit HENRICUS COMPTON, *ingenii judiciique laude* juxta *Camdeni* (c) encomium *efflorescens;* is primus è gente sua inter Pares regni locum regnante Elisabetha occupasse legitur, filius PETRI, qui præmature decessit, & WILHELMO satus erat. Hic inter Ephebos Henrici VIII. cum Dux Eboraci audiret, cooptatus, ab eo, Rege facto, ad varia munera provectus, prædiis opibusque & Equitis honore auctus, & denique Cancellarius Hiberniæ constitutus, atque honorifico insignium gentilitiorum augmento, in perpetuum benevolentiæ suæ erga Comptonicam familiam symbolum decoratus est: id autem *leopardo* constabat *aureo*, qualem ipsi Reges Angliæ gerunt, quemque *cassidibus tribus argenteis*, quas Comptoni *nigro in clypeo* deferre consveverant, media in regione interposuit; Apicem porro scuti ornavit *dracone rubeo*, media corporis parte, qua corona aurea cinctus est, divulso. Majores cæterum Comptonorum, qus recensui, R. Henrici II. jam ævo viguisse, atque à castro hujus nominis in Warwicensi agro sito appellationem traxisse *Dugdalius* (d) refert.

Inter posteros vero Wilhelmi Comptoni, primi Northantoniæ Comitis, mentionem inprimis meretur SPENSERUS, filius ejus ac successor, fide erga Carolum I. nobilitatus, ita ut mortem pro eo oppetere non dubitaret, quod factum in pugna adversus Joh.

(a) *Rer. Brit. Lib. XVII. p. 529.* (b) *Ib. L. XIV. p. 461.* (c) *Annal. p. 561.*
(d) *Baronag. T. III. p. 401.*

SCHEMA FAMILIÆ COMPTONENSIS
COMITUM DE NORTHAMPTON.

WILHELMUS CAMPTON, Edmundi F. Regis Henrici VIII. Burcifer, Cancellar. Hiberniæ † 1528. *VVerburgis, Joh. Brereton Eq. fil. Francisci Cheney Eq. vid.*

Petrus Compton † 30. Januar. 1544. *Anna, Georgii Talbot C. Salop. f.*

Henricus BARO Compton n. 1543. † m. Dec. 1588. Ux. 1. *Francisca, Francisci, Hastings C. Huntingdon, f.* 2. *Anna, Joh. Spenser de Althorpe f.*

1. Wilhelmus B. Compton COMES NORTHANTONIÆ 2. Aug. 1617. *Eq. Perisc.* † 24. Jun. 1630. *Elisabetha, Johannis Spenser f.*

Thomas Compton Eques.

Margarita Ux. *Henrici Bar. Mordant.*

2. Henric. Compton Eques Balnei cr. in inaug. R. Jac. I. *Cecilia Sackville, Roberti C. Dorset. f.*

Spenserus B. Compton, C. Northant. occ. 19. Mart. 1642. *Maria, Francisci Beaumont Eq. f.*

Anna nupta *Ulicka Burgh B. Dunkelly M. de Clanrickard & C. de S. Albans.*

Cecilia nup. 1. *Johanni Fermour de Somerton.* 2. *Henrico B. Arundel de VVardour.*

Jacobus Compton C. Northant. † m. Jan. 1682. Ux. 1. *Isabella, Richardi Sackville C. Dorset f.* 2. *Maria Baptistæ Vicec. Noël Camden f.*

Carolus Compton Eq.

Wilhelmus Compton Eq.

Spenserus Compton Eq.

Franciscus Compton Eq.

Henricus Compton *Ep. Oxon.* 1674. *Londinens.* 1675.

Anna nup. *Hugoni Cholmley de Whitby.*

Penelope Uxor *Joh. Nicholas.*

1. Wilhelmus † juv.

Jacobus † juv.

Anna † inf.

Isabella † inf.

Alathea.

2. Georg. Compton C. *Northanton.*

Spenserus Compton.

Juliana.

Maria.

Gelt & Wilhelmum Brereton, copiarum Parlamenti ductores, apud *Hopton-Heath* in Staffordia d. 19. Marti 164⅔ commissa. Successit ei filius JACOBUS, huic autem paucis abhinc annis mortuo GEORGIUS, qui in inauguratione R. Jacobi II. extra regnum agebat, annos tunc XXI. natus: patruum is habet HENRICUM COMPTONUM, *Theologia Doctorem*, & quondam Oxoniensis, nunc Londinensis Ecclesiæ Episcopum.

CAPUT XXXVI.

DE COMITIBUS WARWICI ANTIQVIORIBUS ET FAMILIIS BELLOMONTANO-NEUBURGICA ET BELLOCAMPENSI.



Arvicensis pagi in meditullio prope Angliæ siti, primus è Normannico genere Comes, HENRICUS DE BEAUMONT fuit, *Roberti* I. Dynastæ *de Beaumont* filius, & *Rogeri* Comitis *de Meullent* frater natu minor, de qua familia, ejusque linea naturæ ordine potiore, jam superius (a) dictum est. Tribuitur *Henrico* etiam cognomen *de Neuburg*, sive quod hic loci lucem primitus aspexerit, sive quod ex hæreditate paterna eum sortitus sit, quam ob rationem Larroquio, (b) *Baro de Neuburg* indigitatur. Warwicensi Comitatu nec non Castro ejusdem nominis beneficio Wilhelmi Ducis Normanniæ, cui in occupatione Angliæ strenuam navaverat operam, auctus fuit; eundemque sibi & propagini suæ hæreditarium fecit. Hanc autem satis numerosam & amplam nactus est; nam præter Comites Warvvicenses, per filium ejus natu maximum ROGERUM propagatos, atque in schemate enumeratos, longam etiam ex filio tertio ROBERTO habuit posteritatem, quæ Barones *de Neubourg, d'Asnebec* & *de Livarot*, eximii inter Normannos loci, dedit. *Rogerus* jam memoratus secundus Warvvici Comes, pro Mathilda Imperatrice adversus Stephanum Angliæ usurpatorem pugnasse, nihilo tamen secius ab eo, postquam regnum sibi asseruisset, in pretio habitus fuisse memoratur; pietatis cæteroquin pro more seculi sui cultor, quam potissimum largitionibus in monachos & itinere in terram sanctam exseruit, & reliquit post se hujus superstitionis æmulum filium natu majorem, & in Comitatu successorem, WILHELMUM. Iscum peregrinationi Hierosolymitanæ immortuus esset, & quidem improlis, fraterque ejus WALERANUS successionem in Warvvicensem Comitatum adiisset, exortus est impostor, qui illius personam mentiebatur, neque parum negotii ac molestiæ huic facessebat.

HENRICUS à patre Waleranoimpubes relictus sub tutela Thomæ Basset, cujus deinde filiam secundis sibi sociavit nuptiis, adolevit, & Regi Henrico IV. in intestino cum Baronibus bello strenuam tulit opem, semel tamen Richardi Comitis Cornubiæ gratia arma adversus illum corripuit, genitor THOMÆ, postremi ex hac gente Comitis Warvvici, de cujus investitura in avitum Comitatum hæc in veteri charta d. 24. Maji, anno XVII. regni Henrici III. scripta legi *Dugdalius* (c) refert: *Rex cinxit Thomam de Warvvic cingulo Comitatus Warvvic, & mandatum est Vicecomiti Warvvici; quod eidem Comiti habere faciat de prædicto Comitatu, id quod habere debet nomine Comitis Warvvici, & de quo prædecessores sui Comites Warvvici seisiti fuerunt, tanquam ad eos pertinente, nomine Comitatus Warvvici.* Vita sine liberis defunctus ad sororem MARGARITAM omne patrimonum transmisit, quæ priore marito suo *Johanne Marescallo*, fratre, ceu putant, Wilhelmi Marescalli C. Penbrochiæ viduata, jussu Regis Henrici III. JOHANNI DEPLESSETS, domestico ipsius intimæ admissionis, in manum secundis convenit nuptiis, hacque via in certam Warvvicensis Comitatus & avitorum bonorum possessionem pervenit, honore Comitis in maritum translato; is autem eum prolem nullam ex illa genuisset, WILHELMUS MAUDUIT (quod cognominis Camdenus (d) *Maledictus* vertit) Baro de *Hanslap* jure matris, quæ Walerani Comitis Warvvici filia erat, in Comitatu hoc successit, sed liberis æque ac antecessor destitutus ad nepotem è sorore nempe WILHELMUM DE BELLOCAMPO sive *Beauchamp* Baronem de *Elmley* transmisit.

Is nobili & claro genere ortus, à *Waltero de Beauchamp* sanguinem duxit, qui *Emelinam* Ursonis *de Abitot*, Sheriffi hæreditarii Wigorniæ filiam unicam uxorem cum dote dicti muneris accepit, & à R. Henrico I. palatio præfectus opibusque ac latifundiis locupletatus est; relicto post se filio ac dignitatum pariter & bonorum hærede *Wilhelmo*, quo natus *Wilhelmus* II. genuit *Walterum* II. is anno 1236. fato suo functus, pater extitit WILHELMI III. cui *Isabella*, Wilhelmi

(a) *Cap. XXXI.* (b) *Hist. de la maison d'Harcourt. Lib. VI, c. I.* (c) *Baronag. I. 71.* (d) *Descr. Brit. p. 444.*

SCHEMA COMITUM
E FAMILIIS BELLOMONTA

HENRICUS DE BEAUMONT-NEUBURG COMES WARWICI, Roberti I. cogn. Barbati Dn. de Beaumont *(Vid. sup. Tab. LX.)* Filius, † 20. Jun. 1123.

Rogerus Comes VVarvvici, Dn. de Boidley & Sudhanger † 12. Jun. 1153. *Gundreda, VVilhelmi II. C. VVarenniæ & Surriæ f.*

Wilhelmus C. VVarvvici † improl. 15. Nov. 1184. 1. *Margarita d' Eivillé*, 2. *Mathilda, VVilhelmi B. Percy fil. & cohær.*	VValeranus C. VVarvvici † 1204. 1. *Margarita de Bohun Humphredi IV. C. Hereford. f.* 2. *Alicia de Harcourt, Johannis de Limesie vidua.*

1. Henricus Comes VVarvvici † 1229. Ux. 1. *Margarita Henrici d' Oily de Hokenorton f.* 2. *Philippa, Thomæ Basset de Hedenoon fil.*

1. Thomas Comes VVarvvici † improl. 26. Jan. 1242. *Ela, VVilhelmi Longespée C. Sarisbur. f.*	Margarita fratris hæres, nup. 1. *Johanni Mareschall.* 2. JOHANNI DE PLESSETIS COM. VVARVVICI † sine prole.

Wilhelmus de Beauchamp COMES VVARVVICI † m. Majo vel Jun. 1298. *Mathilda, Johannis Fitz-Geffrey f.*	Jacobus de Beauchamp	Johanna nup. *Barthelomæo de Sudley.*	Isabella.	Sibylla.

Guido de Beauchamp Comes VVarvvici † 12. Aug. 1315. *Alicia, Radulphi de Tony in Flamsted f. Thomæ de Leybourne vid.*	Isabella nup. 1. *Patricio Chavvorth* 2. *Hugoni Despenser Sen. C. Vinton.*	Mathilda Ux. *N. Rither.*	Margarita nup. *N. Sudby.*	Robert. † inf.

Thomas de Beauchamp, Comes VVarvvici, *Eq. Perisc.* † 13. Nov 1369. *Catharina Mortimer Rogeri C. Marchiæ f.*	Johan. de Beauchamp Admiral. Angl. *Eq. Per.* † 2. Dec. 1360	Mathilda ux. *Godofredi B. Say.*	Emma nup. *Rulando Odingsells.*	Isabella Ux. N. *Clinton.*	Elisabetha nup. *Thomæ B. Astley.*

Guido de Beauchamp † 28. April 1351. *Philippa, Henrici B. Ferrers de Groby f.*	Thomas de Beauchamp C. VVarvvici *Eq. Per.* † 8. Apr. 1401. *Margarita, VVilhelmi B. Ferrers de Groby f.* † 22. Jan. 1406.	Mathilda, nup. *Rogero B. B. Clifford.*	Philippa Ux. *Hugonis C. Stafford.*	Elisabetha nupta *Joh. B. Beauchamp de Hacche.*	Johanna Ux. *Radulphi B. Basset.*	Isabella nup. 1. *Joh. B. Strange de Blackmere.* 2. *Wilhelmo Ufford C. Suffolc.*	Margarita Ux. *Guidonis de Montfort.*	Agnes nupta 1. *N. Cokesey* 2. *N. Bardolf.*

Catharina, *monialis.*	Margarita, *monialis.*	Elisabetha.	Richardus de Beauchamp C. Warw. & Albæmarl. *Eq. Per.* † 30. Apr. 1439 1. *Elisabetha, Thomæ B. Berkley fil. & hær.* 2. *Isabella Despenser, Richardi de Beauchamp C. Wigorn. vid.*	Eleonora nup. *Joh. Knight de Hanslape.*	Johanna nupta *Jacobo Butlero C. Ormond.*

1. Margarita, n. . . . . Ux. secunda *Johan. Talbot C. Salop.*	Eleonora, n. 1407. nup. 1. *N. B. Roos,* 2. *Edmundo Beaufort, M. Dorset, D. Somerset.* † 12. Marc 1467.	Elisabetha ux. *Georgii Nevil Bar. Latimer.*	2. Henricus de Beauchamp C. & Dux Warvvic. n. 22. Marc. 1424. † 11. Jul. 1445. *Cecilia, Richardi Nevil, C. Sarisbur. f.*	Anna n. 13. Julii 1429. nup. *Richardo Nevil C. Sarisbur. & Warvvici.*

Anna, n. m. Febr. 1439. † 3. Jan. 1449.

DE WARWICK.
NA ET BELLOCAMPENI.

Uxor: *Margarita, Godofredi II. Comitis du Perche & de Mortaigne filia.*

Rotrodus de Warwick, *Archidiac. Rothomag.* Robertus de Warwik, sator Baronum *Episcop. Eliensis, Archiep. Rothomag.* 1165. † de Neubourg, Asnebec & Livarot. 22. Aug. 1183.

Rogerus de Warwick, *Canonic.* Rothomag. Helias de VVarwick *Canonic.* Rothomagensis. Hugo de VVarwick *Episc. Cestria.* Henricus de VVarwick. Agnes, nup. *Galfredo Dn. de Clinton.*

VValeranus de VVarvvick Dn. de Gretham. 2. Alicia nup. *VVilhelmo Mauduit B. de Hanslape,* qui † 1257. Gundreda, *monialis.*

VVILHELMUS MAUDUIT B. de Hanslape, COMES VVARVVICI † *ân.* 8. Jan. 1267. *Alicia, Gilberti de Segrave f.* Isabella Uxor VVILHELMI DE BEAUCHAMP Dn. d'Elmeley, qui obiit 7. Jan. 1268.

Sara, nup. *Richardo Talbot.* Walterus de Beauchamp Dn. de Alcester † 16. Febr. 1303. *Alicia Tony.* Johannes de Beauchamp Dn. de Holt.

Johannes † ante patrem. Duæ *moniales* apud Shuldam. Walterus de Beauchamp, Dn. de Alcester † 1328. Richardus de Beauchamp Dn. de Holt † 1327.

Lucia Uxor *Roberti de Napton.* Wilhelmus de Beauchamp Dn. de Alcester † improlis. Ægydius de Beauchamp, Dn. de Alcester. Johannes de Beauchamp, Baro de Kydermister, *decoll.* 1388. *Johanna, Roberti de Fitzvvith f.*

Juliana † innupta. Catharina † innupta. Rainburnus de Beauchamp † ante a. 1361. Wilhelmus de Beauchamp Baro Bergavenny *Eq. Per.* † 8. Maji 1411. *Johanna, Richardi Fitz-Alan, C. Arundel. f.* Johannes de Beauchamp, Dn. de Alcester. Johan. de Beauchamp Dn. de Bobenhull, Shulton & Bernangre † 1420.

Richardus de Beauchamp B. Bergavenny, COM. WIGORNIÆ † ...... *Isabella Thomæ le Despenser C. Glocestriæ f.* Elisabetha. Wilhelmus de Beauchamp *Catharina, Gerardi de Usflete f.* Walterus de Beauchamp. Margarita nup. 1. *Joh. Rauncefort.* 2. *Johanni Wysham.*

Elisabetha n. 16. Dec. 1415. nup. *Eduardo Nevill B. Bergavenny.* Johannes de Beauchamp B. de Powyke cr. 1447. M. Thesaur. Angl. *Eq. Per.* † 1475. *Margarita.* Wilhelmus de Beauchamp B. de S. Amand † 1457. *Elisabetha Gerardi de Braybrook f. & coh.*

Richardus de Beauchamp, B. de Powyke. *Elisabetha, Humphredi Stafford f.* Richardus de Beauchamp B. de S. Amand † *ân.* 1508.

Elisabetha nupta *Roberto Willoughby B. Brooke.* Anna Ux. *Richardi Ligon.* Margarita nupta *Wilh. Rede.*

Wilhelmi *Maudnit*, Comitis Warvvici soror, in matrimonium ducta fuit, è quo præter alios liberos in schemate notatos, provenit WILHELMUS supra memoratus, avunculi sui hæres, & in Comitatu Warvvicensi successor, qui sub R. Eduardo I. magna militavit fama, neque alius magis in Cambrico bello virtus atque opera enituit. Haud minorem fortitudinis laudem filius ejus GVIDO in bello adversus Scotos sub ejusdem Regis auspiciis gesto, consecutus est; regnante autem Eduardo II. factioni procerum adversus Petrum Gavestonum, invisum bonis omnibus & detestabilem hominem, sed apud Regem gratiosum & autoritate pollentem, se applicuit, eo majore erga illum odio incensus, quod nigri canis nomine communiter se ab eo appellari cognovisset: erat quippe colore subfusco. Hinc cum Gavestonus à Comite Penbrochiæ, qui è factiosorum numero erat, captus esset, atque exorata facultate vel semel adhuc cum Rege colloquendi, sub custodia ad eum deduceretur, Comes Warvvicensis collecta armatorum manu eum in via invasit, & comprehensum ad castrum suum abduxit, ibidemque capite truncavit, quemadmodum autor noster è *Thoma Walsinghamo* refert. Reliquit *Guido* post se par nobile filiorum THOMAM & JOHANNEM à R. Eduardo III. ob egregiam virtutem dignos habitos, quos inter primos in *Ordinem Georgianum aureæ Periscelidis*, ab ipso fundatum, adscisceret: posterior ex eis Thalassiarchæ etiam munus promeruit; prior autem ad Marescalli Angliæ dignitatem provectus, plerarumque laudati Regis expeditionum in Scotiam & Galliam pars, & victoriarum apud Creciacum & Pictavium partarum maximum momentum fuit, cumque Caleti morbo epidemico extinctus esset, *triste sui desiderium, parem autem sibi in armorum strenuitate & Regi Regnoque fidelitate superstitem minimè reliquit*, ut citati *Walsinghami* verba à *Dugdalio* allegata, mea faciam. Ex liberis, quos multos ille habuit, filium natu maximum GUIDONEM, haud inglorium militiæ, turbato mortalitatis ordine, ante se Vindocini in Gallia extinctum, amisit. WILHELMUS quartogenitus, cui dynastia *Bergavenny* sive *Abergavenny* ex testamento Johannis Hastingi Com. Penbrochiæ, matruelis sui, obvenit, in bello Castiliensi, Johannis D. Lancastriæ auspiciis gesto, clara militiæ rudimenta dedit, ita ut redux ad penates factus à R. Richardo II. honorifica Caleti præfectura ornaretur; Genitor RICHARDI, qui à R. Henrico V. ob summam, quam ipsi probaverat fidem ac fortitudinem, *Comes Wigorniæ* creatus est, sed, cum ad summa quæque eniteretur, in Gallia militans, ex vulnere in medio ætatis interiit.

THOMAS, secundogenitus Thomæ C. Warvvici filius in honores paternos successit, atque ob spectatam integritatem, prudentiamque moderator juventæ R. Richardi II. constitutus & condigno è publicis pecuniis stipendio auctus est. Verum quæ bene in Regem fecit, ingrata is sui juris factus, & malis consultoribus usus, habuit, ita ut de ipsius vita fortunisque omnibus decerni pateretur, ad intercessionem tamen Comitis Sarisburiæ supplicium, cui judicum sententia addictus jam fuit, in exilium mutavit, & in Manniam relegati possessiones præcipuas Thomæ Holand C. Cantii donavit. Deinde vero è Mannia illum reduci atque in Turrim Londinensem condi imperavit, è qua custodia demum, Richardo vivis exempto, Henrici IV. novi Regis beneficio, exemptus, atque in integrum restitutus fuit: libertati suæ haud diu superstes. Successit ei filius, quem unicum habuit, RICHARDUS, vir avitis paternisque virtutibus simillimus, omnibus belli ac togæ ingeniique ac exercitiorum equestrium eminentissimus seculi sui, & fama peregrinationibus per Europam Asiamque parta, longe celeberrimus quo vix alius majori usui gloriæque bellicoso Regi Henrico V. Gallorum victori, fuit, condigno etiam in pretio ab eo habitus: tanta præterea comitate ac elegantia morum præditus, ut *pater urbanitatis* appellaretur; cumque Imperatori Sigismundo in Constantiensi concilio, quò cum Episcopis Angliæ iter fecerat, innotuisset, eundemque deinde in Angliam dicti Regis visendi gratia profectum, omni officiorum genere coluisset; non temperavit sibi Imperator, quin captus suavitate consvetudinis ipsius diceret; *non dari inter Christianos Principes, qui ministrum habeat, prudentia, civilitate & fortitudine Comiti Warvvicensi parem*; porroque subjiceret: *si penitus amissa esset urbanitas, in illo tamen repertum eam denuo iri.* (a) Post præmatura R. Henrici V. fata, juventæ Henrici VI. admoveri meruit; eo autem onere paulo post levatus, Galliæ & Normanniæ, Vicarii Generalis titulo, præpositus fuit, hancque spartam usque ad obitum suum ornavit. Uxores duas habuit, opulentas amplissimarum familiarum hæredes; è posteriore, quam viduam patruelis sui, prævia dispensatione Romani Pondificis, duxit, marem suscepit, eumque successorem suum, nempe HENRICUN BELLOCAMPUM. Hunc tum avitis meritis, tum mirifica indole virtutis fulgentem Rex Henricus VI. d. 2. April. *Ducali* axiomate auxit, proximo ei à Duce Norfolciæ loco assignato; quod ægre ferens Humphredus Dux Buckingamiæ in contentionem proëdriæ cum eo venit, cui componendæ Rex alternationem annuam adhibuit; penitus autem id dissidii sustulit mors, omnia dirimens, quæ *Henricum* ætate ac virtute florentem, abripuit, & funere

(a) *Descr. Brit. p. 444.*

funere acerbo mersit parentem unicæ filiolæ, ipsi quadriennii tantum spatio superstitis: unde ingens Bellocampensis familiæ hæreditas ad sororem Henrici germanam ANNAM ejusque maritum RICHARDUM NEVILLUM Comitem Sarisburiæ devoluta est; is proinde Comitis Warwicensis titulum assumsit, ejusque hæredem post fata sua (de quibus suo loco dicturi sumus) habuit nepotem è filia natu majore, nempe *Eduardum Plantagenetam*, quo ex numero viventium exturbato, honos etiam ille expirasse visus est.

Insignia Comitum Warwicensium, quos hucusque recensuimus, quantum attinet, diversa è diversis familiis ortos gessisse constat: nam qui è *Bellomontana* stirpe provenerunt, scuto suo gentilitio, nempe *ex auro & minio tessellato*, sed *cantherio*, qui *maculis*, quales in vellere *muris Pontici* esse solent, respersus est, distincto, usi sunt. Illorum successor *Wilhelmus Mauduit fascias duas rubeas solo argenteo inductas* detulit; *Bellocampensium* autem digma *clypeo rubeo, fasciam unicam auream*, quam utrinque *cruces cruciatæ tres ejusdem metalli* stipant, repræsentante, constabat.

CAPUT XXXVII.

DE COMITIBUS WARWICI RECENTIORIBUS, NEC NON HOLLANDIÆ COMITIBUS ET FAMILIA RICHENSI.



CUM à morte Eduardi Plantagenetæ satis longo temporis spatio jacuisset Warwicensis honos, resuscitatus tandem fuit à R. Eduardo VI. in gratiam *Johannis Dudleji*, qui à Margarita, Richardi Bellocampensis Comitis Warvicii filia natu maxima, genus repetiit: ea quippe Johanni Salopiæ Comiti nupta, neptem è filio Thoma Talboto habuit Elisabetham, quæ Eduardi Graji uxor facta, gnatam cognominem ex ea suscepit *Edmundo Dudlejo* primis elocatam nuptiis, eamque matrem *Johannis*, qui *Comes Warvvici* creatus est. Eo deinde ad Ducis Northumbriæ dignitatem provecto, filius ejus natu maximus ejusdem nominis VVarvvicensem titulum assumsit, eumque sine prole defunctus fratri sorte nascendi proximo *Ambrosio Dudlejo* reliquit, ipsi beneficio Reginæ Elisabethæ corroboratum, quemadmodum infra uberius dicetur. Postquam is quoque improlis supremum obiisset diem, cessavit iterum VVarvvicensis titulus, donec anno seculi, quo agimus, XVIII. à R. Jacobo I. ROBERTO RICHIO collatus est.

Hic speciosa magis quam illustri familia Londinensi ortus erat, quæ divitiis ex mercatura aucta, & satis pollens facta, jam cum anno 1441. *Sheriffi* munere decorata est in RICHARDO RICHIO, à quo stirpis hujus telam Autor noster inchoavit. Filius ejus ac nepos paternum vitæ genus coluisse & quæstui dediti fuisse videntur, pronepos demum RICHARDUS II. animum ad spem liberalioris fortunæ adjecit & exculto probe Juris civilis studio togam induit, foroque se addixit, ubi brevi adeo inclaruit, ut post inferiora munia egregie obita, Regis Henrici VIII. sollicitator Generalis anno 1533. constitueretur, atque ab eo moriente inter Consiliarios Executorum Testamenti sui denominaretur. Hunc solertiam suam exercendi campum nactus, ad summum Cancellarii Angliæ fastigium primo statim regni Eduardi VI. anno pertigit, postquam ab eodem Rege paulo ante *Baro* creatus fuisset. Illum vero apicem non diu tenuit, sed vix unius lustri spatio interjecto sponte reliquit; fautor enim partium Protectoris Sommersettii, cum ei artibus Northumbrii de gradu deturbato inque vincula conjecto quodam die epistolium submisisset, quo quid adversus ipsum in Regio Senatu statutum esset, indicabat, & nuda hac inscriptione usus, *Duci*, id domestico suo in Turrim perferendum tradidisset, neque expressisset, cui reddendum esset, iste gnarus commercii, quod hero suo cum Duce Norfolciæ in eadem custodia tunc detento olim fuerat, alterius verò cum Sommersettio ignarus, Norfolcio literas tradidit: quem errorem ubi ille rescivit, & judicavit, fore ut Norfolcius id in suum verteret commodum, & ad Northumbrium deferret, antevertere statuit calamitatem exinde sibi obventuram, protinusque ad Regem se contulit, orans ut sigilla sibi commissa reciperet, eodemque momento præ timore in morbum incidit, aut saltem eum simulavit, ut adversariorum odia leniret; Itaque d. 21. Decemb. anno 1551. Rex missis Marchione Vintoniæ, Duce Northumbriæ, & Barone Darcio sigilla ab illo repetiit, & Thomæ Goodryk Episcopo Eliensi concredidit, quem etiam haud multo post Cancellarium creavit, ceu *Burnetus* (a) literis prodidit. Richius vero, cum ita imminenti sibi tempestati se subdu-

(a) *Hist. Reform. Angl. P. II. L. I. pag. 445. & 444.*

SCHEMA FAMILIÆ
COMITES DE WARWICK

RICHARDUS RICH, Sheriffus Londinensis a. 1441. † 1469.

Johannes Rich.

Thomas Rich.

Richardus Rich, cr. BARO & Cancellarius Angliæ. 1547. † 1569. *Elisabetha VVilhelmi Jencks, civis Londinensis, soror.*

Robertus Baro Rich † 1581. *Maria, Georgii Baldri f.*

Margarita Ux. *Henrici Pigot de Abington.*

Agnes nup. *Edmundo Mordant.*

Maria nup. *Thomæ VVrothe.*

Robertus Baro Rich II. COMES WARWICI, cr. 6. Aug. 1618. † 24. Mart. 1619. 1. *Penelope, Walteri Devereux, C. Essex. f.* à qua desertus duxit 2. *Franciscam, Christophori Wray Eq. fil. Georgii Paul de Snatford vid.*

Robertus Rich III. Com. VVarvvici † 18. Apr. 1658. *Francisca VVilhelmi Hatton al. Nevvport f.*

Lætitia nupta 1. *Georgio Carie de Cockington* 2. *Arturo Lake Eq.*

Penelope Ux. *Gervasii Clifton de Clifton.*

Robertus Rich. IV. C. Warvvici † 29. Maji 1659. *Anna VVilhelmi Cavendish C. Devon. f.*

Carolus Rich Comes Warvvici † 24. Aug. 1673. *Maria Boyle, Richardi C. de Cork in Hib. f.*

Henricus Rich † cœlebs

Hatton Rich † cœlebs

Anna nupta *Eduardo Montagu C. de Manchester.*

Francisca nup. *Nicolao Leke C. de Scarsdale.*

Lucia Ux. *Johannis B. Roberts de Truro.*

Robertus Baro Rich † 28. Febr. 1658. improlis. *Francisca, Oliverii Cromvvel Protectoris f.*

Anna nupta *Thomæ Barington.*

Maria Ux. N. St. John.

Essexia nup. *Danieli Finch C. Nottingam.*

Carolus B. Rich † ante patrem. *Anna, Wilhelmi Cavendish, II. C. Devon. f.*

RICHENSIS.
ET DE HOLLAND.

Dorothea nup. *Francisco Barley.* — Elisabetha Ux. *Roberti Peyton.* — Winifridis nup. 1. *Henrico Dudlejo Eq.* 2. *Rogero B. North.* — Francisca Ux. *Johannis B. Darcy de Chiche.*

Edvynus Rich. — Richardus Rich. — Elisabetha.

Henricus Rich BARO Kensington cr. 8. Mart. 1622. COMES HOLLAND. 24. Sept. 1624. *Eq. Perisc. decoll.* 9. Mart. 1649. *Isabella Walteri Cope de Kensington f.* — Carolus Rich occ. ad Ream insul. in expedit. Ducis Buking. 1627. — Essexia nupta *Thomæ Cheeke de Pirgo.* — Isabella nupta 1. *Richardo Rogers de Brimston.* 2. *Johanni Smith.*

Robertus Rich, C. Holland. † Apr. 1675. 1. N. *Arturi Ingram de Temple-Nevvsam f.* 2. *Anna, Eduardi C. de Manchester f.* — Carolus Rich. — Henricus Rich. — Cope Rich. — Francisca Ux. *Wilhelmi B. Paget.* — Isabella Ux. *Jacobi Thinne de Long-Lete.* — Susanna nup. *Jacobo Hovvard, Com. Suffolc.* — Maria Ux. N. *Campbel Scoto.* — Diana † innupta.

1. Henricus Rich Baro Kensington † ante patrem. *Christiana, Andreæ Riccard fil.* — 2. Eduardus Rich, Comes Warvvici & Hollandiæ.



subduxisset, privatus reliquum ætatis tranquille peregit, opesque quas accumulavit, ad gnatum ROBERTUM incolumes transmisit. Huic filius fuit *cognominis*, quem Rex Jacobus I. *Comitis VVarvvicensis* honore adauxit, domestico cætera vexatum malo, ob priorem uxorem adulteram, eo impudentiæ prolapsam, ut licet multæ prolis mater, ipso vivo in torum Caroli Blount, Com. Devoniensis transiret; quare & ipse aliam sibi uxorem quæsivit ac duxit, è qua tamen nullos suscepit liberos. E priore *tres* sustulit atque eduxit *filios*, quorum *minimus* CAROLUS è medio honorum cursu ad Rheam insulam strenue dimicans properante fato raptus est: *maximus* in Warvvicensi honore patri successit, & Thalassiarchæ Angliæ munus, à Parlamento iterata sibi vice demandatum, obiit; *Medius* HENRICUS vir fortis ac solers gratiam Regis Jacobi I. sibi conciliavit, à quo custodiæ corporis sui præfectus, *Baro Kensington*, & *Comes Hollandiæ*, quæ Lincolnici Comitatus partem constituit, creatus, atque inter Equires *Ordinis Georgiani* adscitus est. Nec minore Regis Caroli I. benevolentia usus, Comestabilis Windsoriæ munus ab eo obtinuit atque in prima Scotorum rebellione Equitatui regio præpositus est; orto autem in Anglia bello Regem inter & Parlamentum, hujus à partibus initio stetit, deinde vero ad Regem transiit, eidemque operam suam addixit; à quo cum nec honorificè nec laute satis exceptus ac habitus esset, elapsis novem hebdomadibus rursum descivit & Londinum privatus rediit, causasque actionum suarum typis exscribi curavit, id intentans, ut in Parium Curiam reciperetur, in cujus fide se ad mortem usque permansurum esse promittebat, (*a*) voti autem haud illicò damnatus, moræ impatiens nec sibi constans iterum arma adversus Parlamentum cepit, copiasque liberando è Vectensi custodia Regi contraxit; sed apud Kingstonium profligatus & captus, denique post Regem è medio sublatum, ad mortem una cum Comite Cantabrigiæ & Barone Capel damnatus ac capite plexus est. Vir, ceu *VVhitelokius in Memorialibus rerum Anglicarum* (*b*) notavit, summa semper erga quoscunque humanitate & civilitate usus, afflictorum præsidium, veterum Puritanorum patronus, & jurium populi magis quam quisquam propugnator & vindex. Filius ejus natu maximus ROBERTUS cum post restaurationem R. Caroli II. honorem paternum recuperasset, aviti etiam tituli, Warvvicensis scilicet, hæres post CAROLI agnati sui mortem evasit, & utrumque ad gnatum EDUARDUM, qui iis nunc fruitur, transmisit.

Scutum Richensis familiæ *rubeum* est, *cantherium* deferens *aureum*, *Crucibus tribus*, in *trifolii* speciem terminatis, eodemque metallo tinctis, stipatum: *telamonum* vices implent *cervi*, *galeam* vero premit *draco*.

CAPUT XXXVIII.

DE COMITIBUS DENBIGHIÆ ET FAMILIA FILDINGENSI.



Arvvici & Hollandiæ Comitem proxime sequitur *Devoniensis*, de quo ejusque familia, *Cavendishia* scilicet, jam superius occasione Ducis Novocastrensis, sermo factus est. Devoniensem excipit *Comes Denbighiæ*. Hæc provincia inter Walliæ sive Cambriæ Comitatus numeratur, & Oceano Hibernico alluitur, oppidumque ejusdem nominis continet, quod in prærupta rupe quondam positum, R. Eduardus I. cum aliis latifundiis *Davidi*, Leolini Pr. Walliæ fratri, *Camdeno* (*c*) referente, donavit, eo autem brevi capite minuto, in *Henricum Lacejum* Lincolniæ Comitem transtulit, qui mœnibus & turrito castello munire id cœpit, sed cum filius ipsius unicus in puteo ibi forte submersus esset, præ ægritudine non absolvit. Transiit exinde Denbighia cum ejusdem gnata *Alicia* ad Lancastrensem familiam, & postquam varios passa esset dominos, ruinas pedetentim agere, & quasi convulsa sedibus suis commodiorem locum quærere cœpit. Exhausto enim veteri oppido, novum longe majus sub ipsa rupe exsurrexit, quod Regina Elisabetha anno 1566. *Roberto Dudlejo* una cum axiomate *Baronis Denbighiæ* concessit. Eo mortuo filioque ejus natalibus privato R. Jacobus I. WILHELMUM FILDING, Georgii Villerii Ducis Bukingamiæ sororium, *Comitem Denbighiæ* anno 1622. creavit.

Hujus genus, licet serius & hoc demum seculo in Baronum Angliæ censum relatum fuerit, attamen, si genuina sunt testimonia, quibus domestica de origine ejus traditio nititur, habet,

(*a*) *Sanderson. Hist. R. Car. I. p. 639.* (*b*) *pag. 379.* (*c*) *Descr. Brit. p. 543.*

SCHEMA FAMILIÆ FILDINGENSIS, COMITUM DE DENBIGH ET DESMOND.

GALFRIDUS FILDING, qui filius dicitur Galfridi sive GODOFREDI Com. de Habspurg, Dom. in Lauffenburg & Rheinfelden, quæsita fortunarum sede in Anglia, uxorem ibi duxit *Mathildam de Colevile.*

Galfridus Filding II. *Agnes Johannis de Napton f.* | Johannes Filding. | Thomas Filding.

Wilhelmus Filding. *Johanna, VVilhelmi Prudhomé f.*

Johannes Filding Eques. *Margarita Purfrey.*

Wilhelmus Filding II. Sheriffus Cantabrig. & Huntingdon. occ. in pr. ad Tevvkesbur. 4 Maii 1471. *Agnes Johannis de St. Liz, sive de Seyton Dom. de Martinesthorp in Rutlandia fil. ac hær.*

Johannes Filding. | Everardus Filding Eques Baln. Sheriff Warvvic. & Leicest. † 1514. *Jellisa Russel.* | Eduardus Filding. | Martina Filding.

VVilhelmus Filding III. Armiger. Sheriff. Rutlandiæ † 24. Sept. 1548. *Elisabetha, Thomæ Putney de Misterton Eq. f.*

Basilius Filding † . . . . Ux. *Goditha, VVilhelmi VVillington de Barcheston f. & coh.*

Wilhelmus Filding IV. Eques, Sheriff. VVarvvic. & Rutland † . . . . *Dorothea, Radulphi Lane f.*

Basilius Filding II. Sheriff. VVarvvic. *Elisabetha, VValteri Aston de Tixhall f.*

VVilhelmus Filding V. Eques, BARO de Nevvham-Padox, cr. 30. Decemb. 1620. COMES DENBIGHIÆ 14 Sept. 1622. † 11. April 1643. *Maria, Georgii Villers de Brokesby f.*

Basilius Filding III. C. Denbigh. Baro St. Liz tempr. 1. *Anna, Richardi VVeston C. Portland. f.* 2. *Barbara Joh. Lambe Eq. f. ac hær.* 3. *Elisabetha, Eduardi Bourchier C. de Bath f. & cohær.* 4. *Dorothea Francisci Lane de Glenton f.*

Maria nupta *Jacobo Marchioni & Duci de Hamilton.*

Georgius Filding Baro de Caghe, Vicec. Callan. & COMES DESMON. in Hib. † . . . .

Anna nupta *Baptistæ Noel Vicecomiti Camden*, †

Elisabetha Ux. *Ludovici Vicec. de Kenelmeky in Hib.* & creata Comitissa d' Guilford à R. Carolo II. 14. Jul. 1660. †

Henrica Maria † juv.

Wilhelmus Filding VI. Comes Denbighiæ & Desmoniæ † 168. . . *Maria, Henrici Carey C. de Monmouth f.* | Carolus Filding Eques Aur.

Basilius Filding IV. Comes Denbighiæ & Desmoniæ.

bet ſane, quo non Angliæ tantum, ſed etiam omnis Europæ illuſtriſſimis familiis palmam vetuſtatis & ſplendoris dubiam faciat. Nimirum WILHELMUS FILDING, qui regnante Henr. VIII. inclaruit, ex avito grammatophylacio tabulas & chartas eruit, quibus probatum ivit, ab incluтiſſima *Comitum Habſpurgicorum* familia, quæ tot Imperatoribus Regibusque felices eſt largita natales, ſtirpem ſuam oriundam eſſe. Ex illis vero chartis quatuor autor (a) noſter recenſuit documenta, quæ inprimis fidem ſententiæ huic adſtruere ipſi videbantur: antiquiſſimum literis conſtat mandatariis Munſtertonii in Leiceſtria feſto S. Barnabæ anno regni Eduardi II. nono, qui ſeculi XIV. decimus quintus erat; à GALFRIDO I. GODOFREDO FILDING ſcriptis, quibus ſeipſum *filium Galfridi*, filii *Galfridi Comitis de Habſpurgh, & Domini de Laufenburg, & Rinfilding* in Germania dixit, & conſentiente uxore ſua *Agnete de Napton* mandatum Wilhelmo Pureſey dedit immittendi in poſſeſſionem prædii Munſterton Radulphum de Stanlovv. Proximus ab hoc locus debetur Catalogo, regnante Eduardo III. confecto, cui titulus eſt: *Redditus & Feoda Wilhelmi Filding, filii Galfridi, filii Galfridi, filii Galfridi, Comitis de Hapsberg. Lauffenburg & Rhinfelden*; ad marginem vero hæc leguntur verba: *Ex dono quondam Regis Henrici, filii Regis Johannis.* Exinde colligi poſſe Dugdalius cenſet, quod Rex Henricus III. miſeratus vicem *Galfridi* profugi, & armis de ſe bene meriti feudis eum & certis reditibus, unde victum caperet, auxerit; Illi documento tertium ſubjungi debet, è veteri libro, qui ad Xenodochium S. Johannis Baptiſtæ in Lotterworth pertinet deſumptum & ita ſe habens: *Notum ſit omnibus hunc librum viſuris, quod ego Willielmus Veyſey, Magiſter Hoſpitalis S. Johannis Bapt. de Luttervvorth, præſens fui, quando* JOHANNES FILDING, *qui poſtea erat miles; eodem anno quo inſerviebat Johannem Ducem Bedfordiæ, in bello contra Gallos; tradidit multas veteres ſcripturas cuſtodiendas, Thomæ Bellers Gentilman; quæ certificabant Dominum Galfridum Feldyng filium fuiſſe Galfridi Comitis de Hapſpurgh* &c. Pleniſſime tandem deductionem iſtam, nec non cauſam, quæ Galfridum in Angliam pepulit, tradit ac enumerat, quartum documentum, ſed id ceteris recentius, quod tamen regnante Eduardo IV. concinnatum, jam ætatem duorum ſeculorum attigit; vetus nempe eſt membrana, ſequentia referens: *Memorandum quod Galfridus Comes Habſpurgicus, propter oppreſſiones ſibi illatas à Comite Rodolpho, qui poſtea electus erat Imperator, ad ſummam paupertatem redactus, unus ex filiis ſuis, nomine* GALFRIDUS, *militavit in Anglia ſub Rege Henrico III. Et quia pater ejus Galfridus habuit prætenſiones ad certa dominia in Lauffenburg & Rinfelden, retinuit ſibi nomen de Felden Anglicè Filding. Et reliquit ex Mathilda de Colevile, uxore ſua* GALFRIDUM, JOHANNEM & THOMAM *tunc pueros.* GALFRIDUS FILDING, *duxit in uxorem Agnetem, filiam Johannis de Napton, qui fuit frater Roberti de Napton militis, ex Alicia filia Ricardi de Miſterton uxore ſua: & habuit* WILLIELMUM FILDING, *qui duxit in uxorem Johannam, filiam Willielmi Prudhome ex Juliana filia & herede Roberti de Nevvnham: & ex illa genuit* JOHANNEM FILDING *militem, qui ex Margarita Purfrey, uxore ſua, genuit* WILLIELMUM FILDING, *militem; qui quidem Willielmus duxit in uxorem Agnetem de Seyton, & habuit exitum*, JOHANNEM, EVERARDUM, EDWARDUM, & MARTINAM FILDING. Atque hæ ſunt probationes, quas Dugdalius firmandæ Fildingorum derivationi à Comitibus Habſpurgicis in medium attulit: eæ num ſufficientes, omnique exceptione majores ſint, cordati lectoris dijudicationi relinquere, quam ipſe decernere malo. Id ſolum dixiſſe non erit, opinor, crimini: nec abſurda, nec à veritate hiſtorica abhorrentia illa eſſe: namque *Rudolphum Habſpurgi Comitem*, qui deinde Imperator factus gentem fatalem ſceptris regnisque propagavit, & *Godofredum Laufenburgi Dynaſtam* coævos ac patrueles fuiſſe; bellaque inter ſe geſſiſſe in Annalibus memoriæ proditum eſt: huic etiam filios duos, *Rudolphum* ſcilicet & *Godofredum* Genealogi tribuunt, è quibus equidem poſteriorem eundemque qui ab Anglis vernaculo verbo *Geffrey*, Latino autem Galfridus vocatur, & Fildingorum ſator conſtituitur, paulo poſt parentem interiiſſe ferunt, ſed potuit hæc opinio orta eſſe ex illius exilio, & ſede reperta in terra ſub ſole alio calente.

WILHELMUS FILDING II. cum in fatali Lancaſtrenſium & Eboracenſium diſſidio pro partibus priorum acriter dimicaſſet, à Rege Henrico VI. in regnum anno 1470. reſtituto Comitatibus Cantabrigiæ & Huntingdoniæ, *Sheriffi* titulo, præpoſitus eſt, ſed ſequenti ſtatim anno, cum eidem Regi nova fidei & fortitudinis documenta in *Tevvkesburienſi* prælio daret, vitam amiſit; relicto filio EVERARDO, quem R. Eduardus IV. Warwicenſi & Leiceſtrenſi Comitatui *Sheriffum* præfecit, & R. Henricus VII. militaribus muniis cum laude defunctum *Equitem Balnei* in ſolemnibus nuptiarum Arturi Principis Walliæ creavit, & deinde Cuſtodem Rotulorum in Leiceſtria conſtituit. Hoc natus WILHELMUS III. Rutlandiæ, regnante Henrico VIII. præfuit, eidemque Regi & terra, & mari, conductis ſuapte pecunia militibus, præſto adfuit; avus WILHELMI IV. cui Warwici & Rutlandiæ cuſtodiam R. Eliſabetha commiſit, nec non Equeſtrem honorem contulit. Eo genitus BASILIUS, priori è modo dictis

Comita-

(a) Dugdal. Baronag. III. 440.

Comitatibus præpositus fuit, & filium WILHELMUM V. post se reliquit, qui R. Jacobi I. benignitate & Georgii Villerii Ducis Buckingamiæ, cujus sororem in matrimonium duxit, autoritate ad splendidiorem fortunam pervenit: primum enim in Baronum ordinem sub titulo *Lord Filding of Mecoham-Padox* adscitus, tum vestiario regio præfectus & denique *Comes Denbighiæ* creatus est: atque horum beneficiorum memorem animum Regi Carolo I. Jacobi filio præstitit, eique in civile cum Parlamento bellum prolapso, sanguinem spiritumque impendit; cum enim in conflictu quodam prope *Bermyngham* in Comitatu Warvvicensi d. 3. April. 1643. strenue pro illo pugnaret, mortiferis vulneribus ictus, octavo abhinc die animam exhalavit: relicto filio & successore BASILIO, cui, quod ab Agnete, illustris San-Liziorum familiæ hærede, & Johannis Fildingi uxore descenderet, R. Carolus II. è singulari gratia titulum *Baronis St. Liz.* d. 2. Febr. 1664. addidit. Nullam is, licet quater maritus, prolem suscepit, hæredemque nactus est WILHELMUM FILDING VI. quem, quia titulum etiam *Comitis Desmoniæ* gessit, nepotem ejus è fratre natu minore GEORGIO fuisse supputo: hic enim ejusdem Regis, qui parentem extulisse dictus est, Jacobi I. scilicet, beneficio axiomata *Baronis Filding de Caghe* in Hibernia, nec non *Vicecomitis Callan* & *Comitis Desmoniæ* eodem in regno d. 22. Nov. anno 1622. accepit, ita tamen ut postremam dignitatem post mortem demum Richardi Preston, qui tunc ea fruebatur, teneret. Vixisse *Wilhelmum Comitem Denbighiæ & Desmoniæ* ejusque uxorem *Mariam* usque ad initia regni Jacobi II. ejusdemque inaugurationi interfuisse, ex eleganti horum solemnium historia à *Fr. Sandfordio* nuper publicata, videre est; exemptum verò interea illum esse viventium numero è *Chamberlani* novissimo *de Statu Angliæ* libello constat: in hoc enim locum ejus inter Comites implet BASILIUS FILDING, illo haud dubie genitus.

Scutum, quo enumerata uti consvevit familia; *argenteum* est, *fasciam* deferens *cæruleam*, cui *rhombi aurei tres* impressi sunt.

CAPUT XXXIX.

DE COMITIBUS BRISTOLIÆ ET FAMILIA DIGBIANA.



Bristolia, urbs nobilis portu, haud procul ab æstuario *Sabrinæ* in confiniis Somersettiæ & Glocestriæ sita, in Comitatum erecta est à Rege Jacobo I. in gratiam JOHANNIS DIGBII. Hujus genus ætate R. Henrici II. jam tum floruisse & Tiltoni in Leicestria domicilium habuisse idque postea *Digbium*, qui locus in Lincolnia est, transtulisse, novo inde cognomento sibi sumpto, cum antea Tiltonii appellarentur, *Dugdalius* (a) refert. In complures vero ramos stirps ista se diffudit, quorum communis sator EVERARDUS DIGBIUS *de Tilton* extitit, in prælio Tutonensi, cum pro Lancastricis partibus adversus R. Eduardum IV. strenuè dimicaret, cæsus: is etenim septem post se reliquit filios, à quorum plerisque aliqua defluxit posteritas; cuncti autem ad exemplum paterni erga Lancastricam domum obsequii Henrico Duci Richmondiæ fortem in Bosvvorthensi pugna operam adversus Richardum regni Anglici usurpatorem navarunt atque ab illo victoria & Principatu potito opibus honoribusque remunerati sunt. SIMONI inprimis, qui secundus inter fratres suos nativitatis ordine erat, hæc Henrici VII. gratitudo & liberalitas incremento fuit: auctus quippe latifundiis, quæ inter dynastia *Coleshill* in Warvvicensi agro eminebat, & officiis aulicis adhibitus, viam propagini suæ ad ampliora perveniendi aperuit; quam tamen felicitatem abnepotes demum ejus indepti sunt; ROBERTUS scilicet & JOHANNES, *Georgii* filii. Ille splendido conjugio neptis & hæredis Comitis Kildariæ in Hibernia locupletatus, eo ipso filio suo cognomini honorem Baronis in regno isto peperit, à R. Jacobo ipsi sub titulo *Lord Digby of Geashill* collatum, quoque ex ejus posteritate in præsentia *Simon Digbius* fruitur.

JOHANNES DIGBIUS animi potius quam fortunæ bonis se extulit: egregio præditus ingenio, quod elegantioribus studiis & multa peregrinatione acuerat: simul ac Regi Jacobo I. innotuit, benevolentiam ejus & existimationem consecutus, locumque inter nobiles Cubicularios nactus est: equestri deinde honore ornatus, in Hispaniam anno 1611. prima missus fuit vice, & triennio abhinc secunda; quibus in legationibus cum solertiam suam & in rebus agendis dexteritatem hero probasset, in sanctius ejus consilium anno 1616. adscitus, & sequenti

(a) Baronag. III. 436.

Tab. LXVIII.

SCHEMA FAMILIÆ DIGBIANÆ, COMITUM DE BRISTOL.

EVERARDUS DIGBY de Tilton, occisus in prælio Turonensi.

Everard Digby *de Tilton*.	Simon Digby de Coleshill † 24. Febr. 1520. *Alicia*. *Joh. Waleys de Est-Raddon f. & hær.*	Johannes Digby *de Ketelby*.	Rulandus Digby *de Welby*.	Lybeus Digby *de Lustnam*.	Thomas Digby. Benjamin Digby.

Reginaldus Digby † . . . . . *Anna*, *Johannis Danvers de Cothorpe f.*	Thomas Digby Sator Digbiorum *de Mansfeild-Woodhouse*.

Johannes Digby de Coleshill † . . . . . *Anna*, *Georgii Throkmorton de Coughton f.*

Georgius Digby de Coleshill, Eques † . . . . . *Abigail*, *Arturi Heveningham f.*

Robertus Digby de Coleshill † *Latitia*, *Giraldi C. de Kildare in Hib. neptis & hæres*.	Philippus Digby.	Johannes Digby BARO de Shireburne cr. 25. Nov. 1618. COMES de BRISTOL 15. Sept. 1622. *Eques Periscel*. † 16. Jan. 1654. *Beatrix Caroli Walcot fil. Johannis Dive de Bromham vid.*

Robertus BARO Digby de Geashill in Hibernia.	Georgius Digby C. Bristol. B. de de Shiresburne n. m. Oct. 1612. *Eques Periscel.* 1661. † 19. Mart. 1677. *Anna Russel Francisci C. de Bedford. f.*	Johannes Digby n. m. Mart. 1617. † coelebs.	Maria nup. *Arturo Chicester B. Dunegal in Hib.*	Abigail Ux. *Georgii Freake*.

Johannes Digby II. C. Bristol. Baro Digby de Shirburne, 1. *Alicia*, *Roberti Bourne de Blake-Hall fil. un.* 2. *Rachel*, *Hugonis Windham Eq. fil.*	Franciscus Digby occ. in pr. nav. cum Bat. 28. Maji 1672.	Diana, nup. N. *Baroni Mol in Flandria.*	Anna Ux. *Roberti Spenser*, *C. Sunderland*.

quenti anno iterum in Hispaniam ablegatus est, undereversus, Paribus Angliæ adscribi & titulo *Lord Digby of Shireburne* insigniri meruit. Porro cum in Germania etiam legationes herili nomine apud Albertum Archiducem, Ferdinandum Imperatorem, & Ducem Bavariæ obiisset, ut Friderico Palatino Regis genero & pacem & restitutionem impetraret, licet, *Johnstoni (a)* verbis, *promissa tantum & blanditias, incertamque spem* retulisset, attamen quod difficillimo Reip. tempore saluti dignitatique regni consuluisset, *Bristoliæ Comes* creatus, & vice quarta in Hispaniam legatus missus est, ut nuptias Walliæ Principis cum Infante Hispanica promoveret; hæ vero cum successu caruissent, gravem in comitiis, anno 1626. habitis, accusationem adversus Buckingamium illo alioque nomine intentavit, quam quidem iste sua elusit potentia. Extremum vitæ tempus Bristolius Lutetiæ Parisiorum explevit, ubi fato functus in cœmeterio Protestantium sepultus est. Filiorum ejus natu minor iisdem in oris supremum obiit diem, major autem, cui GEORGIO nomen erat, in paternos honores successit, vir fortis, & multa morum elegantia præditus, atque à R. Carolo II. *Ordinis San-Georgiani* insignibus a. 1661. decoratus. Is filio suo natu minori, in navali adversus Batavos prælio anno 1672. egregia morte defuncto, quinquennio superstes fuit, mortuusque avitos titulos ad gnatum natu majorem JOHANNEM II. transmisit, qui inaugurationi Regis Jacobi II. una cum uxore sua *Rachele* interfuisse in Historia horum sollemnium à *Fr. Sandfordio* edita, legitur.

Scutum Digbiorum *argenteum* est, *lilio cæruleo* exornatum.

CAPUT XL.

DE COMITIBUS CLARÆ ET FAMILIA HOLLESIANA.



Lara vicus est in Suffolcia ad amnem *Stour* situs & antiquæ ruderibus arcis nobilis, quæ Comitatus titulum veteri & inclutæ familiæ è Ducibus Normanniæ ortæ & superius *(b)* alia occasione enumeratæ, impertivit: ab hoc deinde *Duci Clarentiæ* axioma enatum est, à Rege Eduardo III. filio ipsius tertiogenito *Leonello* collatum, eo quod is Elisabetham, Johannis de Burgo C. Ultoniæ filiam ac hæredem ex Elisabetha *Clara* prognatam in uxorem duxisset, jusque cum ea in Clarensem ditionem acquisivisset; Illo vero sine mascula prole defuncto R. Henricus IV. *Thomam* filium minorem *Clarentiæ Ducem* instituit; quo honore satis longo post tempore etiam *Georgius* R. Eduardi IV. frater insignitus fuit. Post hujus interitum jacuit Clarensis titulus, usque dum à R. Jacobo I. in gratiam JOHANNIS HOLLES restauratus fuit.

Is equestris in Nottinghamia loci proavum, referente *Dugdalio (c)* habuit *Wilhelmum Holles*, Prætoris urbis Londinensis munere sub Rege Henrico VIII. anno 1540. functum, proaviamque *Annam*, Johannis *Denzill de Denzil* in Cornubia gnatam; avos autem ejus parentesque silentio autor noster præteriit. Fratrem illi fuisse *Georgium Holles* è Monumentis Westmonasteriensibus colligere est, inter quæ sequens legitur epitaphium:

Georgio Holles, Eq. Anglo-Brit. clariss. penatibus oriundo rerum militar. sic à pueritia dedito ut castror. Alumnus nasci videretur, qui post G. cuncta quæ decerent nobilem stipendia in Belgio fecerat Ordin. ductor suæ gentis supremus vulgo Sergiant Major Generalis declaratus est. Augustæque Trinobantum pacifice excessurus. Hic propter Franc. Verum Imper. suum & consanguin. cui tamen periculis quam sanguine conjunctior ambitu honestiss. componi voluit. Johannes Fr. Comes de Clare Fr. meritissimo mærentissimus. P. vixit. A. 50. M. 3. D. 4. obiit 14. Kal. Jun. A. D. 1626.

Cæterum JOHANNEM HOLLES Rex Jacobus I. cum filium suum Carolum Walliæ Principem & Ducem Cornubiæ creasset, in Procerum numerum allegit, & titulo *Baronis Houghton de Houghton* impertivit, octennio autem post honore *Comitis de Clare* auxit. Defuncto in hæc axiomata successit filiorum natu maximus JOHANNES II. qui illa vicissim ad gnatum, quem genuit unicum, GILBERTUM transmisit. Ex reliquis Johannis I. filiis DENZILLUS inprimis & FRANCISCUS illustrati sunt virtute uterque bellica: posteriorem equidem excelsæ indolis juvenem, ad summa quæque anhelantem in medio ætatis & rerum cursu mors fato propera intercepit, morbo, dum in Belgio militaret, correptum & extinctum. *Denzillus* cum ad restaurationem Regis Caroli II. plurimum operæ contulisset,

(a) Rer. Brit. Lib. XIX. p. 588. (b) Cap. V. (c) Baronag. 432.

SCHEMA FAMILIÆ HOLLESIANÆ, COMITUM DE CLARE, BARONUM HOLLES DE IFEILD.

JOHANNES HOLLES de Houghton, **BARO** de Houghton cr. 9. Jul. 1616. **COMES** de **CLARE**, 2. Nov. 1624. † 4. Oct. 1637. *Anna, Thomæ Stanhope de Shelford f.*

Johannes Holles II. C. de Clare † 2. Jan. 1666. *Elisabetha Horatii B. Vere de Tilbury f.*

Eleonora nup. *Oliverio Fitz - Williams C. de Tyrconnel,*

Arabella nup. *Thomæ Wentworth C. de Strafford.*

Elisabetha † juv.

Denzillus BARO Holles de Ifeild cr. 20. April. 1637. † m. Mart. 1680. Ux. 1. *Dorothea Francisci Ashley de Dorchester f.* 2. *Johanna, Joh. Shirley de Isville f. Walteri Court vid.* 3. *Esther Gideonis le Lou f. Jacobi Richer vidua.* ☾

Franciscus Holles † 1662. æt. 18.

Carolus Holles.

Wilhelmus Holles.

Carolus † juv.

Gilbertus Holles Com. de Clare. *Gratia, Wilhelmi Pierpont de Thoresby f.*

Johannes † infans.

Clinton.

Anna Ux. *Eduardi II. Bar.*

Elisabetha nup. *Wentworth C. Kildariæ in Hib.*

Arabella Ux. *Eduardi Rossiter de Somerby.*

Maria † innupta.

Eleonora.

Catharina † innupta.

Margarita † innupta.

Susanna nup. *Joh. Lort de Stockpolecourt.*

Francisca † infans.

Diana, Ux. *Henr. Bridges.*

Penelope nup. *Jacobo Langham de Cotsbroke.*

Dorothea † in juv.

Francisca † in juv.

☽ 1. Franciscus B. Holles de Ifeild. 1. *Lucia, Roberti Carr de Sleford f.* 2. *Anna Francisci Pile de Compton-Beauchamp f.*

1. Denzillus † inf.

1. Johannes † inf.

1. Denzillus † inf.

Johannes Holles.

Wilhelmus Holles.

Denzillus Holles.

Elisabetha.

Maria.

Anna.

Gratia.

1. Maria † inf.

1. Denzilla † inf.

2. Johanna † inf.

2. Denzillus Holles.

Pariatum & titulum *Lord Holles of Ifeild* in Surria fidei præmium retulit, legationibus deinde in Galliam, Belgium & Daniam frequenter adhibitus, iisdemque cum laude perfunctus, denique octogenario major naturæ concessit. Mortui successionem adiit filius FRANCISCUS, qui Jacobo II. regnum ineunte in vivis adhuc fuit.

Insignia Hollesiæ gentis scuto constant *muris Pontici maculis* respersо, cui *pila duæ nigræ oblique posita & cuspide se prope tangentes* inscriptæ sunt.

CAPUT XLI.

DE COMITIBUS BOLINBROCI ET FAMILIA SAN-JOHANNENSI.



Olinbrocum Lincolniæ castrum; à Wilhelmo de Romara Lincolniensi Comite exstructum fuisse *Camdenus (a)* refert; ab eo Rex Henricus IV. cognomentum accepit, eo quod lucem illic primitus aspexerit. Comitatus autem axiomate ornatum fuit à Rege Jacobo I. OLIVARII S. JOHN gratia. Hunc ab antiqua & nobili familia Baronum *S. John de Lageham & Stanton*, qui Regum Eduardorum I. II. & III. ævo in Oxoniensi Comitatu floruere, originem ducere *Dugdalius (b)* tradit, satoremque rami, è quo ille prognatus fuerit, consentiente *Sandfordio (c)* constituit *Oliverium S. John*, cui in matrimonium ducta est *Margarita Johannis Beauchamp de Bletsho* filia, eademque fratris sui, ejusdem cognominis, hæres: eum ea duos ille genuit filios *Johannem* & *Oliverium*. Ab hoc Domini *de S. John de Lyddiard-Tregoz* provenere; è quibus alius *Oliverius* à R. Jacobo I. anno regni ipsius decimo & octavo *Vicecomes Grandison de Lymerik* in Hibernia, atque à R. Carolo I. secundo regni ejus anno Baro Angliæ sub titulo *Lord Tregoz de Highworth*, creatus est, sed nullis ex uxore sua, quæ *Johanna*, Henrici *Roydon de Battersey* gnata, & Wilhelmi Holcroft vidua erat, liberis susceptis d. 30. Dec. 1630. è vita discessit. *(d)*

JOHANNES *S. John*, Oliverii & Margaritæ Beauchamp filius natu major, dynastas *de Bletsho* progenuit; quorum equidem seriem autor noster non enumeravit, sed intermediis præteritis ad OLIVERIUM *S. John* transiit, quem Regina Elisabetha primo regni sui anno Pariatus honore auxit, & *Baronem de Bletsho* creavit, unde postea inter Pares consedisse legitur, qui de Norfolciæ Duce sententiam tulere: quemadmodum etiam gnato ac successori ejus JOHANNI locus inter Judices Mariæ Scotorum Reginæ fuit. Huic sine mascula prole defuncto frater OLIVERIUS II. successit, quem excepit filius natu maximus OLIVERIUS III. beneficio R. Jacobi I. ad dignitatem *Comitis de Bolinbroke* anno regni ipsius XXII. provectus. Hujus gnatus primogenitus cognominis & in inauguratione R. Caroli I. Eques Balnei creatus, cum orto inter Regem & Parlamentum dissidio arma adversus illum corripuisset, in Kinetonensi prælio mortem oppetiit genitore superstite, nulla prole mascula post se relicta, unde ad nepotem ejus è fratre Pauleto, OLIVERIUM IV. aviti honores pervenere, qui vivis nuper exemptus eosdem nato suo PAULETO reliquit.

Deferre solet hæc familia *scutum argenteum, fascia diagonali rubea* distinctum, cum *cephalo ejusdem coloris*, in quo *stella duæ aureæ* coruscant: Galeam *falco deauratus, nolis instructus*, ornat, & *telamonum* vices utrinque *cercopithecus* implet.

(a) *Descr. Brit. p. 432.* (b) *Baronag. III.* (c) *Geneal. Hist. of Engl. L. IV. c. 9.* (d) *Dugdal. Baron. III. 458.*

SCHEMA FAMILIÆ SANJOHANNENSIS
COMITUM DE BOLINBROKE, BARONUM DE BLETSHO.

OLIVERIUS SAINT JOHN, Armiger, BARO S. John de Bletsho cr. 13. Jan. 1559. † 1582. *Agnes, Johannis Fisher f.*

Johannes Baro St. John de Bletsho † 23. Oct. 1596. *Catharina, Wilhelmi Dormer de Ethorpes f.* † 23. Mart. 1614.	Oliverius St. John II. B. de Bletsho † m. Sept. 1618. *Dorothea Johannis Read. f.*	Thomas St. John	Franciscus St. John.	Martha nup. N *Cheney.*	Judith Ux. *Johan. Pelham Eq.*	Margarita nupta N. *Luke.*	Anna Uxor 1. *Roberti Corbet de Morton Corbet.* 2. *Rollando Litton.*

Oliverius † inf.	Anna nupta *With. Howvard B. Effingham.*	Oliverius III. B. St. John de Bletsho COMES DE BOLINBROKE cr. 28. Dec. 1624. † 1646. *Elisabetha VVilhelmi Paulet f.*	Johannes St. John † juv.	Antonius St. John Eq.	Alexander St. John Eq.	Rollandus St. John Eq.	Henricus St. John.	Bellocampus St. John.	Dudleius St. John.	Elisabetha Ux. *Willielmi Becher.*	Margarita nup. *Thomae Cheney Eq.*	Judith Ux. *Joh. Tomson, Eq.*	Anna nup. *Roberto Chernok Armigero.*	Catharina.	Dorothea Ux. prima *Edwardi Bourchier C. Bath.*	Martha.

Oliverius IV. B. St. John occ. in pr. ad Kineton. 23. Oct. 1642. *Arabella, Johannis Egerton Com. de Bridgvvater f.*	Elisabetha † juv.	Dorothea nup. *Johanni B. Rochford.*	Barbara † juv.	Pauletus Saint John Eq. Balnei † ... *Elisabetha Rollandi Vaughan fil. & hær.*	Franciscus Saint John † cœlebs.	Antonius Saint-John.

Francisca Ux. *Wilhelmi Becher de Hovvbery.*	Elisabetha nup. *Georgio Benet de Cotsbach*	Arabella Ux. *Eduardi Wise de Fidelebam.*	Dorothea nup. *Francisco Charlton de Apley.*	Oliverius St. John V. Comes de Bolinbroke B. de Bletsho, † 1688. *Francisca, Wilhelmi Cavendish, D. de Newkastel f.*

Pauletus Saint John
C. de Bolinbroke.

CAPUT XLII.

DE COMITIBUS WESTMORLANDIÆ ET FAMILIA FANENSI.



Estmorlandia, à sterilitate soli sui appellationem nacta, & in occidentali Angliæ tractu sita, inter *Shiras* sive Comitatus Angliæ numeratur. Ea primum accepisse legitur Dominum à Rege Johanne *Robertum de Vipount* sive *de Veteri ponte*, hujusque etiam filio *Johanni* ac nepoti *Roberto* II. paruisse. Hoc sine prole mascula defuncto cum satlongum temporis spatium intercessisset, Rex Richardus II. *Rodulphum Nevillum* primum *Westmorlandiæ Comitem* creavit, cujus posteri eo floruerunt honore ad quintum usque Comitem *Carolum*, quemadmodum inferius ostensuri sumus. Postquam autem iste perduellionis regnante Elisabetha convictus honore illo excidisset, collatus is deinde est à R. Jacobo I. FRANCISCO FANE, Armigero, maternum genus à *Nevillis* trahente, quod factum d. 29. Dec. anno 1624. cum eadem die illum Paribus sub titulo *Lord Burghers* aggregasset. Ejus familiæ, quæ insignium loco *tres chirothecas sinistras militares erectas* & *auro tinctas* in clypeo *cæruleo* gerit, hanc *Dugdalius* dedit *Arborem*.

SCHEMA FAMILIÆ FANENSIS COMITUM DE WESTMORLAND.

Tab. LXXI.

THOMAS FANE de Badsell in Com. Cant. Eques.
Maria, Baronissa Despenser, Henrici Nevill B. Bergavenny filia unica.

Franciscus Fane, Armiger, BARO BURGHERS, COMES DE WESTMORLAND. cr. 29. Dec. 1624 † 21. Mart. 1629. *Maria, Antonii Mildmay de Apethorpe fil. ac her.*

Mildmajus Fane Eq. Baln. C. Westmorland † 12. Febr. 1665. Ux. 1. *Gratia Wilhelmi Thornhurst f.* 2. *Maria, Horatii B. Vere de Tilbury fil, Rogeri Townsend de Raynham vid.*

- 1. Carolus Fane C. Westmorlandiæ.
- 1. *Elisabetha, N. Nodes de Shephallbury fil. sterilis.* 2. *Dorothea, Roberti Brudnel C. de Cardigan. f.*

Catharina, uxor prima *Conyeri d'Arci B. Conyers.*
Francisca † innup.
Rachel nup. 1. *Henrico Bourchier C. de Bath,* 2. *Lionello Cranfeild. C. de Middlesex* † 11. Nov. 1680.
Elisabetha, ux. *Johannis Cope de Hanwell.*
Maria nup. *Duttono B. Gerard.*
Gratia, ux. *Jacobi C. de Hume in Scot.*
Robertus Fane.
Wilhelmus Fane.
Georgius Fane.
Antonius Fane.
Franciscus Fane Eques Balnei.
Thomas Fane † infans.

- 2. Susanna.
- 2. Catharina.
- 2. Rachel. nup. *Gregorico Hesket, Doct.*
- 2. Maria nup. 1. *Francisco Palmes* 2. *Johanni Cecill C. de Exeter.*
- 2. Verus Fane, Eques Balnei, cr. 1660.
- 1. Elisabetha.
- 1. Francisca, nup. *Erasmo Harby de Aldenham.*
- 1. Diana nup. 1. N. *Pelham de Brokilsby*, 2. *Johanni Bill de Cane-Wood.*

CAPUT XLIII.

DE COMITIBUS MANCESTRIÆ ET SANDWICI ET FAMILIA MONTAGUENSI.



Westmorlandiæ Comiti ordine proximus est *Mancestrensis*, è familia *Montaguensi* ortus, quæ etiam *Sandwici Comites* edidit. Ambo verò hi tituli novi, cum erigerentur, erant, neque à quopiam antea gesti fuisse leguntur. *Montaguenses* ab eadem stirpe qua *Montacuti Comites Sarisburiæ*, de quibus supra (a) actum fuit, sati sunt, defluxisse *Dugdalius*, (b) asserit, licet agnationis modum seriemque expedire supersederit, præsensque Montaguensium stemma non altius, quam ab EDUARDO MOUNTAGU *de Hemyngton* exorsus sit. Hunc legum & juris civilis studio probe excultum post inferiora togæ ministeria egregiè obita, denique à R. Henrico VIII. anno regni ipsius XXX. munere supremi in regio tribunali Præsidis auctum fuisse dictus autor refert. Idem è filio cognomini sex habuit nepotes, quos inter EDUARDUS. HEN-

(a) *Cap. XXVIII.* (b) *Baronag. III. 443.*

SCHEMA FAMILIÆ BARONES DE BOUGHTON COMITES

EDUARDUS MONTAGU de Hemyngton.

Eduardus Mountagu de Hemyngton, Eques.

- Eduardus Mountagu Eques Baln. BARO Mountagu de Boughton cr. 29. Jun. 1621. † 15. Jun. 1664. Ux. 1. *Elisabetha, Johannis Jeffrey Eq. f.* 2. *Francisca, Thomæ Cotton de Conington f.* 3. *Anna Joh. Crouch de Cornbury f.*
  - 1. Elisabetha nupta *Roberto Bartin, Com. de Lindsey.*
  - 2. Eduardus Baro Mountagu de Boughton † Januar. 1684. *Anna, Radulphi Winwood f.*
    - Eduardus Mountagu occ. 12. Aug. 1665.
    - Radulphus B. Mountagu de Boughton VICECOMES Mounthermer COMES MOUNTAGU cr. 1689. *Elisabetha Wriothesley, Thomæ C. Southanton. f. Joscelini Percy C. Northumbr. vid.*
    - Elisabetha nup. *Danieli Harvye, Equiti.*
  - 1. Wilhelmus Mountagu.
  - 2. Christophorus Mountagu.
  - 2. Francisca nup. *Johanni Mannours C. Rutlandiæ.*
- Walterus Mountagu Eq.
- Henricus Mountagu BARO de Kymbilton, VICECOMES Mandevile cr. 19. Dec. 1620. COMES de MANCHESTER 5. Febr. 1626. † 1642.
  - 1. Eduardus Mountagu. C. de Manchester *Eq. Per.* † 5. Maji 1671. Ux. 1. *Susanna Joh. Hill de Hontley f.* 2. *Anna, Roberti Rich C. Warwic. f.* 3. *Essexia, Thomæ Cheeke de Pirgo f. Roberti Bevill vid.* 4. *Eleonora, Richardi Wortley f. Henrici Lee de Quernden vid.* 5. *Margarita Francisci Russel C. Bedford. fil. Jacobi Hay Com. de Carlisle vid.*
    - 2. Robertus Mountagu C. de Manchester † 1683. *Anna Christophori Telverton de Easton Mauduit f.*
      - Eduardus & Henricus obiere in pueritia.
      - Carolus Mountagu C. de Manchester.
      - Robertus Mountagu.
      - Anna.
    - 1. Anna Ux. *Roberti Rich. C. Holand.*
    - 2. Francisca nup. *Henrico Sunderson.*

HENRICUS & SIDNEIUS nobilissimam condidere propaginem. *Primus* à R. Jacobo I. anno regni ipsius XIX. Paribus Angliæ adscriptus, & titulo *Baronis Mountagu de Boughton* ornatus, fidem deinde filio ac successori benefici heri inconcussam servavit, maluitque in squalore carceris, cui, in Parlamentariorum potestatem delapsus, mancipatus fuit, senectum trahere & emittere spiritum, quam illam mutare. HENRICUS avi sui vestigia & studia imitatus in eodem, adquem ille pertigerat, gradu non substitit, sed ad altiores ascendit, è Præside regii Tribunalis exeunte anno 1620. Supremus Angliæ Thesaurarius factus moxque *Baro Mountagu de Kymbolton* & *Vicecomes Mandevile* creatus, à Carolo I. autem sub ipsa regni ejus auspicia honore *Comitis Mancestriæ*, (quæ pervetus urbs est in Lancastria sita, & Mancunium priscis dicta) elapsoque triennio munere Supremi Custodis Privati Sigilli auctus. SIDNEIUS in gnato EDUARDO illustratus fuit: hic enim, cum ab ineunte pueritia ad Mathesin & rem maritimam animum appulisset, atque exactam in utroque peritiam sibi parasset, locum inter Navarchos classis Anglicæ promeruit, in quo perturbatis regni rebus, ita se gessit, ut imperium denique universæ classis in se derivaret: cumque restaurationi Regis Caroli II. extorris velificando, eundemque animis populi, discordiis civilibus fessi, insinuando præclara solertiæ & dexteritatis documenta dedisset, atque honore illum classe sua è diuturno exilio in avita regna reducendi mactus esset, statim inter Equites *San-Georgiani* Ordinis allectus

Tab. LXXII.

MONTAGUENSIS.

DE MANCHESTER ET DE SANDWICH.

Uxor: *Helena, Johannis Roper de Eltham f.*

Uxor: *Elisabetha, Jacobi Harington ab Exton Eq. f.*

Ux. 1 *Catharina Wilhelmi Spenser ab Erdington f.* 2. *Anna Wilhelmi Wincoot de Langham f.* 3. *Margarita, Joh. Crouch de Cornbury f.*

Carolus Mountagu, Eques.

Jacobus Mountagu, *Episc. Vintonia.*

Sidnejus Mountagu Eques.

Elisabetha, nup. *Christophoro B. Hatton de Kerby.*

1. Walterus Mountagu Abbas in Gallia.

1. Jacobus Mountagu.

1. Henricus Mountagu.

1. Elisabetha, nup. 1. *Ludovico Mansel de Margan.* 2. *Eduardo Stabright de Presbrvode.*

1. Lucia *Henrici B. Colraine* Uxor.

3. Georgius Mountagu de Horton.

3. Sidnejus Mountagu † cœlebs.

3. Susanna nup. *Georgio Bar. Chandos.*

Eduardus Mountagu BARO de S. Neots VICECOMES Hinchinbrooke, COMES DE SANDWICH, *Eq. Perisc.* cr. 12. Jul. 1660. periit in pugna navali 28. Maji 1672.
Jemima, Joh. B. Crevv de Steme f.

3. Eduardus Mountagu.

3. Henricus Mountagu.

3. Carolus Mountagu.

3. Thomas Mountagu.

3. Sidnejus Mountagu.

3. Georgius Mountagu.

3. Essexia nup. N. *Vicec. Bruyn.*

3. Lucia.

Eduardus Mountagu, C. de Sandvvich.
Anna Richardi Boyle C. de Burlington f.

Sidnejus Mountagu.

Oliverius Mountagu.

Johannes Mountagu.

Carolus Mountagu.

Jacobus Mountagu.

Jemima Ux. *Philippi Carteret.*

Paulina † innupta.

Anna nup. 1. *Richardo Edgecombe Eq. Baln.*

Catharina.

Elisabetha. Catharina. Eleonora.

Eduardus Mountagu. Richardus Mount. Elisabetha.

ctus atque ad dignitates *Baronis Mountagu de St. Neots*, *Vicecomitis Hinchinbrooke*, & *Comitis Sandvvici* (id oppidum est in Cantiano litore situm) provectus est. Anno 1665. & proxime sequentibus legationem in Hispania & Lusitania obiit, pacis inter utramque gentem belligerantem conciliandæ ergò illuc missus. Vitam in robore ætatis XLVII. annos natus amisit in navali adversus Batavos pugna, in qua dum sub Eboracense Duce Vice Admiralis officium strenue obiret, navis ejus igne forte concepto, dissiliit. Cadaver ejus deinde in litore repertum, Westmonasterium delatum, ibique honorifico funere sepultum fuit. Successorem in honoribus acquisitis habuit filium *cognominem*.

EDUARDUS MOUNTAGU *Mancestriæ Comes*, Henrici filius, plurimum etiam industriæ ac operæ ad restitutionem dicti Regis contulisse prædicatur: quo nomine cubiculo ejus præpositus & *aurea periscelide* decoratus fuit. Ejus gnato & successori ROBERTO inter illustres ejusdem Principis Cubicularios locus fuit: mortem is obiit in civitate Montis Pessulani in Gallia, relicto honorum hærede filio *Carolo*.

RADULPHUS *Mountagu*, Eduardi Baronis Mountagu filius secundogenitus successit in paternum honorem ob præmaturam fratris natu majoris EDUARDI mortem, quam is oppetiit in pugna navali Anglos inter ac Batavos d. 12. Augusti an. 1665. ad oram Norvegiæ in conspectu Bergensis civitatis commissa; novis autem ille, *Radulphus* scilicet, honoribus jam eminet, ad gradus *Vicecomitis Mounthermer* nec non *Comitis Mountagu* ab hodierno Rege nuper evectus.

Insignibus hæc familia iisdem utitur, quæ Montacutis Comitibus Sarisburiæ tribui supra dictum est, nempe *fusis rubeis tribus* in scuto *argenteo*, cui tamen discerniculi ergo *marginem nigrum* circumdant.

CAPUT XLIV.

DE COMITIBUS MULGRAVII ET FAMILIA SHEFFEILDENSI.



Anceſtriæ Comitem excipit Bercheriensis, de quo utpote ex Howardorum stirpe prognato, superius *(a)* actum est: ad *Mulgravensem* itaque quem post istum ordo tangit, progredimur. *Mulgrave* castrum est, in Eboracensi Comitatu ad Dunensem sinum à *Petro de Malo Lacu* positum, atque ab eo, *Camdeno (b)* referente, quod quasi gratia venustateque plenum esset, *Moultgrace* Gallice nominatum. Cum vero circumvicinis gravissimum evasisset jugum, populus, penes quem usus loquendi, mutata literula *Moultgrave* appellavit. Conditor cæteroquin hujus loci, quem *Petrum de Malo Lacu* diximus, *Mauley* vulgo audiebat, atque à Pictonibus Galliæ oriundus erat, cumque Petri de Turnham unicam filiam regnante Richardo I. in matrimonium duxisset, amplam isthic nactus est hæreditatem, & *septem Petros Barones de Malo Lacu* suo ordine successores habuit, qui pro insignibus *fascia nigra transversa in aureo clypeo* usi sunt: verum septimo fine sobole fatis functo, per ejus sorores hæreditas inter equestres familias *Salvainorum* & *Bigotorum* partita fuit.

Comitatus titulo Mulgravium Rex Carolus I. anno regni sui primo insignivit, eodemque EDMUNDUM SHEFFEILDIUM ornavit. Is nobili in Lincolnia stirpe satus abavum habuit ROBERTUM SHEFFEILDIUM, qui regnante Henrico VII. bellica virtute aliquod sibi nomen paravit, locumque inter dicti Regis duces & equestrem honorem promeritus, in civili adversus Johannem Polum, Lincolniæ Comitem rebellem, bello enituit, & victoriæ de illo ad Stokium reportatæ eximia pars fuit. Hujus è filio cognomini nepos, idemque primi Comitis Mulgravii avus, EDMUNDUS sub ipsis regni Eduardi VI. auspiciis in Baronum Ordinem provectus, sed altero statim abhinc anno infelici abreptus est fato: Seditione enim in Norfolcia orta, cum Marchioni Northantoniæ ad illam opprimendam misso comitem se præbuisset, infesto evenit casu, ut in foveam cum equo incideret, atque à lanione quodam è grege rebellium, licet amota buccula ostendisset quis esset, clava in capite percussus exanimaretur. *(c)*

EDMUNDUS SHEFFEILD II. in numero Baronum fuisse *Camdeno (d)* memoratur, quos

(a) *Cap. IV.* (b) *Descr. Brit. p. 585. & 586.* (c) *Dugdal. Baron. III. 386.* (d) *Annal. Elis. p. 349.*

SCHEMA FAMILIÆ SHEFEILDENSIS
COMITUM DE MULGRAVE.

ROBERTUS SHEFEILD de Buttervvike, Eques.
Helena, Johannis Delves fil. ac hær.

Robertus Sheffeild de Buttervvike, Eques. *Margarita, Johannis Zouch de Codnor f.*

Edmundus BARO Sheiffeild de Buttervvike cr. 16. Febr. 1548. occ. 1549. *Anna, Johannis de Vere V. C. Oxon.*

Johannes Baro Sheffeild de Buttervvike † m. Jan. 1569. *Duglassia Hovvard Wilhelmi B. de Effingham fil.*

Francisca nupta N. *Metham.*

Eleonora Ux. *Denzilli Holles.*

Elisabetha.

Edmundus II. Baro Sheffeild de Buttervvike *Eques Perisc.* COMES DE MULGRAVE cr. 7. Febr. 1626. † m. Oct. 1646. Ux. 1. *Ursula, Roberti Tirvvhit de Ketilby f.* 2. *Mariana, VVilhelmi Ervvin Eq. f.*

Elisabetha nupta *Thomæ C. Ormondiæ.*

- 2. Sara.
- 2. Margarita.
- 2. Robertus Sheffeild.
- 2. Thomas Sheffeild.
- 2. Jacobus Sheffeild.
- 1. Anna.
- 1. Ursula.
- 1. Dorothea.
- 1. Triphena Ux. *Georgii Verney.*
- 1. Duglassia.
- 1. Francisca, Ux. *Philippi Fairfax Eq. Ferdinando fratris.*
- 1. Maria nup. *Ferdinando Fairfax B. de Cameron in Scot. Thomæ filio.*
- 1. Elisabeha nup. 1. *Eduardo Swifft Eq.* 2. *Joh. Bourchier.*
- 1. Magdalena Ux. *VValteri VValsh, Hiberni.*
- 1. Georgius Sheffeild.
- 1. Philip Sheffeild, submersus m. Dec. 1614.
- 1. Wilhelmus Sheffeild, suffocatus in Gallia.
- 1. Edmundus Sheffeild undis haustus m. Dec 1614.
- 1. Johannes Sheffeild Eques, submersus m. Dec. 1614. *Grisilda, Edmundi Anderson Eq. f.*
- 1. Carol. Sheffeild † juv.

Edmundus Sheffeild III. Comes de Mulgrave † 21. Aug. 1658. *Elisabetha, Lionelli Cranfeild, C. Middlesex. f.*

Johannes Sheffeild, Comes de Mulgrave, *Eques Perisc.* *Ursula Seymour, Eduardi C. de Convvay vid.*

quos anno 1582. Regina Elisabetha Franciscum Andium Ducem, postquam tres menses in Anglia hæsisset, Antverpiam usque comitari jussit. Interfuit sexennio post prælio navali, quo ingens illa & stupenda Regis Hispaniæ Philippi II. classis ab Anglica ductu Caroli Howardi Effingamii victa ac disjecta est postridie ab isto ob fortitudinem Equestri dignitate ornatus. (a) Brielæ deinde portus magni momenti in Belgio, ab Ordinibus in cautionem pro pecunia oppositi, præfecturam obtinuit, & Ordinis *Georgiani periscelide* ab Elisabetha decoratus fuit à R. Jacobo officio Præsidis Concilii pro partibus regni Septentrionalibus auctus, ejusque vitam prospera fortuna emensus, à Carolo regnum ineunte *Comes de Mulgrave* creatus est, & vicesimo demum abhinc anno octogenarius naturæ debitum explevit: postquam è filiis prioris tori plerosque infaustis casibus extinctos ad plures præmisisset: JOHANNES enim, EDMUNDUS, & PHILIPPUS uno eodemque die interierunt, gurgitibus amnis Humber, cum eum trajicerent, hausti, WILHELMUS eodem mortis genere in Gallia extinctus est; GEORGIUS in hippodromo, quem parens ejus ruinis veteris sacelli superstruxerat, decurrens, cervicem fregit; CAROLO natu maximo natura equidem, sed præmature, vitæ finem fecit. Successionem itaque Edmundi Sheffeildii Comitis Mulgravii adiit nepos è filio secundo genito *Johanne*, EDMUNDUS III. à quo ad gnatum ejus JOHANNEM honos ille transiit; Hunc Rex Carolus II. anno 1674. Equitibus *aureæ periscelidis* aggregavit, prætereaque Eboracensis Comitatus præfectura, & Cubicularii sui munere auxit; Anno 1682. vero aula excedere jussit, omnibusque officiis multavit, elapso tamen biennio revocatum & in gratiam receptum, cubiculo domus suæ præposuit: eo munere sub Jacobo II. etiam functus est, anno 1687. similem priori vicissitudinem fortunæ passus, repudiatus & receptus.

Digma Shaffeildorum gentilitium *cantherium* repræsentat, *rubeum, mergitibus tribus ejusdem coloris stipatum*, in campo *argenteo*, è *galea caput apri avulsum* & *auro tinctum* exsurgit, illoque feræ genere etiam *atlantum* vice utuntur.

CAPUT XLV.

DE COMITIBUS RIPARIIS ET FAMILIIS WIDVILANA ET SAVAGENSI.



Am Comitem Riparium, *Rivers* vernaculo sermone dictum, ordo tangit; is titulus non à loco aliquo, sed ab antiqua familia, quæ Devoniæ Comites edidit, & superius enumerata fuit, appellationem traxit, primusque collatus est RICHARDO WIDVIL sive WOODVIL. Hic patrem avumque *Sheriffi* in Northantonia munere functos, habuit, atque id officii ipsemet hæreditario quasi jure initio obiit, donec ad ampliora pertingeret. Parta enim sibi R. Henrici V. existimatione ab eo inter Custodes corporis sui adscitus, moxque Senescallus Normanniæ nec non aliarum in Gallia ditionum, quæ Anglis parebant, constitutus est. Regnante deinde Henrico VI. cum in bello Gallico sub Johanne Duce Bedfordiæ (cujus postea viduam in matrimonium duxit) & Richardo Duce Eboraci egregia militasset fama, in Parium Ordinem provectus, & titulo *Baronis Rivers* anno regni dicti Regis XXVI. insignitus, præterea que *aurea Periscelide* & munere Senescalli in Aquitania ornatus fuit. Exorto bello intestino in fide Regis permansit, usque dum contingeret, ut Eduardus Eboracensis, superior jam factus & regno potitus, filiæ ejus *Elisabethæ* tunc viduæ, amore caperetur, eamque clandestinis sibi adjunctam nuptiis reginam faceret. Hinc enim animo ad spem fortunæ splendidioris erecto Lancastrenses deseruit partes & Eboracensibus se addixit, atque ab Eduardo modo memorato elatus est in Senescallum Angliæ & *Comitem de Rivers per cincturam gladii, habendum sibi & heredibus masculis cum feodo viginti librarum per manus Vicecomitis Northanton,* quemadmodum ipsa chartæ creationis verba apud *Camdenum* (c) se habent. Verum anni spatio vix elapso in potestatem Georgii Ducis Clarentiæ & Nevilli Comitis Warwici, qui ob illas ipsas R. Eduardi IV. nuptias ab eo desciverant, una cum filio JOHANNE delapsus, capite uterque Northantoniæ truncatus est. Frater illi erat EDUARDUS, quem *Baronem Widvil* vulgo nominatum fuisse, cum tamen nunquam ad Parlamenta evocatus, nec creationem ad hunc honorem nactus sit, *Dugdalius* (d) refert. Is Duci Britanniæ Francisco II. cum Rege Galliæ belligeranti quadringentos milites, quos suis contraxerat impensis, postquam auxilio adduxisset, apud Albani fanum cum plerisque suorum cæsus est.

Richardo

(a) Ib. p. 529. (b) Cap. XL. (c) Descr. Brit. p. 403. (d) Baronag. III. 232.

Richardo Widvil Comiti *Rivers* successit filiorum natu maximus ANTONIUS, *Baro Scales*, dum parens viveret, uxorio jure dictus. Hunc de Rege Eduardo IV. in utraque fortuna bene meritum, & multis fortibus factis illustrem, Richardus Glocestriæ Dux, cupidine regni capiundi correptus, custodiæ dari & in castro Pontfract securi percuti jussit. Quoniam prole carebat, frater ejus RICHARDUS superstes honorum hæreditatem adiit, sed legitimis sine liberis pariter mortuus, masculam domus suæ familiam finivit; è sororibus tamen ejus pulcherrimæ defluxerunt propagines, quas ex earum matrimoniis in diatyposi subjecta notatis colligere licet.

Tab. LXXIV.

SCHEMA FAMILIÆ WIDVILANÆ COMITUM RIVERS.

RICHARDUS DE WIDVIL, Sheriffus Northantoniæ sub R. Eduardo III.

Johannes de Widvil, Sheriffus Northantoniæ sub R. Richardo II.

Richardus de Widvil, BARO & COMES RIVERS, cr. 1448. & 1466. *Eques Perisc.* Senescallus Angliæ, *decoll.* 1469. *Jacobina de Luxembourg, Petri C. de S. Paul. f. Johannis Plantageneta D. Bedfordiæ vid.*

Eduardus B. de Widvile occ. in Gallia 1488

- N. nup. *Joh. Bromley.*
- Maria ux. *Wilhelmi Herbert C. Huntingdon.*
- Catharina nup. 1. *Henrico Stafford Dn. Bugyngton.* 2. *Caspero Tudor D. Bedford.* 3. *Richardo Wingfeild.*
- Jacobina, ux. *Johannis B. Strange de Knockyn.*
- Anna nup. 1. *Wilhelmo Vicec. Bourchier*, 2. *Georgio Grey C. Cant.* 3. *Antonio Wingfeild.*
- Margarita, ux. *Thomæ Fitz-Alan C. Arundel*
- Elisabetha nup. 1. *Johanni Grey de Groby.* 2. *Regi Eduardo IV.*
- Richardus Widvil, Comes Rivers † ἄγαμος 6. Marc. 1490
- Eduardus Widvil
- Leonellus Widvil, *Episcopus* Sarisbur.
- Johannes Widvil *decoll.* cum patre 1469.
- Johannes Widvil † inf.
- Ludovicus Widvil † juv.
- Antonius Widvil, Baro Scales C. Rivers, *Eques Perisc. decoll.* 1483. 1. *Elisabetha, Thomæ, B. Scales de Nucals f. Henrici Bourchier vid.* 2. *Maria Henrici Fitz Lewes f.*

Margarita, *notha*, ux. *Roberti Poynes* Eq.

Stephanus ex aliena uxore (Vid: sub. *Tab. IX.*) genitus, & à patre putativo *Gardiner*, Burneto indice, cognominatus. *Episcopus* Wintoniæ & Angliæ Cancellarius sub Maria † 12. Nov. 1555. *(a)*

Postquam Richardus Widvil. Comes *Rivers* III. fatis concessisset, quievit is titulus, usque ad regnum Caroli I. qui illum resuscitavit in gratiam THOMÆ DARCIE *de Chich.* Is vetusta illa ac illustri *Darciorum* familia, quæ in Comite Holdernessiæ hodieque floret, (ceu suo ostendetur loco) ortus fuisse *Dugdalio (b)* creditur, licet deductionis seriem haud exploratam sibi esse fateatur, neque stemma ejus altius repetere quiverit, quam à ROBERTO DARCIE, qui ex amanuensi causidici cujusdam Fiscalis Comitatus Essexiæ factus, & pingui matrimonio viduæ opulenti mercatoris auctus, filiis gradum ad equestrem struxit honorem. Abnepos ejus THOMAS cum sub Regibus Henrico VIII. & EDUARDO VI. variis muneribus domi ac militiæ egregiè obitis inclaruisset, à posteriore anno regni ipsius V. in Baronum Ordinem provectus, & deinde à Philippo & Maria *Ordinis Georgiani Periscelide* decoratus est, pater JOHANNIS; qui Waltero Essexiæ Comiti in Hibernica expeditione operam præbuit, & gnatum post se reliquit THOMAM III. Hunc R. Jacobus I. *Vicecomitem Colchester* & deinde Carolus I. *Comitem Rivers* crearunt, atque in utroque honore deficiente prole mascula, ei substituerunt generum in filia natu maxima THOMAM SAVAGE; hic autem cum soceri fata antevertisset, ELISABETHA DARCIE ejus vidua à dicto Rege singulari diplomate d. 21. April. anno regni ejus XVII. *Comitissa Rivers* creata fuit.

Savagensem stirpem, quæ Darciensi successit, è Cestria oriundam, autor noster *(c)* à JOHANNE SAVAGEO repetit, qui Richardo II. regnum usurpante rebus Henrici Richmondiæ Ducis studuisse plurimumque operæ ad eum in solium evehendum contulisse *Polydoro (d)* celebratur, in decretoria apud Bosvvorthum pugna alam copiarum illius sinistram moderatus.

 Consta-

(a) *Vid. Burnet. Hist. Reform. Angl. Part. II. Lib. 2. p. 557. & 558. vers. Gall.* (b) *Baronag. III. 391.* (c) *Baronag. III. 445.* (d) *Hist. Angl. Lib. XXV. p. 559.*

SCHEMA COMITUM RI-

E FAMILIA DARCIANA,

ROBERTUS DARCIE Procurator Fisci in Com. Essexiæ
Alicia Fitz-Langley † 1448.

Robertus Darcie II. de Danberie

† 1469.

Johannes Darcie de Tolshunt.

Thomas Darcie Armiger † 1485.

Rogerus Darcie, Armiger. *Elisabetha, Henrici Wentworth Eq. f.*

Thomas II. BARO Darcie de Chiche cr. 5. April. 1551. *Eques Perisc.* 1558. † 1560. *Elisabetha, Johannis Vere C. Oxon. f.*

Johannes Baro Darcie de Chiche † 1580. *Francisca, Richardi B. Rich f.*

Thomas III. B. Darcie de Chich, Vicecomes COLCHESTER cr. 1621. COMES RIVERS 1626. † 21. Febr. 1639. *Maria, Thomæ Kitson Eq. f.*

Johannes Darcie † cœlebs.

Maria nup. *Roberto B. Lumley.*

Thomas Darcie IV. † antepatrem improlis. N. *Joh. Fitz. de South-Tavistoke f. Alani Perci vidua.*

Elisabetha Comitissa Rivers nup. *Thomæ Vicecom. Savage* † 9. Mart. 1650.

Maria Ux. *Rogeri Manvvod Armig.*

Penelope nupta 1. *Georgio Trenchard* 2. *Joh. Gage de Fizley.*

Susanna innup.

Johannes Savage C. Rivers Vicecom. Savage de Rupe Savage & Vicec. Colchester Baro Darcie de Chiche. † 10. Oct. 1654. Ux. 1. *Catharina Parker, Henrici B. Morley & Monteagle f.* 2. *Maria, Thomæ Ogle de South-Dissington f.*

Johanna, Ux. *Johan. Paulet M. Winton.*

Dorothea nupta *Carolo Hovvard Vicec. Andover.*

Elisabetha Ux. *Joh. Thimelsby de Irnham.*

Henr. Maria Ux. *Radulphi Sheldon de Beoley.*

Catharina *monialis.*

Anna nup. *Roberto Brudnell C. de Cardigan.*

1. Thomas Savage, Com. Rivers *Elisabetha, Emanuelis Bar. Scroope Com. Sunderland. fil. notha.*

Johannes Savage.

Richardus Savage.

Elisabetha nupta *Wilhelmo B. Petre*

Thomas Savage Vicecomes Colchester. *Carolo Stanley, Caroli Com. Darbiæ f.*

Richardus Savage.

Elisabetha.

Arabella.

Carola Savage.

ET SAVAGENSI.

JOHANNES SAVAGE, occ. in oppugn. Bononiæ 1491.
Margarita, Thomæ Deniers f.

Johannes Savage de Clifton Eques. *Elisabetha Somerset, Caroli C. de Worchester f.*

Johannes Savage de Rupe Savage Eques † 1597. *Elisabetha Mannours, Thomæ C. Rutland. f.*

Johannes Savage de Rupe Savage, Eques & Baronettus † . . . *Maria, Nicolai Allington Eq. fil. & coheres.*

Thomas Savage Eques & Baronettus VICECOMES Savage cr. 5. Jul. 1621. † 20. Nov. 1635. *Elisabetha, Thomæ Darcie Com. Rivers & Vicecom. Colchester filia & coheres † 9. Mart. 1650.*

Thomas Savage. *Brigita, Wilhelmi Witmore de Leighton f. Eduardi Somerset vid.* Elisabetha nup. *Marmaduco B. Langdale.*	Franciscus Savage.	Wilhelmus Savage.	Jacobus Savage.	Richardus Savage.	Carolus Savage.

Johanna nup. 1. *Georgio B. Chandois*, 2. *VVilhelmo Sidley de Aylesford*, 3. *Georgio Pitts de Strattfeildsey.*	Catharina Ux. *Caroli Sidley.*	Maria nup. *Henrico Killegre.*	Francisca † juv.	2. Petrus Savage.

Constabilito deinde Henrici regno, cum is Imperatori Maximiliano cum Gallis bellum gerenti auxiliares submittere copias decrevisset, *Savagius* quoque nomen inter Nobiles Anglos, eam in militiam sponte profectos, professus est, mortemque in obsidione Bononiensi oppetiit. Ejus posteri cum illustres partim, partim bene dotatis uxores accepissent, ad altiorem denique pertigere locum in ejus abnepote THOMA: is initio Baroneti honore à R. Jacobo anno 1611. affectus, & deinde matrimonio filiæ *Thomæ* Baronis *Darciæ* auctus, dignitatum, quas in socerum idem Rex ejusque successor Carolus I. contulerunt, hæres constitutus, & proinde *Vicecomitis* titulo salutatus fuit. Quoniam vero, quo minus hæreditatem eam ex asse capesseret, morte præpeditus est, filius demum ejus JOHANNES avo matrique in honorem *Comitis Rivers* successit, eundemque fato suo functus ad gnatum THOMAM II. transmisit; qui utrum in vivis sit, an ad plures digressus filio cognomini locum inter Angliæ Comites fecerit, me latet, nec ex Historia Inaugurationis R. Jacobi II. à Sandfordio publicata, ubi inter Comites Angliæ *Thomas Savage Comes Rivers* & *Arabella* ejus Conjux recensentur, discernere licet, tum ob homonymiam patris filiique, cum ob *Arabellæ* nomen, quod neutrius uxori *Dugdalius* tribuit.

Insignia Comitum, quorum hoc capite mentio facta est, quod ad extremum attinet, ubi sunt è *Widvilana* stirpe prognati scuto *argenteo*, cui *norma* impressa est *rubea*; *Darciorum* digma *tres pentaphyllos rubeos* in solo *argenteo*, *Savagense* autem in clypeo eodem metallo tincto *fusos sex nigros* repræsentat.

CAPUT XLVI.

DE COMITIBUS LINDESIÆ ET ABBENDONIÆ FAMILIAQUE BERTUENSI.



Nter titulos honorarios hoc demum seculo in Anglia natos, illi etiam sunt referendi, quos capitis hujus inscriptio complectitur, & *Bertuensis* familia possidet. Eam ROBERTUS BERTU matrimonio *Catharinæ Willoughy*, quæ *Wilhelmi* postremi *Baronis Willoughy de Eresby* gnata ac hæres unica, & Caroli *Brandon* Ducis Suffolciæ vidua erat, nobilitavit, & in lucem famamque provexit. Fuisse prædicantur in illo egregiæ animi corporisque dotes, quibus amorem dictæ Ducissæ, cordatæ fœminæ, sibi conciliavit, sincero vicissim, & duris explorato rebus affectu eam prosecutus. Ferventiori etenim purioris religionis Zelo correptæ, & de reformatione, quæ regnante Eduardo VI. suscepta est, liberius nec sine ludibrio priscarum superstitionum lætatæ, cum versis sub Mariæ regimine rerum vicibus, à Stephano Gardinero, Wintoniæ Episcopo & regni Cancellario, infortunium pararetur, idque marito ejus suboleret, fuga se imminenti subducere periculo decreverunt. Ille itaque sub prætextu exigendi debiti, quod Imperator cum Suffolciæ Duce contraxerat, veniam à Regina trans mare proficiscendi petiit, eaque impetrata Caletum trajecit, relicta tunc uxore; quæ deinde una cum filiola Susanna, & quatuor domesticis, vulgarem mentita fœminam, navim in Essexiæ litore conscendit, & in Brabantia non sine discrimine appulit: ubi cum marito iterum conjuncta fuit. In Cliviam inde profecti, illic autem à Barone Paget populari suo detecti, & insidiis petiti, in Palatinatum secessere, & *Weinhemii* aliquandiu commorati sunt. Ad incitas tandem, post consumtas, quas ex Anglia asportaverant, facultates, redactis Deus ex machina adfuit: literæ enim è Polonia advolarunt, quibus Palatinus Vilnensis de misera eorum conditione à quodam Joh. Alasco, qui Residentis, ceu vocant, in Anglia munus obierat, certior factus, eos ut ad se venirent, invitabat, & studium, officium, operam benevolentiamque suam deferebat, cumque illi tergiversarentur, & misso internuncio ab eo peterent, ut à Rege Poloniæ literas securitatis sigillo regio munitas ipsis impetraret, hoc etiam voto damnati sunt: longum itaque & asperum hoc iter mense Aprili anno 1557. ingressi, nec nullo periculo, ob vias militibus tunc obsessas, defuncti, in Poloniam venerunt, atque à Rege benigne excepti, in Semigalliæ Comitatu *Crozan* consederunt, ubi multa cum dignitate commodè non minus ac quietè vixerunt, donec accepto de excessu Reginæ Mariæ nuntio, natalis soli desiderio tacti, Angliam repetierunt. Ea in peregrinatione cum filium enixa esset Catharina, PEREGRINUS à patre appellatus fuit. Hic matre sua fatis functa, titulum *Baronis Willoughei de Eresby*, locumque, quem avus ipsius maternus in Parlamento tenuerat, sibi vindicavit, ad quem tamen ab Elisabetha, utpote in deferendis honoribus admodum parca, ægre admissum fuisse, priusquam

quam virtutis specimina dedisset, *Camdenus* (a) memoriæ prodidit. Illa vero Reginæ probata, variis adhiberi cœpit officiis. Francisco Andium Duci, cum ex Anglia in Brabantiam remeasset, comes additus, deinde anno 1582. in Daniam legatus ut Regem Fridericum II. insignibus San-Georgiani Ordinis investiret; Belgis postea cum auxiliaribus copiis submissus & Bergæ ad Somam præpositus, ita se gessit, ut post Leicestrii discessum universis Anglorum in Belgio copiis præficeretur; quam spartam maximè dicti oppidi strenua adversus Parmensem Ducem defensione ornavit. Sequenti anno, qui superioris seculi nonus supra octogesimum erat, revocatus, moxque in Galliam cum imperio in IV. mille auxiliares, Regi Navarræ destinatos, missus, partam sibi famam auxit, hocque munere expleto Bervvici præfectura decoratus est, in qua effœto laboribus magis corpore quam annis, incolumi dignitate decessit, vir, *Johnstoni (b)* elogio, *gratia oris, animi magnitudine & militari gloria sua ætate longe clarissimus,*

ROBERTUS BERTIUS, *Peregrini* F. cum amitino suo Henrico Vero, Comite Oxoniæ, & summo Angliæ Cubiculario hæreditario, sine prole mortuo, jus sibi in titulos honoresque ejus vindicaret, eaque propter Roberto Vero, proximo illius agnato & hæredi *præsumtivo* (ut vulgari utar vocabulo) litem de iis movisset, lata à judicibus sententia, à Comitis Oxoniæ aliisque titulis equidem repulsus, sed in possessionem dicti Coronæ officii immissus, eoque nomine primatum reliquos inter Barones nactus est. Nihilo tamen secius ad Ordinem Comitum denique pertigit, à R. Carolo I. secundo regni ipsius anno *Comes Lindesiæ*, quæ Lincolniæ Comitatus pars est, creatus; huic honori elapso quadriennio *aureæ periscelidis* decus, & denique summa classis regiæ præfectura accessere. Postquam atrox inter Regem & Parlamentum dissidium in bellum exarsisset, in fide illius permansit, regiarumque copiarum Imperator constitutus, officia ac partes suas optimè, etiam impendio vitæ, implevit; in *Kinetonensi* enim pugna, cum & imperaret & dimicaret, lethali vulnere ictus, ac in hostium potestatem delapsus est, à quibus in Warwicense castrum delatus, spiritum ibi emisit. Eidem prælio filius ejus natu maximus MONTACUTUS interfuisse memoratur; is parentem vulneratum & captivum conspicatus, ut ipsi curatione indigo præsto esset, sponte se Magistro cuidam equitum adversæ partis permisit: post mortem autem genitoris libertate per permutationem recepta, in obsequio Regis perstitit, cujus extremæ calamitati cum superstes mansisset, non sine animi ægritudine, duravit tamenusque ad felicem Caroli II. restaurationem: qua ipse quoque pristinos recuperavit honores, prætereaque novo *aureæ periscelidis* ornamento auctus est. Vita denique defunctus filios haud degeneres post se reliquit, quorum natu maximus ROBERTUS II. in titulos honoresque avitos successit. Huic de officio Supremi Angliæ Cubicularii litem in R. Jacobi II. inauguratione movit Comes Darbiæ, quod à sorore Henrici Veri, Comitis Oxoniæ ortus esset, sed causa cecidit, Lindesio corroborato in dicta dignitate, eidemque annexis functionibus & commodis: illæ sunt Regi die Coronationis suæ simul ac cubitu surrexit, indusium & vestimenta porrigere, eum basilicè exornare, deinde aquam ministrare accubituro, iterumque pranso; horum autem nomine censentur XL ulnæ holoserici coccinei, quæ pro toga Summo Cubiculario dari solent; porrò lectus omnisque apparatus cubiculi, in quo Rex nocte præcedente recubuerat, una cum ejus amictu nocturno, prætereaque pollubrum, nec non mantile, & denique poculum prægustatum, quæ cuncta ejusdem potestati veteri more permittuntur. Recensere lubet sententiam stylo singulari & Anglicismis pleno expressam, qualis illa definita fuit, quaque *Sandfordius* Historiam dictæ Inaugurationis clausit: *Petitionem Comitum de Lindsey & Darby consideratione matura habita, eo quod idem Comes de Lindsey modo existit in possessione & executione officii prædicti, & quod Robertus non ita pridem Comes Lindsey, Avus ejus, positus fuit in possessione dicti officii per Serenissimum Principem Carolum primum fælicissimæ memoriæ, tunc Regem Angliæ, de advisamento Dominorum in Parlamento; quod quidem officium, Mountague nuper Comes Lindsey pater ejus, cujus hæres ipse est, executus est in Coronatione Caroli II. nuper Regis Angliæ. Ideo consideratum est per Commissionarios, quod Clameum prædicti Comitis de Lindsey ad officium prædictum eidem Comiti de Lindsey allocetur, exercendum prædicto die Coronationis; & quod Clameum prædicti Comitis Darbiæ non allocetur; sed quoad feoda & vadia per dictum Comitem de Lindsey Clamata, Clameum ejus quoad poculum de Assay non allocatur, eo quod non constabat prædictis Commissionariis Magnum Angliæ Camerarium dictum poculum aliqua præcedenti Coronatione habuisse. Sed quoad alia Clamea prædicta eidem Comiti de Lindsey allocantur. Et postea & ante Coronationem prædictam dicta quadraginta Virgata Velveti eidem Comiti deliberata fuere: & pro reliquis feodis prædictis compositio facta est cum prædicto Comite pro ducentis libris Sterlingorum & prædictus Comes de Lindsey officium Magni Camerarii Angliæ in die Coronationis adimplevit.*

JACOBUS BERTIUS, *Roberti* II. C. *de Lindsey* filius è posteriore toro primogenitus, quod è filia ac hærede unica *Francisci* Baronis *Norris* & Comitis Bercheriæ natus esset, titulum

Baronis

(a) *Annal. Elis. p. 351.* (b) *Rer. Brit. L. 9. p. 297.*

SCHEMA FAMILIÆ
BARONES DE ERESBY, COMITES

RICHARDUS BERTU, Armiger. Uxor

Peregrinus Bertu, BARO Willougby de Eresby † 1601. *Maria de Vere, Johannis VI. C. Oxford. f.*

Robertus Bertu I. Baro Willougby de Eresby COMES DE LINDSAY, cr. 22. Nov. 1626. *Eques Perisc* Supr. Angliæ Camerarius † 23. Oct. 1642. *Elisabetha, Eduardi, Bar. Mountagu de Boughton. fil.*

Henricus Bertu.

Verus Bertu.

Montacutus Bertu, C. de Lindsey B. Willougby de Eresby *Eq. Per.* † 25. Jul. 1666. Ux. 1. *Martha, VVilhelmi Cokain Eq. f. Johannis Ramsey C. Holderneß vid. 2. Brigita, Eduardi VVray ex Elisabetha Norris fil.*

Rogerus Bertu Eq. Baln.

Peregrinus Bertu.

Franciscus Bertu.

Elisab. nup. *Wilhelmo B. VViddrington.*

Robertus Bertu.

Henricus Bertu.

1. Robertus Bertu II. C. de Lindsey. C. 1. *Maria, Joh. Massingberd, Mercatoris Londin. f. 2. Elisabetha, Thomæ B. VVharton f. 3. Elisabetha Poole Thomæ C. de Dovvne in Hib. f.*

Peregrinus Bertu.

Richardus Bertu.

Verus Bertu.

Elisabetha nupta *Baptistæ Noëll Vicec. Camden.*

1. Arabella.

2. Robertus Bertu III.

Peregrinus Bertu.

Philippus Bertu.

Norrisius Bertu.

Albemarlius Bertu.

DE LINDSAY ET ABINGTON.

Catharina, VVilhelmi Bar. VVillougby de Eresby fil. ac hæres Caroli Brandon Ducis Suffolciæ vidua.

Susanna, nup. 1. *Reginaldo Grey, Com. Cantii.* 2. *Johanni VVingfeild Equiti.*

Peregrinus Bertu. Rogerus Bertu. Catharina Uxor *Ludovici VVatson de Rockingham-Castle.*

Verus Bertu. Eduardus Bertu, Catharina, Elisabetha, Anna. Sophia. Maria.

Carolus Bertu. Brigita Ux. *Thomæ Osburne C. de Danby.* Catharina nup. *Roberto Dormer de Dorton.* 2. Jacobus Bertu n. 20. Maji 1653. BARO Norris, C. d'ABINGTON cr. m. Dec. 1682. *Eleonora Henrici Lee Baronetti fil.* Eduardus Bertu † juv. Henricus Bertu. Maria.

3. Elisabetha.

Baronis Norris & locum inter Pares Angliæ obtinuit, novoque deinde à R. Carolo II. anno 1682. honore *Abbendoniæ*, quæ civitas est in Bercheria ad amnem *Isidem* sita, auctus est.

Scutum, quo tessera *Bertiorum* gentilitia exhibetur, *argenteum* est, *tres arietes*, qualibus olim in urbium oppugnationibus uti solebant, eosque *cæruleos* deferens: è *Galea leo* prospicit *auratus* & *alatus*. *Telamonum* vices à dextro clypei latere *anachoreta*, à sinistro *vir ferus* aut *silvestris* implent.

CAPUT XLVII.

DE COMITIBUS PETRIBURGI ET FAMILIA MORDANTIA.



PEtriburgus sive *Petropolis* oppidum Northantoniæ est, opulentissimo clarum monasterio, quod Wolpherus Rex Merciorum seculo Christiano VII. condidit ac dotavit; Henricus VIII. autem Angliæ Rex in Cathedralem mutavit Ecclesiam, Episcopo & Præbendariis Monachorum loco institutis. Urbem vero *Comitatus* titulo R. Carolus I. anno regni sui III. insignivit eoque JOHANNEM MORDANTUM honoravit. Hujus stemma *Dugdalius* (a) ab alio JOHANNE MORDANTO *de Turvey*, Armigero è Bedfordia oriundo deduxit, quem inter tribunos militares R. Henrici VIII. *Polydorus Vergilius* (b) enumerat, quemque togatarum etiam artium legumque scientia officio Cancellarii Ducatus Lancastriæ dignum reddidit, & ad Baronum Angliæ Ordinem provexit, ita ut inter Pares regni ad Parlamentum anno 1532. habitum evocaretur. Filium ejus *cognominem* R. Henricus VIII. in coronatione Annæ Bullenæ *Equitem Balnei* creavit; is post Eduardi VI. ad superos excessum arma pro Regina Maria inter primos corripuit, gnatumque post se reliquit LUDOVICUM, qui in numero Judicum Ducis Norfolciæ & Reginæ Scotorum Mariæ fuisse in *Annalibus Camdeni* legitur; pater Henrici, quo natus JOHANNES, honore *Comitis Petriburgi* à R. Carolo I. auctus est.

De hoc *Wilhelmus Sanderson* in *Historia* sua *de regno Caroli* I. memoriæ prodidit, quod Pontificius fuerit, uxorautem ejus Protestantium religioni addicta, quam ad suam traducere sententiam omni contenderit ratione, ita ut disputationem denique institueret Draytonii in Northantonia anno 1625. inter *Rock-Woodum*, vulgò *Beaumont* dictum, è Jesuitarum secta, & *Jac. Usherium* Primatem Hiberniæ habitam; in ea de Transubstantiatione, Invocatione Sanctorum, Imaginibus & Visibilitate Ecclesiæ per triduum acriter disceptatum, Jesuitam verò eò angustiarum redactum fuisse, ut ad extremum diceret: se prorsus à memoria sua deseri, sed justo Dei judicio infatuatum esse, quia ad hanc disputationem sine permissione Superiorum suorum accesserit; cum itaque haudquaquam ad spem eventus respondisset, conversum esse Mordantium, uxorem verò ejus in fide, quam amplexa erat, corroboratam. Cæterum filios ille duos genuit videlicet HENRICUM avitorum honorum hæredem, qui primus Anglorum Tangerio in Africa præfuit, postquam id R. Carolus II. à Lusitanis dotis loco acceptt, & Mutinensem legationem obiit, cum Maria Estensis Jacobo Duci Eboraci desponsata in Angliam deducenda esset, nec non JOHANNEM: Hunc R. Carolus II. ob fidem sibi ac genitori durissimis temporibus servatam, & multis magnisque documentis probatam, *Baronis* & *Vicecomitis* axiomate anno regni sui XI. remuneravit: gnatum vero ejus CAROLUM à Rege hodierno Wilhelmo III. ad *Comitis Monmuthiæ* dignitatem nuper provectum fuisse fama accepimus.

Insignia hujus familiæ *cantherium nigrum tribus radiis* ejusdem coloris *stipatum* in campo *argenteo* repræsentant: in *apice* caput *æthiopissæ* collotenus conspicitur, sustinentque clypeum *accipitres* argento tincti & radiis nigris notati.

(a) *Baronag.* III. 311. (b) *Hist. Angl.* LXXVI. p. 574.

CAPUT

SCHEMA FAMILIÆ MORTANTIÆ, COMITUM PETERBOROUGH, VICECOMITUM AVALON.

JOHANNES BARO MORDANT de Turvey, † 1562. *Elisabetha, Henrici de Vere B. de Draytonf.*

Johannes Baro Mordant de Turvey † 1571. *Helena, Richardi Fitz-Levves de West Thortonf.*

Dorothea nup. *Thomæ Moore Armigero.*

Ludovicus Baro Mordant de Turvey † 16. Jun. 1601. *Elisabetha, Arturi Darcie f.*

Henricus Baro Mordant de Turvey † . . . . *Margarita, Henrici B. Comptonf.*

Maria nup. *Thomæ Manfel.*

Johannes Baro Mordant de Turvey, COMES DE PETERBOROUGH cr. 9. Mart. 1627. † 18. Jun. 1642. *Elisabetha Hovvard, Wilhelmi B. Effingham. f.*

Henricus Mordant C. de Peterborough. *Eques Perisc. Penelope, Barnabæ O-Bryen C. Thomond. in Hib. f.*

Elisabetha nup. *Thomæ B. Hovvard de Escrik.*

Johannes Baro Mordant de Rygate VICECOMES Avalon cr. 10. Jul. 1660. † 5. Jun. 167[illegible]. *Elisabetha, Thomæ Ca-[illegible] C. Monmouth. f.*

Maria nup. *Henrico Hovvard Duci Norfolc.*

Carolus Vicecomes Mordant, COMES DE MONMOUTH cr. 1689. *Carya Alexandri Trasier Scoti fil.*

Henricus Mordant,

[illegible]vicus Mordant,

Osmundus Mordant,

Carola,

Carey,

Sophia,

Anna.

C A P V T XLVIII.

DE COMITIBUS WINCHELSAIÆ ET NOTTINGAMIÆ ET FAMILIA FINCHENSI.

PRoxime Petriburgensem Comitem sedet in Parlamento *Stamfordensis*, è *Grejorum* incluta oriundus familia, de qua superius (a) actum fuit; hujus latus claudit *Winchelsajensis.* Is ab antiquo in Sussexiæ litore oppido hujus nominis titulum derivat, à R. Carolo I. quarto regni ipsius anno institutum, in gratiam ELISABETHÆ FINCHÆ. Hæc gnata erat unica Thomæ Heneagi, (qui *Camdeno* (b) referente, Reginæ Elisabethæ ab adolescentia famulatus, primum, sacri Cubiculi Thesaurarius, deinde Vicecamerarius & Ducatus Lancastriæ Cancellarius factus est, vitæque elegantia, & festivi sermonis lepore ad aulam

 natus

(a) *Cap. XXII.* (b) *Annal. Elis. p. 653.*

SCHEMA FAMI-

COMITES DE WINCHELSAY ET NOTTINGHAM,

MOYLEUS FINCH de Eastwell, Eques Baronettus cr. 23. Jun. 1611. . . . . . Uxor *Elisabetha, Thomæ Heneage, Equitis filia, ac hæres unica*, VICECOMITISSA DE MAYDSTON, cr. 8. Jul. 1623. COMITISSA DE WINCHELSAY 1628. † 13. Marc. 1633.

Theophilus Finch, Eques † ante patrem improl. *Elisabetha, Christophori Hayden f.*	Thomas Finch COMES DE WINCHELSAY † 4. Nov. 1639. *Cecilia, Johannis Wentvvorth f.*	Johannes Finch.	Anna nup. *Wilhelmo Twisden de East-Peckham.*	Catharina Ux. *Johan. Wentvvorth de Gosfeild.*

Heneagius Finch C. de Winchelsay † Sept. 1689. 1. *Diana, Francisci B. Willoughby de Parham f.* 2. *Maria Seymour Wilhelmi D. Somerset f.* 3. *Catharina, Thomæ Northeliffe de Langton f.*	Johannes Finch.	Wilhelmus Finch	Francisca nupta *Wilhelmo Strikland de Boynton.*	Anna nupta *Wilhelmo Waller Eq.*	Cecilia Ux. *Erasmi Philips, Eq.*

2. Wilhelmus Finch B. Maydstone occ. m. Majo 1672. *Elisabetha, Thomæ Windham de Feldbragg-hal. fil.*	Heneagius Finch.	Thomas Finch.	Carolus Finch.	Leopoldus Finch.	Ladislaus Finch.	3. Catharina. 2. Johanna. 2. Francisca nup *Thomæ Thynne Armig.*

Mariamna.	Carolus Finch, Baro Maydstone, posthumus, n. 1672.

LIÆ FINCHENSIS.

BARONES DE MAYDSTONE ET FORDWICHE.

HENRICUS FINCH, de More, Eques, Moylei frater.

Heneagius Finch, Prætor Londinensis.	Franciscus Finch.	Wilhelmus Finch.	Robertus Finch.	Johannes Finch BARO de Fordwiche cr. 7. April 1640. † 20. Nov. 1660. *ætat.* 1. *Eleonora Georgii VVyat de Boyley f.* 2. *Mabella, Caroli Fotherby f.*

Catharina † inf.	Diana nup. *Nicol. Tooke de Gadington.*	Catharina Ux. *Ambrosii Moore, Armig.*	Heneagius Finch BARO de Daventre, C. de NOTTINGHAM cr. m. Majo 1681. Cancellarius Angliæ † 28. Dec. 1682. *Elisabetha, Danielis Harvy Mercatoris Londin. f.*	Johannes Finch Eques, Legatus Constantinop. † m. Dec. 1682.	Anna ux. *Eduardi C. Convvay.*

Daniel Finch C. Nottinghamiæ. *Essexia, Roberti Rich C. VVarvvic. fil.*	Heneagius Finch.	Wilhelmus Finch.	Carolus Finch	Eduardus Finch.	Henricus Finch.	Robertus Finch.	Maria, Elisabetha Ux. *Samuelis Grimston.*

natus videbatur) MOYLEO FINCHO *de Eastwel*, Equestris loci in Cantio viro, atque à R. Jacobo *Baronetti* honore aucto nupta, & egregiis animi corporisque dotibus prædita, ob quas, postquam vidua facta esset, à R. Jacobo I. anno regni ejus XXI. ad dignitatem *Vicecomitissæ de Maydston* evecta, à successore autem ejus *Comitissa de Winchelsay*, ceu diximus, creata fuit, ea tamen cum limitatione, ut sola mascula ejus progenies è legitimo nata matrimonio, successionis in hos honores capax esset.

Originem *Finchensis* stirpis *Dugdalius (a)* ad *Herbertum Fitz-Herbert*, *Finch* cognominatum, R. Eduardi I. stipatorem, refert, huncque ab *Henrico Fitz-Herbert*, qui Regi Henrico I. à cubiculo fuit, genus traxisse tradit, quod si ita se habet, gentiles Comitum Penbrochiæ & Montgommeriæ Finchi dicendi sunt. Horum autem familiam *Elisabetha Heneagia*, *Moylei Finchi* uxor, non opibus tantum & honoribus, sed numerosa etiam & felici prole adauxit: ex ea quoniam marium natu maximus THEOPHILUS matris fatum improlis prævertit, proximus ab eo THOMAS successionem honorum maternorum adiit, & primus *Comes Winchelseiæ* fuit, genitorque HENEAGII, qui singulari & perpetua fidelitate Regi Carolo II. durissimis in rebus præstita, novum sibi peperit honorem, ab illo respectu originis suæ *Baro Fitz-Herbert de Eastwek* anno 1660. creatus, necnon multo post Orator ad Ottomannicam Portam missus, quam spartam octennii spatio ornavit. Filiorum ejus natu maximum WILHELMUM, ad gloriam virtutis militaris via grassantem, fata in navali adversus Batavos pugna intercepere, globo majoris tormenti exanimatum, cum uxor ejus uterum ferret, quo deinde levata marem enixa est, dictum CAROLUM *Baronem Maydstone*, avi hæredem, siquidem in vivis superest; id quod exploratum non habeo.

Inter *Moylei Finchi* filios etiam HENEAGIUS fuit, ordine nativitatis quartus, Prætura Londini functus (quod officii Angli *Recorder* appellant) & parens filii *cognominis*: is cum juris civilis disciplinam principali exercuisset studio; prætereaque facili atque alacri *facundia* quam *genti Finchorum innatam* esse *Gregorius Leti (b)* testatur, præditus esset, per omnia togæ munia ad summum usque pertigit fastigium, Custos majoris sigilli & Cancellarius Angliæ d. 9. Nov. anno 1673. constitutus: quam ei dignitatem R. Carolus II. eodem prope temporis tractu honore *Baronis Finch de Daventre*, & elapso septennii spatio *Comitis Nottinghamiæ* axiomate, quod Caroli Howardi orbitate vacuefactum fuerat, cumulavit. Hac autem dignitate, unius tantum anni & quod excurrit spatio gavisus, atque exeunte anno 1682. morbo articulari, quo sæpe laboraverat, extinctus est, postquam ætatem ad annum primum supra sexagesimum prorogasset, & paucis ante diebus fratrem suum JOHANNEM FINCH, qui Legationem Constantinopoli egregia obierat fama, Londini mortuum amisisset.

Baronis *Finch de Fordwiche* nomen ad aliquam quoque claritudinem pervenit: is JOHANNIS nomen gerens, Moylei Finch è fratre nepos ob eloquentiam & legum peritiam qua præeminebat, anno 1627. ab Inferioris Parlamenti membris Orator delectus, atque à Regina munere Procuratoris sui generalis honestatus est. Supremus deinde Judex in Curia communium placitorum constitutus, denique anno 1639. Thomæ B. Coventry in officio Custodis Magni Sigilli, quod inter suprema Coronæ Angliæ munera secundum obtinet locum, & cum Cancellariatu conjunctum est, à R. Carolo I. surrogatus, atque in Baronum Ordinem evectus fuit. Illam vero dignitatem haud diu tenuit: sequenti enim statim anno, cum turbata jam Anglia à factione prævalente vexaretur, ingruenti vehementiori tempestati fuga se subduxit, atque in Belgio substitit, usque ad Regis Caroli II. restaurationem, cujus tamen fructibus à morte fraudatus est.

Tessera Finchorum gentilitia in clypeo *argenteo*, *cantherium nigrum* inter *tres Gryphos* gradientes ejusdem coloris positum, repræsentat.

CAPUT XLIX.

DE COMITIBUS KINGSTONIÆ ET FAMILIA PIERPONTANA.

WInchelsajæ Comitem *Kingstonensis* excipit, ab emporio nobilissimo, ad amnem *Hullum* in Eboracensi provincia sito appellationem trahens, quam primus consecutus est ROBERTUS PIERPONT Regis Caroli I. beneficio, anno regni ejus quarto. Origo familiæ *Pierpontanæ* è Gallia manavit; è qua *Robertum* cum Wilhelmo Conquestore in Angliam transmigrasse & acquisitis in Suffolcia & Suffexia opibus agrisque domicilium

(a) *Baronag. III. 447.* (b) *Theatr. Brit. P. II. Lib. 7.*

SCHEMA FAMILIÆ PIERPONTANÆ, COMITUM DE KINGSTON, MARCHIONUM DE DORCHESTER.

GEORGIUS PIERPONT, VVilhelmi F. Eques, † 21. Mart. 1564.

Henricus Pierpont, Eques Ux. *Francisca, VVilhelmi Cavendish de Chatsvvorth f.*

Robertus Pierpont, BARO de Holme-Pierpont, VICECOMES Nevvark cr. 29. Jun. 1628. COMES KINGSTONIÆ ad Hullam 25. Jul. 1629. occ. 30. Jul. 1643. *Gertrudis, Henrici Talbot fil. & cohæres.*

Gratia nupta *Georgio Manours de Haddon.*

Henricus Pierpont C. Kingston, MARCHIO DORCESTRIÆ cr. 25. Mart. 1645. † 1680. Ux. *Cecilia, Pauli Vicecom. Banning f.* 2. *Catharina, Jacobi Stanley C. Darb. f.*

Wilhelmus Pierpont de Thoresby † . . *Elisabetha, Thomæ Harris de Tonge-Castle fil.*

Franciscus Pierpont, de Notingham. ☾

Gervasius Pierpont.

Georgius Pierpont

Elisabetha.

Francisca † in juv.

---

1. Anna. Gratia. 2. Henricus Pierpont † ante patrem.

Robert. Pierpont † ante patrem. *Elisabetha, Johannis Evelyn de Dene. f.*

Henricus Pierpont † cœlebs.

Georgius Pierpont.

Francisca nup. Henrico Cavendish C. de Ogle.

Eleonora † infans.

Margarita † infans.

Gratia Uxor Gilberti Holles C. de Clare.

Gertrudis nupta Georgio Savile M. Halifax

Francisca nup. Wilhelmo B. Paget.

Robertus Pierpont Comes de Kingston † Ux. . . . .

Gertrudis.

Wilhelmus Pierpont, Comes de Kingston. *Anna Grevill, Roberti Bar. Brook fil. ac hær.*

cilium illic fixisse autor noster (a) tradit: posterorum vero ejus justam seriem non satis explicatam habens, enumeratis obiter quibusdam, quorum vel in coenobiorum archivis, vel in annalium monumentis mentionem reperit (quales sunt *Simon* & *Robertus Pierpontii*, qui R. Henrici III. ætate vixerunt, quorumque posterior partes ejus adversus Barones rebelles secutus, in prælio apud *Levves* pari cum Rege sorte captus fuit; *Henricus Pierpont*, qui Eduardo I. regnante claruit, atque *Annoram* Michaelis *Maluvers* Baronis *de Holme* filiam unicam in matrimonio habuit. *Simon Pierpont* qui anno regni dicti Regis XXXIII. ad Parlamentum inter Pares evocatus fuisse legitur, *Edmundus Pierpont*, qui sub Henrico Duce Lancastriæ in Gallia militavit, *Henricus* à R. Eduardo IV. prædio *Stabeley* in Darbia donatus aliique) continuam demum telam à WILHELMO PIERPONT texuit; Is Regi Henrico VIII. coævus pater fuit GEORGII, quem R. Eduardus VI. altero ab inauguratione sua die, equestri honore ornavit, avum è gnato HENRICO ROBERTI. Hunc animi pariter ac fortunæ ornamentis redundantem, R. Carolus I. anno regni sui III. Paribus regni sub titulo *Lord Pierpont de Holme-Pierpont* aggregavit, prætereaque *Vicecomitem Nevvark* creavit, & sequenti anno *Comitis de Kingston* dignitate auxit. Hæc eximia dicti Regis beneficia, ut duris ejus rebus demereretur Pierpontius, nihil reliqui fecit, neque ab officio vel latum unguem discessit; cum vero exorto bello civili regiis copiis Locumtenentis Generalis titulo præfectus fuisset, accidit ut apud *Gaynesburgum* in Lincolnia in conflictu quodam ab adversariis caperetur; quod ubi regii observarunt, omnes ad eum hostibus eripiendum nervos intenderunt, infausto tamen eventu; jaculo enim fortuito ille ictus ac extinctus fuit.

HENRICUS PIERPONT, *Roberti* F. cum paternam imitatus fidelitatem sæpe dicto Regi studium obsequiumque suum difficillimis probasset temporibus, tum ob propria, tum ob paterna merita, ad altiorem honoris gradum provectus & *Marchio Dorcestriæ* anno regni ejus XX. creatus est: quæ dignitas una cum ipso mascula prole orbato iterum expiravit; in honorem vero Comitis Kingstonensis successit avito jure ejusè fratre WILHELMO pronepos ROBERTUS PIERPONT, qui extremo regni Caroli II. tempore rebus humanis exemptus eundem WILHELMO, filio suo, reliquit: is enim cum uxore *Anna Grevilla* coronationi R. Jacobi II. illa in qualitate adfuisse in Historia sollemnium illorum memoratur.

Scutum, quo *Pierpontii* utuntur, *argenteum* est, & *leonem erectum nigrum* inter *octo flores pentaphyllos coccineos* exhibet.

CAPUT L.

DE COMITIBUS CAERNARVONIÆ ET FAMILIA DORMERENSI.



Aërnarvonia, quæ Cambriæ regio est, & mari adjacet, primum Comitem Rex Carolus I. anno regni sui IV. creavit ROBERTUM DORMERUM. Hujus genealogiam *Dugdalius* (b) inde ab abavo ejusdem nominis texuit; cui uxor erat *Jana*, *Thomæ Nevvdigati filia*. *Ea Pontificiæ religioni devotissima* cum post mariti mortem in Belgium ac Hispaniam, licentia non impetrata, se subduxisset, antiquis autem Angliæ legibus sub pœna publicationis bonorum cautum esset, *ut nulli nisi regni magnates & mercatores sine speciali Regis venia regno exirent, nec in exteris regionibus nisi ad præfinitum tempus permanerent*, intercessit apud Reginam Elisabetham Rex Hispan. Philippus II. per legatum, curante Comite Feriæ, qui *Janam Dormeram*, illius neptem, in conjugio habebat, ut illa bona Reginæ venia in Belgio aut in Hispania permanere posset; sed rescripsit Elisabetha, *exemplo caruisse, ut ejusmodi venia perpetua à patria absentiæ mulierculis concederetur: & quanquam res ipsa per se nullius momenti videretur, cum tamen illi non tantum inde boni caperent ad commoditatem privati beneficii, quantum alii sumerent animi ex exemplo ad Reip. detrimentum non permittendum censuisse.* Hac repulsa animum Hispani ab Elisabetha jam alienatum, faces subjiciente Comite Feriæ, gravissimam contraxisse offensam *Camdenus*, (c) cujus fere verbis hæc retulimus, memoriæ prodidit.

Pariatus honorem primus hac ex familia indeptus est ROBERTUS *Dormerus*, prioris nepos, à R. Jacobo I. anno regni ejus XIII. *Baro Dormer de Wenge* creatus & trium pater filiorum, quos inter natu maximus vivis ante genitorem exemptus, gnatum post se reliquit, cui iterum ROBERTO nomen fuit, eundemq; qui cum in Caroli Regis benevolentiam ac existimationem se insi-

(a) *Baronag. III. 457.* (b) *Baronag. III. 418.* (c) *Annal. Elisab. p. 46. & 47.*

se insinuasset, ad altiorem gradum, videlicet, *Vicecomitis Ascot* & *Comitis Caernarvoniæ* pertigit. Fuisse celebratur à *Dugdalio* eximia fortitudine ac fidelitate, earumque virtutum multa atque egregia dicto Regi dedisse documenta, ita ut sanguinem denique & spiritum pro eo in *Neuberiensi* prælio profunderet, relicto honorum hærede filio CAROLO, quem hodieque superesse ac illis frui censeo.

Insignia Dormerensis familiæ *plinthides decem aureas* referunt in scuto *cæruleo*, quod *cephalo* distinguitur, *leone nigro emergente* ornato.

Tab. LXXX.

SCHEMA FAMILIÆ DORMERENSIS.

ROBERTUS DORMER, Eques: Uxor *Jana Thomæ Nevvdigati fil.*

Wilhelmus Dormer de Ethorpe Eques Balnei cr. 1553. † . . . . . Ux. 1. *Maria VVilhelmi Sidney f.* 2. *Dorothea, Antonii Cathesby de VVhitston f.*

1. Jana nup. *Gomezio Suarez de Figueroa Com. de Feria in Hisp.*	2. Robertus Dormer II. Baronettus, & BARO Dormer de Wenge cr. 1615. † 1616. *Elisabetha, Antonii Brovvne Vicec. Montague fil.*	Catharina Uxor *Johannis Bar. St. John de Bletsho.* † 23. Mart. 1614.	Maria nupta *Antonio Brovvne Vicec. Montague.*	Margarita Ux. *Henrici Constable Eq.*

Wilhelmus Dormer † ante patrem. N. *Richardi Molineux de Seston f.*	Antonius Dormer de Grove parke.	Robertus Dormer de Peterley.	Elisabetha nup. *Henrico Hudleston.*	Magdalena. Ux. *Johannis Curson.*	Catharina nup. *Joh. Carrill.*

Robertus Baro Dormer de Wenge, VICECOMES ASCOT, COMES DE CAERNARVON cr. 2. Aug. 1628. occ. 20. Sept. 1643. *Anna Sophia Herbert, Philippi C. Pembr. & Montgom. f.*	Elisabetha nup. *Eduardo Somerset M. VVigorn.*

Carolus Dormer, Comes de Caernarvon, Vicec. Ascot. 1. *Elisabetha, Arturi B. Capel f.* 2. *Maria.*

1. Carolus Dormer †	Wilhelmus Dormer. †	Elisabetha nup. *Philippo Stanhope C. de Chesterfeild.*	Isabella.	Anna Sophia.

CAPUT LI.

DE COMITIBUS CESTRENSIS CAMPI ET FAMILIA STANHOPENSI.



Cestrensis Campus, Anglis *Chesterfield* dictus, oppidum denotat in Darbia situm, quod Comitatus titulo R. Carolus I. anno regni sui IV. insignivit in gratiam PHILIPPI STANHOPE, à R. Jacobo anno regni ipsius XIV. ab Ordine Equestri ad Baronatum provecti. Hunc verò honoris gradum non ille è gente sua primus consecutus est, sed præoccupaverat eum propatruus ipsius JOHANNES STANHOPE à dicto Rege Jacobo, cui à cubiculo erat, anno regni ejus tertio *Baro Stanhope* creatus, quique in eo successorem habuit filium CAROLUM, sine prole regnante Carolo II. mortuum.

SCHEMA FAMILIÆ STANHOPENSIS, COMITUM DE CHESTERFIELD.

EDUARDUS STANHOPE de Shelford. *Elisabetha*, *Fulconis Bourchier B. Fitz-VVarine f.*

Michael Stanhope de Shelford, Eduardi F. Eques. *Anna*. . . . . .

Anna Ux. *secunda Eduardi Seymour D. Somerset* † 17. Mart. 1587.

Thomas Stanhope de Shelford. *Margarita*, *Johannis Port ab Estvvall f. & coh.*

Johanna Uxor. *Henrici Radcliffe.*

Johannes Stanhope, Eques, BARO de Harington cr. 4. Maji 1605. † *Margarita*, *Henrici Mac-Williams de Stanborne f.*

Johannes Stanhope de Shelford † . . . . . *Cordula*, *Richardi Allington Armig. f.*

Carolus Baro Stanhope de Harington † improlis . . . . . *Dorothea*, *N. C. de Nevvburgh f.*

Elisabetha nupta *Lionello Talmache, Baronetto.*

Catharina Ux. *Roberti Vicec. Cholmley de Kellis C. de Lemster in Hib.*

Philippus BARO Stanhope de Shelford cr. 7. Nov. 1616. COMES DE CHESTERFIELD 4. Aug. 1628. † 12. Dec. 1656. Ux. 1. *Catharina, Francisci Bar. Hastings f.* 1636. 2. *Anna*, *Johannis Packington de VVestvvood f. Humphredi Ferrers vid.*

1. Ferdinandus Stanhope occ. pro Rege Carolo I.
1. Philippus Stanhope occ. pro R. Car. I.
1. Georgius † juv.
1. Michael † juv.
1. Wilhelmus † juv.
1. Thomas † juv.
1. Eduardus † juv.
1. Carolus † juv.
1. Johannes † juv.

1. Henricus Stanhope † 29. Nov. 1634. *Catharina Thomæ B. Wotton fil. & coh.*

1. Arturus Stanhope.

1. Sara nupta *Richardo Houghton de Houghton-Tovver.*

1. Elisabetha, Uxor *Eduardi Carey de Newball.*

2. Alexander Stanhope.

Philippus Stanhope II, Comes de Chesterfield. 1. *Anna Percy*, *Algernonis C. Northumbr. f.* 2. *Elisabetha Butler*, *Jacobi D. Ormond. f.* 3. *Elisabetha Dormer*, *Caroli C. Caernarvon. fil.*

Maria † innup.

Catharina nupta *Wilhelmo Baroni Allington.*

1. Algernon Stanhope † infans.

2. Henricus Stanhope † infans.

Elisabetha.

3. Philippus Stanhope.

Carolus Stanhope.

Nativum *Stanhopiorum* solum in Nottinghamia fuit, ubi sub regno Eduardi III. *Johannes Stanhope de Kampton* procurationem fisci obiit, pater alterius *Johannis*, qui Stephani *Maluvel* filiam ac hæredem in matrimonio habuit. Hoc satus est *Richardus*, *Sheriffi* munere in dicta regione nec non in Darbia functus: ab hoc per gradus ab autore nostro non enumeratos descendit *Eduardus Stanhope*, qui Henrico VIII. regnum moderante Castro *Sandale* in Eboracensi diœcesi *Comestabilis* præfuit, aliquot filiorum pater; hos inter secundus nascendi sorte extitit MICHAEL STANHOPE qui Armiger initio, & postea equestri honore auctus, prædium *Shelford* in Nottinghamia a. 1539. acquisivit. Eum avum agnovit JOHANNES STANHOPE, Thesaurarii nec non Comestabilis castri Colcestrensis officiis sub Elisabetha functus, & genitor PHILIPPI initio memorati, qui novos familiæ suæ honores peperit, & duodecim mares suscepit, quorum tamen plerorumque funera turbato mortalitatis ordine, extulit: septem quippe priores mors fato propera immatura occupavit ætate, PHILIPPUM & FERDINANDUM, civile bellum, cum regias propugnarent partes, hausit; HENRICUS, quem paterna manebat hæreditas, morbo naturæ debitum reddidit, ut adeò è numerosa sobole duo tantum mares, iique natu minimi, fato genitoris superfuerint, & successio in honores ab illo acquisitos ad nepotem è dicto *Henrico* natum, nempe PHILIPPUM II. hodieque, nisi fallor, superstitem transierit.

Insignia Stanhopensis familiæ scuto constant *quadripartito* cujus 1. & 4. areola *argentea maculis muris Pontici* respersæ sunt, 2. verò & 3. *rubent*.

CAPUT LII.

DE COMITIBUS THANETÆ ET FAMILIA TUFTONENSI.

JAm ad *Thanetensem* Comitem ordine deducimur, qui ab *insula* hujus nominis in Cantio sita, & tenui intercurrente alveo à continente per amnem *Stoure* divisa, titulum derivat; genus verò repetit ab antiqua & nobili familia, cui à loco, priscis *Toketon*, recentioribus *Tufton* appellato, & in Suffexiæ Comitatu sito, cognomentum fuit. Ex ea Eduardo I. regnante claruit *Rogerus de Toketon* Julianæ *Campain* maritus, à quo sanguinem duxisse *Dugdalius* (a) tradit, JOHANNEM TUFTON *de Hothefeild* in Comitatu Cantii, quem *Sheriffi* titulo procuravit, cætera Armiger, & pater filii *cognominis*. Hunc R. Jacobus I. Equestri honore & *Baronetti* axiomate adauxit; filium autem ejus NICOLAUM R. Carolus I. ad Baronum Angliæ Ordinem, necnon dignitatem *Comitis Thaneta* provexit; quos in honores illi successit JOHANNES III. sex filiorum genitor, è quibus natu minimus GEORGIUS Electori Palatino militans mortem oppetiit, maximus NICOLAUS II. avitorum hæreditatem honorum adiit, eamque fato suo inter mensem Octobrem anni 1679. & Martium sequentis anni functus ad fratrem RICHARDUM TUFTON transmisit; huic autem intra paucorum annorum spatium rebus humanis exempto, alius iterum frater nempe THOMAS TUFTON successit.

Scutum, quo *Tuftonensis* familia uti solet, *rubeum* est, *argenteo* distinctum *margine*, & *aquila eodem tincta metallo*, insignitum.

(a) Baronag. III. 454.

SCHEMA FAMILIÆ
COMITUM DE

JOHANNES TUFTON de Hothfeild, Armiger, † 1567.

Johannes Tufton, Eques & Baronettus † 2. April. 1624.
1. *Olympia, Christophori Blovver de Raynham fil. & her.*
2. *Christiana, Humphredi Brovvn f. & coh.*

1. Anna nup. *Francisco Tresham de Kuchton.*	Elisabetha. † juvenis.	Margarita. Ux. *Thomæ Carill de Shipley.*	2. Nicolaus BARO Tufton de Tufton cr. 1626. COMES de Thanet 1628. † 30. Jun. 1632. *Francisca Cecill Thomæ C. Exon. f.*	Johannes Tufton.	Humphred. Tufton de More, Baronettus. N. *filia Herberti Morley de Glina.*

Wilhelmus Tufton † infans.	Johannes Tufton Com. de Thanet † 7. Maj 1664. *Margarita, Richardi Sackville C. Dorset f.*	Nicolaus Tufton.	Cecilius Tufton.	Elisabetha Ux. *Edwardi Dering de Surrenden.*	Francisca † innupta.

Nicolaus Tufton II. C. de Thanet † . . . . *Elisabetha, Richardi Boyle C. Burlington. f.*	Johannes Tufton †	Richardus Tufton C. de Thanet † 18. Mart. 1684. improlis.	Thomas Tufton C. de Thanet. *Catharina Cavendish Henrici D. de Nevv-Castle f. 1684.*	Sackvillus Tufton.

TUFTONENSIS
THANET.

Maria Johannis Baker de Sittinghurst f.

Cecilia nupta *Thoma Saunder Eq.*

Richardus Tufton Armiger † Oct. 1631. *Chrysogon, Herberti Morley de Gline f.*	Wilhelmus Tufton, Baronettus.	Thomas Tufton	Cecilia nup. 1. *Edvardo Hungerford.* 2. *Francisco Manners C. Rutland.*	Maria nup. *Henrico Constable de Burton, Vicecom. Dumbar in Scot.*	Anna †juv.	Elisabetha †juv.

Dorothea Ux. *Radulphi Ashton.*	Maria nup. *Edvardo Bishop de Parham.*	Anna †juv	Alicia. †juv.	Diana nupta *Roberto Curson.*	Cecilia † in. nup.	Christiana Ux. *Milwardi de Eaton.*

Georgius Tufton † in Palatinatu.	Anna. †juv.	Margarita Ux. *Georgii B. Coventrie.*	Francisca nupta *Henrico Drax de Boston.*	Cecilia Ux. *Christophori B. Hatton.*	Maria nup. *Wilhelmo Walter de Saresden.*	Anna Ux. *Samuelis Grimston.*

CAPUT LIII.

DE COMITIBUS PORTLANDIÆ ET FAMILIA WESTONENSI.

Portlandiam, quondam insulam, portui *Weymouth* in Dorsettensi provincia objectam, nunc autem continenti annexam, in *Comitatum* Rex Carolus I. anno regni sui octavo, qui seculi, quo agimus XXXIII. fuit, die 17. Februarii erexit, eoque RICHARDUM WESTON decoravit. Is legationibus illustrari cœpit, quas in Germania Belgioque nomine R. Jacobi ob bellum inter Cæsarem ac Electorem Palatinum ortum obierat. Admotus postea ærario regio ea in inferioribus muniis prudentiæ ac integritatis documenta dedit, ut summi Angliæ Thesaurarii officio dignus haberetur, quo a. 1628. die XV. Julii auctus fuit, postquam tertio abhinc mense inter Pares Angliæ, sub titulo *Baronis Weston de Neyland* cooptatus fuisset. A. 1630. insignibus *Ordinis Georgiani* ornatus & sequenti anno Vectensi insulæ præfectus, biennioque post *Comes Portlandiæ* creatus, interjecto brevi temporis intervallo, anno scilicet 1634. mense Martio vitam cum morte commutavit. *Patrem* habuit *Hieronymum Weston de Roxwell* in Essexia, avum *Richardum*, uxores duas, primo *Elisabetham*, Wilhelmi *Pinchion de Writtle* filiam, è qua marem unicum *Richardum*, ante se immaturo extinctum fato, & fœmellas duas suscepit, nempe *Elisabetham* Johanni *Nettervile*, & *Annam*, Waltero *Aston* nuptas. Secunda illi uxor fuit *Francisca*, Nicolai *Walgreve de Boreley* gnata, cum qua *filios tres, gnatas quatuor* genuit; videlicet

I. HIERONYMUM, qui in honores paternos successit, & die 16. Mart. a. 1663. decessit, relictis è *Francisca Stuarta*, Esmei Ducis Lenoxiæ filia, Uxore sua, liberis duobus diversi sexus; *Henrica Maria*, nec non CAROLO WESTON *Comite Portlandiæ* in pugna navali cum Batavis d. 3. Jun. 1665. commissa, cæso.

II. THOMAM, qui post modo dicti *Caroli*, nepotis sui è fratre, fatum *Comitis Portlandiæ* titulum adscivit, atque in matrimonio habuit *Annam*, Johannis Bar. *Butler de Bramfeild* filiam, quam viduam Montjoji Com. de Newport duxit, prolem verò ex ea non suscepit.

III. BENJAMINUM, quem fraterna manebat hæreditas, maritum *Elisabethæ*, Thomæ *Sheldon de Houby* gnatæ, antehac Christophoro Villers Com. de Anglesey nuptæ; eum verò æque ac fratrem *Thomam* in Libitinæ rationem jam venisse suspicor, eo quod Portlandiæ Comitis titulum à Rege hodierno Wilhelmo III. Domino *Benting* collatum esse, rumor incessit.

IV. *Annam*, Basilii Baronis *Fielding*, postea Denbighiæ Comitis uxorem primam.

V. *Franciscam*, Philippo *Draycote de Paynesley* elocatam.

VI. Denique *Catharinam*, Richardo *White de Hatton* nuptam.

Digma gentilitium hujus familiæ *aquila* constat *nigra*, in *aureo clypeo* picta.

CAPUT LIV.

DE COMITIBUS STRAFFORDIÆ ET CLEVELANDIÆ FAMILIAQUE WENTWORTHENSI.

Portlandiæ Comitem proximè sequitur *Straffordensis* ex antiqua & nobili in Eboracensi diœcesi familia *Wentworthorum* prognatus, quæ *Clevelandiæ* etiam *Comites* dedit. Utrorumque prosapiam autor noster (a) perstrinxit potius quam recensuit, & breviore quam vellem filo deduxit, nequeagnationis connexionem ostendit; id tamen innuit Straffordiæ Comites à capitali Wentworthensis stirpis ramo ortos esse. Primus ex eo honorem illum consecutus est THOMAS WENTWORTH *Wilhelmi* filius. Hunc summa prudentia & dexteritate virum R. Carolus I. anno regni sui IV. è loco equestri ad Baronum ordinem extulit, & *Vicecomitem* creavit. Hiberniæ postea vicaria potestate præpositum, elapsis duobus lustris novis honoribus *Baronis de Raby* & *Comitis Straffordiæ* auxit, prætereaque *aurea Ordinis San-Georgiani Periscelide* ornavit. Postquam verò dissidia Regem inter & Scotos orta, in bellum, quo omnis deinde Britannia flagravit, exarsissent, excitus cum quantas poterat contrahere copiis ex Hibernia ab illo fuit, & Scotis, eruptionem in Angliam molientibus, objectus, cum quibus quidem apud amnem *Tuedam* manum improspero conseruit eventu. Rege exinde Parlamentum indicere coacto, *Straffordiæ Comes* exeunte anno 1640. perduellionis accusatus, & in Turrim Londinensem conjectus est; præcipua accusationis capita erant, quod in Hibernia

(a) *Dugdal. Baronag. III. 463.*

SCHEMA COMITUM DE STRAFFORD ET DE CLEVELAND E FAMILIA WENTWORTHENSI.

WILHELMUS WENTWORTH de Wentworth-Woodhouse Baronettus.

Thomas BARO & VICECOMES Wentworth, cr. 22. Jul. & 10. Dec. 1628. Baro de Raby & COMES DE STRAFFORD 12. Jan. 1639. *Eques Perisceel. decoll.* 12. Maji 1641. Ux. 1. *Margarita, Francisci Clifford. C. Cumbriæ. fil.* 2. *Arabella, Johannis Holles Com. de Clare f.* 3. *Elisabetha, Godofredi Rodes de Great-Houghton f.*

2. Wilhelmus Wentvvorth, Comes Strafford *Eq. Perisc. Maria Stanley, Jacobi C. Darbiæ f.*	Anna nupta *Eduardo de Rockingham.*	Arabella Ux. *Justini Macarti, filii Comitis de Clancart.*	3. Margarita.

THOMAS BARO WENTWORTH, Richardi Wentworth de Nettested F. † 3. Mart. 1552. *Margarita, Adriani Fortescue f.*

- Thomas Baro Wentvvorth † 1590. *Anna, Johannis Wentvvorth de Gosfeild f.*
- Henricus Wentworth.
- Richardus Wentworth.
- Philippus Wentworth.
- Johannes Wentworth.
- Eduardus Wentworth.
- Jacobus Wentworth.
- Rogerus Wentworth.
- *Poly.*
- Anna Uxor *Johannis*
- Cecilia.
- Maria.
- Elisabetha.
- Margarita nupta 1. *Johanni B. Williams de Tame 2. Wilhelmo Darcie Eq. 3. Joh. Crofts Eq.*
- Johanna.
- Catharina.
- Dorothea.

Wilhelmus Wentvvorth † ante patrem. *Elisabetha Cecill, Wilhelmi B. Burleigh f.*	Henricus B. Wentvvorth † 1593. *Anna, Ovveni Hopton Eq. f. Wilhelmi Pope vid.*	Elisabetha nupta *Wilhelmo Hynde....*

Thomas Baro Wentvvorth de Nettlested, COMES DE CLEVELAND cr. 5. Febr. 1626. † 25. Mart. 1667. Ux. 1. *Anna, Johannis Crofts de Saxham f.* 2. *Catharina, Johannis Wentvvorth de Gosfeild fil. & coher.*

1. Thomas Baro Wentvvorth † ante patrem. Ux. N. *Ferdinandi Carye f.*	Wilhelmus Wentvvorth. †	Maria nup. *Johanni B. Lovelace.*	Anna † innup.	2. Catharina.

Henrietta Maria.

nia & Borealibus Angliæ partibus, quas gubernasset, arbitrariam potestatem, & legibus adversam exercuisset, quod proventus Regis sine computatione recepisset, quod Pontificiam religionem in Hibernia promovisset, quod malitiose conatus esset odia Anglos inter ac Scotos serere, & Parlamenta subvertere Regisque animum illuc impellere : Has ad objectiones respondendo & purgando sese Comes nihil aliud nisi gravius odium & *Billam attinctura*, (ita Angli damnatoriam vocant tabellam) acquisivit, qua perduellionis reus pronunciatus, quamque Rex fremens mœrensque ut sua confirmaret subscriptione se perpelli passus est, id quod, cum illi à Dudlejo Carletono, qui Regi ab epistolis erat, nunciatum esset, oculis in cœlum sublatis & pectore palmis tuso dixisse cum gemitu memoratur : *nolite Principibus, nolite homine nato confidere, cui salus non est.* Festinatam à proceribus populoque Straffordiæ Comitis condemnationem ideò fuisse referunt, quod insidiæ in Parlamenti exitium structæ sub idem tempus detectæ essent, quarum pars fuit, ut ille è custodia eriperetur & exercitui Hibernico, in quo equitum peditumque octo millia, majori parte Pontificiæ religionis, recensebantur, præficeretur. Die itaque XII. Maji anni 1641. ad feralem & magnatum suppliciis frequentissime cruentatum locum, quem *Tovver-Hill* vocant, ductus ac securi percussus est, postquam ad Primatem Hiberniæ, qui tum *Jacobus Usserius* erat, populumque hanc habuisset orationem : (a).

Ingens mihi solatium tua, Domine Primas, præsentia hodiè affert, eoq; nomine Deo pariter & tibi gratias habeo, considerans, quod jam à multis annis tibi sim cognitus. Oppido gauderem si pauca dicturus silentium & vacivas aures impetrare possem, sed major est strepitus, quam ut sperare hoc liceat. Venio hunc in locum ex bona voluntate & beneplacito omnipotentis Dei, ut ultimum peccato persolvam debitum, videlicet mortem, gratia ejusdem Numinis & per meritum JESU Christi ad justitiam & æternam vitam resurrecturus. Veni huc, ut me submittam judicio, quod adversum me latum est : mentem ad id quietam & contentam affero, omnibus ultrò ignosco, non verbis tantùm, sed sincerè & ex animo. Deum, coram quo constitutus sum, testem voco, ne cogitatione quidem infensa contra quamlibet creaturam me tentari. Gratias ago Deo, veraq; prædico, conscientia mea testimonium mihi perhibente, nihil mihi Regis populique salute antiquius fuisse inde ab illo tempore, quo facultate Majestati suæ inserviendi honestatus sum, nec aliò mea collimasse consilia in omnibus, quæ mihi demandata fuere, negotiis, quàm ut Rex populusq; communi & individua fruantur incolumitate : quod verò in deteriorem partem actiones meæ raptæ fuerint, malignitati fortunæ imputo, cui haud ego primus succubui. Dum hic in terris agimus, communi quadam sorte omnes & singuli erramus : rectius judicium aliunde opperimur ; hic autem pravo invicem judicio nimium quantum obnoxii sumus. Est, quo levari impensè cupio, neque verò voti hujus potero compos fieri, nisi à vestra charitate Christiana impetravero, ut fidem mihi adhibeatis : nimirum hoc persuasissimum usque habui, Parlamentum Angliæ felicissimam esse constitutionem, qua vel regnum ullum vel gens ulla gaudeat, & secundum providentiam Divinam præstantissimum remedium, ad reddendum beatum Regem populumque : tantum abest, ut Parlamento sim adversatus. Quod necem meam attinet, ejus culpa omnes exsolvo, Deumq; in cœlis animitus precor, ut illis ignoscat ; licet quoad intentionem & propositum animi mei innocens sim & immunis delicti, cujus ergò mors mihi subeunda est. Et profectò, Domine Primas, maximo mihi est solatio, haud dignum me pœna usque adeò severa & cruenta, qualis extrema hujus sententiæ executioni inest, à Regia Majestate deputari, hoc sanè ejus gratia mirificè lætor, Deumq; rogo, ut id ei rependat, suamque non deneget gratiam, quando ea opus est habiturus. Opto huic regno quantamcunque maximam felicitatem & prosperitatem ; hæc votorum summa viventi erat, est etiam morienti. Summa humilitate hoc omnibus, quotquot me audiunt, commendo, & expeto, ut manum pectori admoveant, & seriò expendant, an initia reformationis regni alicujus, quam feliciter evenire cupimus, sanguineis scribenda sint literis : Hûc considerationem intendite, cùm domi vestræ eritis, nec usque adeò infelicem me fieri patimini, ut extrema sanguinis mei gutta adversus quempiam vestrum in judicium exsurgat : omnes equidem vos absolvo, at vereor, ne in mala sitis constituti via. Domine, profiteor finem jam facturus, mori me tanquam fidelem & obsequiosum Ecclesiæ Anglicæ filium, utpote in qua natus sum atque educatus : pax ac incolumitas æternum sit super ea ! Quod verò objectum mihi est (si tamen digna est responsione objectio) ad Papismum me propendisse, sanctè affirmo, quod à vigesimo & primo ætatis meæ anno, ad hoc usque tempus, quo nonum supra quadragesimum ago, nunquam mihi in mentem venerit dubitare de veritate hujus Anglicæ religionis, neque unquam quisquam ausus sit dubitationem mihi injicere, quantum memini. Ita reconciliatus per meritum J. C. Salvatoris mei spero, me brevi in sinum ejus ad perennem illam & nullum finem habituram felicitatem receptum iri. Peto ab omnibus & singulis veniam, quoscunque vel verbo inconsiderato vel reipsa offendi : atque ita Domini mei & populares valete ! Valeant mundana cuncta ! Cupio ut silentium teneatis, vestrasque meis jungatis preces ; confido in Deum fore, ut nos invicem in cœlo revideamus, & æterna illic vita fruamur, ubi ab oculis nostris omnes abstergentur lacrymæ, omnisque à cordibus nostris mæstitia auferetur : itaque benedicat Deus regno huic, & Jesus animæ meæ sit propitius !

In

(a) *Sanderson. Hist. Caroli I.*

In liberos Comitis Straffordiæ non fuit sævitum,nec patrimonium eorum fisco addictum, sed concessum ut illo ex genitoris dispositione uterentur ac fruerentur: WILHELMUS, filius ejus unicus, honorum successionem adiit, quos ipsi Carolus II. post recuperatum regnum novis auxit ornamentis,aggregando eum Equitibus San-Georgiani ordinis & secretiorum consiliorum arbitris.

De altero Wentworthensis stirpis ramo, è quo *Clevelandiæ Comes* provenit, non nihil dicendum superest: ejus satorem *Dugdalius (a)* RICHARDUM WENTWORTH *de Nettlested* in Com. Suffolc. equitem, constituit, qui pater fuerit THOMÆ ad Parlamentum anno regni Henrici VII. vigesimo primo evocati, & deinde apud Eduardum VI. primi Cubicularii officio functi. Enumerosa, quam is genuit, prole, filii duo naufragio anno 1563. perierunt inter subsidiarios, *Franciscopolin*, quam nunc *Portum Gratiæ* vocant, & Angli tunc tenebant, missos,quemadmodum *Camdenus* memoriæ prodidit, marium autem natu maximus THOMAS II. submonitione ad Comitia anno regni modo dicti Regis sexto indicta honestatus atque à regina Maria Caleti præfectura, quam postremus ex Anglis tenuit, auctus fuisse legitur. Ei HENRICUS filius secundus (primogenito WILHELMO patri superstiti prærepto) successit, genitor THOMÆ III. quem R. Jacobus in sollemnibus creationis Henrici Principis Walliæ, *Equitem Balnei* fecit, deindeque tituli *Baronis Wentvvorth de Nettlested* insignivit, Carolus vero ad regnum evectus honore *Comitis Clevelandiæ* (quæ Eboracensis Comitatus partem constituit) adauxit, suoque satellitio præfecit. Cum vero difficillimis dicti Regis temporibus, probi ac fidelis ministri partes exequeretur, carcerem aliaque dura perpessus est, quorum denique finem Deus per felicem R. Caroli II. restaurationem, illi dedit, ita ut extremis vitæ annis in pristina dignatione transactis naturali morte decederet, prole tamen mascula omni orbus, ceu videtur, factus: nullum enim è sua propagine successorem in Comitis Clevelandiæ honore habuit.

Scutum Wentvvorthensis familiæ *nigrum* est, & *cantherium aureum* inter *capita leopardorum tria, eodem metallo tincta*, positum repræsentat.

CAPUT LV.

DE COMITIBUS SUNDERLANDIÆ ET FAMILIA SPENSERIA.



Underlandiæ Comitis honorem Rex Carolus I. tertio regni sui anno instituit, eodemque *Emanuelem* Baronem *Scroope de Bolton* ornavit. Is perantiqua & illustri familia, quæ Eduardo II. regnante in Parium Ordinem pervenit, prognatus, parentes habuit *Thomam* Baronem *Scroope*, & *Philadelphiam*, Henrici B. *Hunsdon* gnatam, avum *Henricum* B. *Scroope de Bolton*, Ordinis *Periscelidis* Equitem, & Occidui Limitis versus Scotiam præfectum, anno 1592. vita defunctum, aviam *Margaritam Hovvardam*, Henrici C. Surriæ filiam. Uxor illi ducta est *Elisabetha Mannours*, Johannis C. Rutlandiæ gnata, è qua nullam suscepit prolem, ita ut quem adeptus est honos, cum ipso emarcesceret; nothos tamen post se reliquit,sed hæreditatis illius incapaces. Revixit autem aliquo temporis spatio interjecto Sundetlandiæ Comitis honos, atque à Rege supra dicto a. 1643. in *Spenseriam* insitus est familiam.

Hæc à prisca illa & famosa stirpe defluxisse *Dugdalio* videtur, quæ HUGONES SPENSEROS *Senioris* & *Junioris* agnomentis, quod pater esset alter, alter filius, distinctos, & Regis Eduardi II. favore, corruptelisque ac flagitiis nec non condigno illis exitu nobilitatos, edidit. Isti enim cum post Petri Gavestoni casum in amicitiam dicti Regis, qui decus ac autoritatem suam nauci hominum libidini gratificari jam assveverat, se penetrassent, eaque ad omne scelus abusi, & Regem depravassent, & regnum perturbassent, à proceribus conjuratis oppressi & in exilium ejecti sunt; in Walliam vero digressi contracta ibi militum manu à Rege revocati fuerunt. Justa deinde cum procerum copiis pugna decertare ausi victoriaque potiti cum nihil amplius pensi nec moderati haberent, sed omni improbitatis, sævitiæ avaritiæque genere proceres populumque vexarent, novæ conjurationi, cui regina etiam cum filio assensit, materiam præbuere. Ea cum in bellum erupisset, *Hugo* pater primum pœnas pependit: Bristolii enim à furente populo captus & Reginæ traditus, ejus jussu jam nonagenarius ad supplicium equorum caudis tractus, capite truncatus, corpusque in patibulo suspensum fuit; id autem

Nn quarto

(a) Ibid. p. 310.

SCHEMA FAMILIÆ SPENSERIÆ ANTIQUIORIS.

HUGO DESPENSER, Thomæ F. Hugonis N. occ. in pr. Evesham. adverſus Montfortium C. Leiceſtr. 6. Aug. 1265. *Aliva, Philippi Baſſet de Wicombe f. Rogeri Bigod C. Norfolc. vid.*

Hugo Deſpenſer cogn. Senior COMES DE WINCHESTER, cr. 10. Marc. 1321. *decoll.* 9. Oct. 1326. *Iſabella, VVilhelmi Beauchamp C. VVarvvic. f. Patricii Chavvorth vid.*	Eleonora nupta *Hugoni de Courtney.*	Johanna, Uxor *VVilhelmi Ferrers de Groby.*

Hugo B. Deſpenſer, cogn. Junior, *ſuſpenſus* 29. Nov. 1326. *Eleonora de Clare, Gilberti C. Gloceſtr. & Johanna Plantageneta fil.*	Johanna *monialis.*	Eleonora *monialis.*

Hugo Deſpenſer Baro de Glamargan † 8. Febr. 1349. *ux. Eliſabetha Wilhelmi de Montacute, C. Sarisbur. f. Ægydii de Baddleſmere vid.*	Eduardus Deſpenſer † 1342. *Anna, Henrici B. Ferrers de Groby f.*	Gilbertus Deſpenſer.	Iſabella, deſponſata *Richardo Fitz-Alan C. Arundel,* ſed repudiata.	Eliſabetha Ux. *Mauritii W. Bar. de Berkley*

Eduardus Baro Deſpenſer *Eq. Per.* † 11. Nov. 1375. *Eliſabetha, Bartholomæi Burghers fil.* † 1410.	Thomas Deſpenſer.	Henricus Deſpenſer.	Gilbertus Deſpenſer.

Thomas B. Deſpenſer de Glamorgan & Morganok, COMES GLOCESTRIÆ cr. 1397. *decoll.* 1400. *Conſtantia, Edmundi Plantageneta D. Eborac. f.* 1417.	Cecilia † juv.	Eliſabetha nup. 1. *Johanni Arundel* 2. N. *Bar. Zouche.*	Anna nup. 1. *Hugoni Haſtings.* 2. *Thoma Morley.*	Margarita Uxor *Roberti Ferrers B. de Chartley* † 1415.

Richardus B. Deſpenſer † 7. Oct. 1414. improlis. *Eliſabetha Nevil, Radulphi C. VVeſtmorland. f.*	Eliſabetha. † infans.	Iſabella, n. 26. Jul. 1400. nupta 1. *Richardo Beauchamp, Bar. Bergavenny,* 2. *Richardo Beauchamp. C. VVarvvici.*

SCHEMA FAMILIÆ SPENSERIÆ RECENTIORIS,
COMITUM DE SUNDERLAND.

JOHANNES SPENSER, Armiger, Johannis Spenseri de Hodenhull F. *Susanna, Richardi Knigthley de Fausley f.*

Johannes Spenser, Eques, *Catharina, Thomæ Kitson de Hengrave f.*

Johannes Spenser, Eques. *Margarita, Roberti Catline f.*

Robertus BARO Spenser de Wormleighton, cr. 21. Jul. 1603. † 25. Oct. 1627. *Margarita, Francisci Willougby de Wollaton f.*

Johannes Spenser, Eq. Baln. cr. 1616. † ante patrem.

Wilhelmus B. Spenser † Dec. 1636. *Penelope, Henrici Wriothesley C. Southhanton f.*

Richardus Spenser.

Eduardus Spenser.

Maria nup. *Richardo Anderson.*

Elisabetha Ux. *Georgii Fane de Buston* † 1618.

Henricus B. Spenser COM. DE SUNDERLAND cr. 8. Jun. 1643. occ. in pr. ad Neubur. 20. Sept. ejusd. anni. *Dorothea Sidney, Roberti C. Leicestr. f.*

Robertus Spenser

Wilhelmus Spenser de Ashton-Hall. *Elisabetha, Duttonis B. Gerard de Bromley f.*

Rachel † juv.
Margarita Ux. *Antonii Coper C. de Schaftsbury.*
Alicia nup. N. Moore C. *de Droghedа in Hib.*
Catharina † innupta.
Anna Ux. *Roberti Townsend.*
Maria † juv.
Elisabetha nup. I. *Joh. B. Craven de Ryton,* 2. *Henrico Howard,* 3. *Wilhelmo B. Crofts.*

Robertus Spenser, C. de Sunderland *Eques Perisc.* cr. 1687. *Anna Digby, Georgii C. Bristol. f.*

Dorothea Uxor prima *Georgii Savile Vicecom. post March. Halifax.*

Penelope † innup.

. . . . . Baro Spenser.

Anna nupta *Jacobo Douglas C. d' Arran* 30. Jan. 1688.

quarto die in partes discissum, & canium laniatui objectum, caputque pilo affixum *Vintoniam*, (quod à Comitatu hujus nominis titulum, à Rege post victoriam illam ipsi collatum, gereret) missum fuisse nonnulli memoriæ prodiderunt. Paucis abhinc diebus cum Rex ipse & *Hugo Spenserus* filius, quos supplicii illius spectatores fuisse *Dugdalius* (a) refert, in Reginæ potestatem devenissent, is etiam diro mortis genere è medio sublatus fuit; nullo non enim ludibrii & contumeliæ genere affectus, & super crate per multas urbes equis tractus, tandem Herefordiæ cruci affixus, igneustulatus, & extracto vivo corde crudeliter enectus, postea decollatus ac in partes scissus est, quæ ad præcipuas urbes missæ, caput autem ponti Londinensi impositum fuit. Pari fere fortunæ varietate jactatus est THOMAS SPENSERUS Hugonis Junioris è filio secundogenito pronepos: is enim anno regni Richardi II. vigesimo perduellionis una cum Rutlandiæ & Nottinghamiæ Comitibus postulatus, nec longe ab exitio remotus, mutata sequenti anno scena, ad honorem *Comitis Glocestriæ*, quod à Gilberto Clarensi, qui id tituli gesserat, descenderet, evectus fuit; postquam vero Henricus Lancastrensis rerum potitus esset, à Parlamento illo honore iterum privatus, neque multo post ad capitis supplicium raptus est, relicto post se filio unico RICHARDO, qui intra adolescentiæ annos, jam tamen uxoratus, sine prole decessit, & hæreditatem satis amplam ad ISABELLAM sororem suam, in *Bellocampensem* familiam elocatam, transmisit.

Cæterum cum Richardo modo dicto non omnem Spenserorum stirpem exaruisse, sed durasse ex ea ramum, qui hoc revirvit seculo, autor noster (b) perhibet. Ineunte quippe regno Jacobi I. ROBERTUS SPENSER de *Warmleighton* (quod dominium in Warvvicensi Comitatu situm, JOHANNES SPENSER, ejus proavus, acquisiverat, & pulchris ornaverat ædibus) ab equestri loco ad Baronum regni Ordinem provectus, neque multo post in Germaniam ad perferenda Friderico Duci Wirtenbergico insignia Ordinis Georgiani missus est. Nepos ipsius è filio secundo genito HENRICUS, fide & obsequio erga R. Carolum I. ad altiorem honoris gradum pervenit, *Comes Sunderlandiæ* ab illo creatus, sed eodem adhuc anno, quo id factum est, fatorum malignitate abreptus, dum in *Nevvburiensi* prælio pro regiis strenue dimicaret partibus. Is filium post se reliquit ROBERTUM *Sunderlandiæ Comitem* hodiernum, qui legatione, nomine R. Caroli II. in Gallia obita, inclaruit, & munere Secretarii Status anno 1679. sibi collato, anno vero 1681. adempto, ac anno 1683. reddito functus est, idque etiam dum Jacobus II. regnum teneret, genio ipsius se attemperando, gessit, sed post celerem illam rerum in Anglia mutationem, quam non sine stupore præsens vidit ævum, nec postera credent secula, officium cum regno deseruit; in fuga tamen Roterodami, licet mulierem mentitus esset, agnitus & comprehensus est, siquidem vera *Novellæ* prædicant. Liberos utriusque sexus genuit; è filiis natu maximum, *Milord Spenser* dictum, Mutinam nuper à R. Jacobo II. missum fuisse, ut mortem Ducissæ Mutinensis luctumque inde ortum verbis ejus doleret, è fœmellis autem *Annam* in gynæceo Principissæ Daniæ fuisse & primo superioris anni mense Comiti Arraniæ, Ducis Hamiltonici filio, in manum convenisse, percepimus.

Scuto Spenseria familia utitur *quadripartito*, ita ut prima areola nec non extrema *argento tinctæ* sint, secunda vero & tertia *rubea clathrum aureum* repræsentent, incumbente toti clypeo *fascia diagonali nigra*, quam *Sunderlandiæ Comites* discerniculi ergo *tribus* onerare *conchis* consueverunt. *Telamonum* loco iidem adhibent à dextris *gryphum*, à sinistris *draconem*.

CAPUT LVI.

DE COMITIBUS SCARSDALIÆ ET FAMILIA LEKENSI.



IN magno Baronum Angliæ numero, quos Rex Jacobus I. creavit, etiam FRANCISCUS LEKE *de Sutton* fuit, è pervetusta & locuplete Darbiensis provinciæ familia prognatus: hunc enim ille recenti & ab ipso instituto *Baronetti* honore primum auctum, postea regni sui anno XXII. qui seculi, quo agimus, XXIV. erat, die XXVI. Octobris *Baronem Deincourt de Sutton* fecit. Nec tamen is hoc in honoris gradu substitit, sed per eximiam, quam Regi Carolo I. difficillimis temporibus præstitit fidelitatem opemque, sanguine duorum ejus filiorum obsignatam, altius ascendit, Comitis *Scarsdaliæ* dignitate ab illo die XI. Novembr. anno 1645. remuneratus. Tristem denique modo dicti Regis casum sensu animi ac dolore adeo acerbo tulisse *Dugdalio* (c) memoratur, ut sumto cilicio in sordibus lamentis luctuque

(a) Baronag. I. 393. (b) Ibid. III. 418. (c) Baronag. III. 450.

luctuque quod ipsi supererat ætatis transfegerit, & aliquot ante obitum suum annis sepulchrum sibi effodi curaverit, inque eo singulis Veneris diebus recubuerit, donec mœrore confectus animam exhalaret, id quod die nono Aprilis anni 1655. contigit. Uxor eidem erat *Anna*, Eduardi *Carey de Berkhiamstede* gnata, è qua *liberos tredecim* diversi sexus suscepit, quorum, filiique secundogeniti natorum, hæc est Sylloge:

I. Franciscus Leke, in Gallia occisus.
II. NICOLAUS LEKE, COMES DE SCARSDALE; maritus *Franciscæ Richiæ*, *Roberti Com. Warvvici filiæ*, jam fato functus. — ROBERTUS LEKE C. Scarsdaliæ. Uxor ei est *Maria*, *Joh. Lewes de Ledston filia*. — Richardus Leke. — Maria Leke.
III. & IV. *Eduardus* & *Carolus*, qui pro Rege, ceudictum, mortem oppetiere.
V. *Henricus Leke*, cælebs mortuus.
VI. & VII. *Radulphus* & *Johannes* intra infantiæ annos defuncti.
VIII. *Anna*, nupta Henrico *Hillyard*.
IX. *Catharina*, Cuthberti *Morley de Normanby* uxor.
X. & XI. *Elisabetha* ac *Muriel*, quæ innuptæ decesserunt.
XII. *Francisca*, quæ Jenico *Preston* Vicecomiti *Gormanston* in Hibernia in manum convenit.
XIII. *Penelope*, Carolo Baroni *Lucas de Shenfeild* elocata.

Insignia Lekensis familiæ *decussim dentatum nigrum*, & *annulis novem auratis ornatum* in solo *argenteo* referunt.

CAPUT LVII.
DE COMITIBUS CLARENDONIÆ AC ROFFÆ FAMILIAQVE HYDENSI.

Proximum à Scarsdaliæ Comite locum nunc obtinet *Sandvvicensis*, de quo jam occasione Comitis Mancestriæ, qui ei agnatus est, actum fuit: hunc excipit *Clarendonensis*, *Hydensi* honesta & antiqua in Cestria familia satus, quæ tamen in parente demum ejus illustrari cœpit; hunc quippe EDUARDUM HYDE nominatum insigni juris & legum peritia prædictum Rex Carolus I. domesticis aulicisque officiis adhibuit, & cognita ejus fide ac industria fisci sui Cancellarium constituit, Consiliariisque intimioribus aggregavit. Duris deinde etiam rebus in fide permanentem, filioque Regis bene de se meriti Carolo II. licet vago & extorri, constanti obsequio adhærentem, hic Legatum in Hispaniam misit, reducemque *Secretarium Status* & denique *Summum Cancellarium* fecit: præterea recuperato avito regno in Baronum Ordinem extulit, *Vicecomitem Cornbury* & postremo *Comitem de Clarendon* (cujus nominis oppidum in Wiltonia extat) creavit. Ad hos honores & autoritatem, qua pollebat, licet ingens accesserit affinitatis regiæ præsidium & munimentum, postquam scilicet frater dicti Regis filiam ipsius diu adamatam jugali sibi junxisset fœdere; attamen tantum abest ut tueri valuerit gradum, in quem ascenderat, quin remotus à Cancellariatu, patriam etiam sponte desereret, & clandestinam in Galliam fugam capesseret, indignantibus Rege & Duce Eboracensi, gaudente populo: jamdudum enim publico laborare cœperat odio, ab Inferiore Parlamento multarum & gravium rerum insimulatus: videlicet quod ipso Autore ac impulsore Dunkircha Gallis vendita fuerit, magno Anglicæ gentis opprobrio ac dispendio, suo tantum ipsius privato compendio, utpote à Gallis pretio corrupti; quod pravis ejusdem artibus Dux Eboracensis in amorem nuptiasque filiæ ipsius irretitus sit; quod belli contra Batavos & malorum, quæ in Angliam inde redundarunt, causa extiterit; quod Regi matrimonium cum Lusitana persvaserit, haud ignarus, sterilitatis affectam esse notis, ut scilicet regni hæreditas ad filiæ suæ natos aliquando delaberetur; quod eam præterea Regi uxorem delegerit, quæ ingenio esset quieto ac à negotiis abhorrente, quo nimirum major Ducissæ Eboracensis in aula fulgeret autoritas,

toritas, denique quod Gallorum Regis mercenarius, hujus potius quam patriæ rationibus ac utilitati consulat. Has inter criminationes saltem aliquas non prorsus ex vano fuisse vel inde suspicari licet, quod ejus præcipue stimulis Angliæ Regem ad rumpendum *fœdus*, *Triplex* dictum, novumque cum Gallo ineundum, concitatum & perpulsum fuisse, postea apparuit. In Gallia itaque reliquum vitæ tempus peregit, & *Rotomagi* mortem obiit. Ex ejus filiis duo inclaruere HENRICUS nempe & LAURENTIUS. Ille patri in honorem *Comitis de Clarendon* successit, atque à Rege Carolo II. in sacratiorem senatum cooptari meruit, à sororio vero simul ac is regni hæreditatem adiisset, inter summos Coronæ Angliæ ministros provectus, & *Privati Custos Sigilli* constitutus, eodemque adhuc anno Hiberniæ vicaria potestate impositus fuit: biennio tamen nondum elapso, ineunte scilicet anno 1687. revocatus, lampadem hanc d. 22. Februar. Comiti de Tyrconnel sollemni tradidit cerimonia, reduxque Londinum factus, munus etiam Custodis Privati Sigilli Regi resignavit, idque in Baronem Arundelium de Wardour transferri vidit. LAURENTIUS sæpe memorati Regis Caroli II. nec non Ducis Eboracensis gratia florens, post quam legationem in Polonia Extraordinariam obiisset, atque in Pacificatione Neomagensi, ubi secundum inter Mediatores Anglicos locum ornavit, dexteritate ac prudentia sua enituisset, *Vicecomes de Kenelvvord*, Intimioris Consilii arbiter, & Thesauratus regii Præses creatus & denique ad *Comitis Rocestriæ* sive *Roffæ* honorem elatus; à Rege Jacobo II. autem *Magnus Angliæ Thesaurarius* nec non *Cancellarius Reginæ* constitutus est.

Tab. LXXXVI.

HYDENSIS FAMILIÆ SCHEMA, COMITUM DE CLARENDON ET DE ROCHESTER.

EDUARDUS HYDE, BARO De Hinton, cr. 3. Nov. 1660. VICE COMES Cornbury & COMES DE CLARENDON 20. Apr. 1661. Angliæ Cancellarius, †19. Dec. 1674.
Francisca, Thomæ Aylesbury, Baronetti f.

Henricus Hyde, C. de Clarendon. 1. *Theodosia, Arturi B. Capell f.* 2. *Flora, Wilhelmi Backouse fil. & hær.*	C. Anna nup. *Jacobo Stuarto Duci Eboraci* † 31. Mart. 1671.	Francisca.	Laurentius Hyde VICE-COMES de Kenelword, COMES de ROCHESTER, cr. m. Dec. 1682. *Eq. Per.* 1685. *Henrica Boyle, Richardi C. de Burlington f.* † 22. Apr. 1687.	Eduardus Hyde † cælebs.	Jacobus Hyde.

1. Eduardus Hyde Vicecom. Cornbury.	... B. Hyde.	N. nupta *Jacobo Butler, C. d'Offory* 1683. †

Com-

Cromwello rempublicam tenente *Henricum Hyde*, quem fratrem Eduardi Cancellarii fuisse in *Batei Elencho motuum Angliæ* legi, mala nobilitarunt fata; hunc enim in fide Regis Caroli permanentem, ejusque nomine legatione in aula Ottomannica fungentem cum emissarii Protectoris mendaciis in fraudem deduxissent, captumque Constantinopoli Londinum devexissent, ille securi subjecit, Turcas ab eo in patriæ perniciem stimulatos fuisse criminatus.

Cæterum licet Clarendonensis honos soli hactenus Hydensi familiæ gestus sit, ita non æque Roffensis, utpote qui primum in *Henrici Wilmoti* gratiam institutus fuit: is *Carolo Vicecomite Wilmot* in Hibernia satus, Regis Caroli I. copias equestres rexit, atque ab eo Baro Angliæ creari meruit; filio deinde ejus Carolo II. summa fide & constantia addictus & comes post Vigorniensem cladem individuus, *Comitis Roffensis* titulo exeunte anno 1652 auctus, pauloque post ad Comitia Ordinum Imperii Ratisbonæ habita legatus missus, & Dunkirchæ anno 1659. vita defunctus est; uxorem habuit *Annam*, Johannis *St. John de Lyddiard-Fregoz* gnatam, è qua suscepit *Carolum*, intra juventutis annos mortuum, & *Johannem*. Hic paternorum honorum hæres & Latinorum gloria carminum præcellens mense Junio anno 1680. fatis concessit, relicto ex *Elisabetha*, Johannis *Malet de Enmere*, Armigeri filia, gnato unico *Carolo*, qui patri haud diu superfuit, impubes vivis exemptus.

Wilmotii Roffæ Comites insignium loco, *Gibbono* indice, detulere in *scuto argenteo fasciam rubeam inter tria aquilina capita nigra* interpositam totidemque *conchyliis aureis* impressam. *Hydensi* autem *digma cantherium aureum* in scuto *cæruleo*, inter *tres rhombulos prioris metalli* interpositum, repræsentat. *Sustinetur* scutum hoc utrinque ab *accipitre coronato* & *cruce in pectore notato*.

CAPUT LVIII.

DE COMITIBUS ESSEXIÆ ANTIQUIORIBUS ET FAMILIIS MANDEVILLANA ET BOHUNENSI.



Am ad *Essexiæ* Comites, clarissimos in Anglorum Annalibus, ordine quem instituimus, deducimur. Numeratur *Essexia* inter *Shiras* sive Comitatus Angliæ, atque ab australi latere *Tamesi* alluitur, ab orientali vero *Oceano Germanico* pulsatur. Comitem primum post Normannorum adventum habuit *Galfridum de Magnavilla* vulgo *Mandevil*, *Wilhelmi* filium, *Galfridi*, qui Wilhelmo Conquestori coævus, & commilito fuit, nepotem. Is à Rege Stephano honore illo auctus, cum ab ejus partibus ad Mathildam Imperatricem descivisset, non tantum castrorum, quæ tenebat, & custodiæ Turris Londinensis, à patre avoque acceptæ, jacturam fecit, sed etiam *vitam turbulentam & seditiosam*, Camdeni (a) verbis, *pugnando profudit*. Filiorum ejus natu maximo ERNULPHO à R. Stephano in exilium relegato, proximus ab eo GALFRIDUS III. Essexiæ Comitatum beneficio R. Henrici II. recepit, eumque defunctus in expeditione adversus Wallos morte inopinata ad fratrem WILHELMUM transmisit. Huic multis fortibus factis & gloria militari illustri, etiam Comitatus Albæmarlæ cum priore uxore sua obvenit; utriusque tamen hæreditatem extraneis relinquere necesse habuit, quod prole destitutus esset. Essexianum Comitatum post aliquam altercationem inter BEATRICIS *de Mandevill*, quæ ultimorum Comitum amita erat, neptem è gnato majore & filium secundogenitum ortam, obtinuit GALFRIDUS, Filius *Petri*, vulgo *Fitz-Piers* dictus, quem utpote dictæ neptis maritum Rex Johannes die inaugurationis suæ gladio Comitis cinxit, virum prudentem & gravem, munere Justitiarii summa cum laude functum, ita ut dum viveret, dicti Regis cupiditatibus frenos injiceret, ejusque animum non minus ac rei publicæ habenas moderaretur; mortuus autem regnum simile redderet *navigio, cum tempestate adversa confictanti & nauclero carenti*, ut *Matthæi Paris* (b) comparatione utar. Filios tres ille genuit, è quibus natu majores GALFRIDUS & WILHELMUS, *Mandevillano* cognomine usi, Essexiæ Comitatum successive tenuerunt, & rebellioni Baronum adversus Regem sæpe memoratum haud postremam facem subdiderunt; ambo vero sine sobole iu robore ætatis decesserunt, prior è vulnere in hastiludio temere accepto, alter ex morbo, hæreditate eorum maxima ex parte ad sororem germanam MATHILDAM, in *Bohunorum* inclutam familiam elocatam, aliqua etiam ad fratrem illorum consanguineum *Johannem Fitz-Piers* devoluta.

Enim-

(a) *Descr. Angl. p. 353.* (b) *Ap. Dugdal. Baronag. I. 705.*

SCHEMA COMITUM

GALFRIDUS DE MAGNAVIL sive MANDEVILL custodiæ Turris Londinensis à Wilhelmo Conquestore præpositus.

Wilhelmus de Magnavil sive Mandevill.

Galfridus de Mandevill II. COMES ESSEXIÆ, occ. 16. Sept. 1144. *Rohesia, Alberici de Vere C. Oxon. f.*

Ernulphus de Mandevill exul.	Galfridus de Mandevill II. Comes Essexiæ † improlis 21. Oct. 1167. *Eustachia.*	Wilhelmus de Mandevill II. C. Essexiæ † improlis 14. Nov. 1190. Ux. 1. *Hadevvisa, VVilhelmi Crassi C. Albemarle f.* 2. *Christiana, Roberti B. Fiz-VValter f.*	Robertus de Mandevill † ante fratrem.

Galfridus Fitz-Piers cogn. de Mandevill, C. Essexiæ, † *s. p.* 1215. *Isabella, VVilhelmi C. Glocestriæ f. à R. Johanne repudiata.*	Wilhelmus Fitz-Piers, cogn. de Mandevill, C. Essexiæ † cœlebs 1227. 10. Jan.

Humphredus de Bohun V. cogn. Bonus C. Hereford. & Essexiæ † 24. Sept. 1275. 1. *Mathilda filia Comitis d' Evve.* 2. *Mathilda de Avenebury.*

1. Humphredus de Bohun VI. † ante patrem Oct. 1265. Ux. 1. *Eleonora, Wilhelmi de Breause in Brecknock f.* 2. *Johanna, Roberti de Quency f.*

Humphredus de Bohun VII. Com. Herefordiæ & Essexiæ † 1298.

Humphredus de Bohun VIII. C. Hereford. & Essex. Comest. Angl. occ. 16. Mart. 1321.

Humphredus de Bohun † infans.	Johannes de Bohun C. Heref. & Essex. † 1335. *s. p.* 1. *Alicia, Edmundi, Fitz-Alan C. Arundel f.* 2. *Margarita Radulphi B. Basset f.*	Humphredus de Bohun IX. C. Heref. & Essex. † cœlebs 15. Octobr. 1361.	Eduardus de Bohun † improlis.	Margarita † juvenis

Humphredus de Bohun X. C. Hereford. Essex. & Northanton. † 17. Jan. 1372.

Eleonora de Bohun Comitissa Essexiæ & Northantoniæ *Uxor* Thomæ Plantagenetæ de VVoodstock D. Glocestriæ † 3. Oct. 1399.

Anna Plantageneta *Uxor* VVilhelmi Bourchier Com. d' Eu.

Henricus Bourchier Com. d' Eu & Essex.

VVilhelmus Vicecomes Bourchier.

Henricus Bourchier C. d' Eu & Essex.	Cæcilia Bourchier *nup. Johanni Devereux B. Ferrers de Chartley, atavo* VValteri Devereux Comitis Essexiæ.

Anna Bourchier, hæres unica, *Uxor* VVilhelmi Parr Com. Essexiæ.

Uxor 1. *Athelaisa* . . . .
2. *Lecelina* . . . .

HUMPHREDUS DE BOHUN cogn. Barbatus, Wilhelm. Conq. commilito

Ux. *Margarita*, *Eudonis Dapiferi fil. ac hær.*

Humphredus de Bohun II. cogn. Magnus
Mathilda Edwardi de Saresbury vid.

Beatrix nupta *Wilhelmo de Say.*

Humphredus de Bohun III. Stuartus R. Henrici I. † 6. Apr. 1187. *Margarita, Milonis C. Hereford. f. Mabelli soror & coh.*

Alicia Uxor *Johannis de Lacy.* Wilhelmus de Say. Galfridus de Say.

Humphredus de Bohun IV. Comes Herefordiæ, Constabularius Angl. *Margarita, Henrici de Scotia, C. Huntingdon. f. Conani Parvi C. Britann. vid.*

Beatrix Uxor GALFRIDI FITZ-PIERS, Comitis Essexiæ qui obiit a. 1213. Mathilda nupta *Wilhelmo de Bocland.*

Mathilda, fratrum ex parte hæres, *quam duxit* Henric. de Bohun Com. Herefordt 1. Jun. 1220. Margarita nup. *Valerano C. Warvvici.*

Henricus de Bohun † juvenis. Radulphus de Bohun.

Mathilda nup. *Anselmo Marechal.* Alicia Uxor. N. Thony. N. nupta N. *Quincy.* 2. Johannes de Bohun, Baro de Haresfield.

Uxor: *Mathilda, Wilhelmi de Fienles fil.*

Uxor: *Elisabetha, Eduardi I. R. Angl. fil. Johannis C. Holland. & Seeland. vid.*

Wilhelmus de Bohun Comes Northamtoniæ, cr. 17. Marc. 1283. † 16. Sept. 1360. *Elisabetha, Bartholomæi de Badlesmere f. Edmundi Mortimer vid.* Æneas de Bohun. Eleonora. Margarita nup. *Hugoni de Courtney, Com. Devoniæ.* Isabella † infans.

Ux. *Johanna Fitz-Alan, Richardi C. Arundel. f. † 7. April. 1419.* Elisabetha nup. *Richardo C. Arundel.*

Maria de Bohun Comitissa Herefordiæ, nupta *Henrico de Lancastria C. Darbiæ, postea Regi Angliæ* † 1394.

Enim vero in Comitis Essexiæ honorem surrogavit Rex Henricus III. HUMPHREDUM BOHUNUM, natum è dicta *Mathilda* & HENRICO *de Bohun*, cujus parens *Humphredus*, hujus nominis hac ex gente *Quartus* Herefordiæ Comitatum in familiam suam materno intulit jure, mnnusque Comestabilis Angliæ gessit. *Humphredo* Comiti Herefordiæ & Essexiæ filius fuit *cognominis*, qui cum turbonibus se aggregasset, armaq; adversus R. Henricum III. tulisset, deniq; in *Eveshamensi* pugna, qua rebellium copiæ prope ad internecionem cæsæ sunt, captus in vinculis spiritum emisit; hinc illi, postquã naturæ concessisset, in binos comitatus successit nepos ex isto HUMPHREDUS VII. Is R. Eduardo I. strenuam in bello Scotico navasse operam, & ad victoriam *Roxburgensem* haud leve momentum attulisse prædicatur; genitor HUMPHREDI VIII. *Comitis Herefordiæ & Essexiæ* qui, licet R. Eduardo II. affinitatis nexu junctus esset, attamen globo factiosorum, potentiam & licentiam gratiosorum ejus, Gavestonii nempe & Spenseri, ægre ferentium, se aggregavit, seditionibusque manum commodavit, suopte equidem exitio: namque post pugnam apud oppidulum *Burrovvbridge* in Eboracensi diœcesi, qua rebelles immanem accepere cladem, cum pontem contiguum fugiendo transiret, ex rima à milite sub ponte latente, lancea per ingvina transfossus fuit. Filios post se complures is reliquit, è quibus JOHANNES & HUMPHREDUS IX. in Comitatus avitos sibi invicem successere, sed ambo sobole caruere; WILHELMUS autem *Northantoniæ Comitis* honorem obtinuit beneficio R. Eduardi III. qui in expeditionibus Gallicis Scoticisque eximia fidei ac fortitudinis documenta dedit; pater cæteroquin gnati unici HUMPHREDI X. qui familiam ad fatalem jam vergentem periodum, utcunque sustentavit, hæresque patrui factus, avitos honores cum novo, à genitore acquisito, conjunxit, brevi usura: in flore enim ætatis fatorum iniquitate raptus, non nisi sequioris sexus prolem reliquit, splendidissimis deinde matrimoniis auctam, atque in Regiam domum enuptam. Major natu ELEONORA *Thomæ Plantagenetæ de Woodstock* cognominato, *Duci Glocestriæ*, R. Eduardi III. filio, ordine postremo, in uxorem cum *Essexiæ* & *Northantoniæ* titulis data, gnatum unicum suscepit, præmature rebus humanis exemptum, & filiam *Annam*, quæ secundis votis *Wilhelmo Bourchier* Comiti Augensi in Normannia in manum convenit, atque ex eo mater facta est *Henrici Bourchieri*, quem R. Eduardus IV. Comitatus *Essexiæ* honore investivit. Ille successorem in eo nactus est nepotem, è filio sibi præmortuo cognominem, cujus sola iterum gnata *Anna*, *Wilhelmum Parrum*, cui nupserat, eodem titulo auxit, cum interea parvo temporis spatio *Thomas Cromvvellus*, ignobili loco natus, & in amplissimam conditionem inauspicato evectus, illam personam gessisset; Verum de hujus progenie æque ac Burchieriensi familia uberius agendi occasio inferius reditura est, de Parrensi autem dictum jam tum fuit.

Scutum quo Comites Essexiæ è *Magnavillanis* usi sunt, *quadripartitum* erat, *ex auro & minio*, exhibens *carbunculum*, è quo *octo radii liliati* emanant, *Bohunense* vero *cæruleum* & *fascia diagonali argentea* distinctum erat, quam utrinque *tænia aurea* & *tres leunculi*, *eodem metallo tincti*, stipant.

CAPUT LX.

DE COMITIBUS ESSEXIÆ RECENTIORIBUS ET FAMILIA CAPELANA.



ilhelmo Parro, Essexiæ Comite pariter & Northantoniæ Marchione, sine liberis defuncto, *Walterus Devereux*, Vicecomes Herefordiæ, jure hæreditario ataviæ *Ceciliæ Burchieræ*, quæ Henrici Burchieri Comitis Essexiæ soror erat, ceu è schemate præcedenti apparet, & Reginæ Elisabethæ gratia hunc Essexiæ honorem obtinuit, filiumque *Robertum* reliquit, nobilissimæ virtutis virum, secundis adversisque juxta famosum, cui successit gnatus *cognominis* in bello civili adversus R. Carolum I. præfectura exercitus Parlamenti illustratus & sine liberis mortuus. Sed de ista etiam familia, hodieque in Vicecomite Herefordiæ superstite, plura & magis singularia dicendi locus infra erit.

Resuscitavit Essexianum honorem cum Roberto Devereux extinctum Rex Carolus II. postquam avitas recuperasset coronas, eoque ARTURUM CAPELUM insignivit. Is à *Wilhelmo Capelo*, qui regnante Henrico VII. summi Prætoris in civitate Londinensi munus obiit, sanguinem ducebat, & patre satus erat ipsi *cognomini*, qui à R. Carolo I. in Baronum Ordinem provectus

proveƈtus, cum in obſequio ejus turbidis ac difficillimis temporibus conſtanter permanſiſſet, & pro delapſo jam in adverſariorum poteſtatem extrema tentaſſet, ſucceſſu deſtitutus & poſt Preſtonenſem cladem hoſtium poteſtati ſe permittere coactus, in arcem Londinenſem incluſus eſt; è qua poſtquam d. 1. Febr. anno 1649. elapſus, ſed iterum prehenſus eſſet, judicio denique ad mortem damnatus, fidem & obſequium erga Regem capite luit: ita enim inter alia, quæ è ferali pegmate ad populum locutus eſt, dixiſſe memoratur, *ſe condemnatum eſſe propter ſervatum præceptum, ipſo Dei digito ſcriptum, quo obedire Magiſtratibus iubemur, & mori propter obſequium præſtitum Regi, omnium Principum religioſiſſimo, filioque ejus Carolo, quem* dicebat *Regem eſſe, & reliquis illius liberis, Coronæ heredibus.* (a) Tantorum meritorum ſecundis rebus memor Carolus II. filium ejus paulo ante nominatum *Vicecom. Moldon* & *Comitem Eſſexiæ* creavit, perſpectaque ipſius dexteritate & prudentia anno 1670. Legatione ad Regem Daniæ honeſtavit, in qua memorabilis ei nata eſt contentio cum Præfecto caſtri Croneburgici, exigente ab eo officium contrahendi vela, cum fretum trajiceret Danicum; quam rem *Wicquefortius (b) in memoriis* ſuis *de Legatis* tetigit, *Letus (c)* vero in *Theatro Britannico* fuſius recenſuit. Reducem ab iſta legatione Eſſexium Rex laudatus Hiberniæ Proregem præfecit; deinde hac ſparta perfunctum, principem Commiſſariorum Fiſci Regii conſtituit, quod ille munus anno 1679. ſponte abdicavit. Exinde pravis malevolorum artibus ſuſpectus Regi redditus, inque numerum illorum, qui anno 1683. perduellionis poſtulabantur, relatus, ac in carcerem conjectus, paucis poſt diebus exanimis, gulam novacula diſciſſam habens repertus eſt: qua de morte, utrum ſcilicet ſpontanea an adacta fuerit, multa utramque in partem dicta ac ſcripta fuerunt, quorum veritatem aut falſitatem, nunc, poſtquam diſſipata in Anglia caligine præſtigiæ, & mendacia perlucent, ad liquidum exploratum iri, ſperare in Novellis publicis juſſi ſumus.

Familiæ de cætero hujus, quæ in *ſcuto rubeo, leonem aureum tribus crucibus ſpiculatis & eodem metallo tinctis interpoſitum*, gerit, non aliam quam ſubjectam dare licet diatypoſin.

TAB. LXXXVIII.

ARTURUS CAPEL Baro de Hadham, cr. 6. Aug. 1641. *decoll.* 9. Mart. 1649. *Eliſabetha, Caroli Moriſon de Capshoberry fil. & hær.*	Arturus Capel Vicecomes Maldon, COMES ESSEXIÆ cr. 20. April: 1660. occ. 23. Jul. 1683. *Eliſabetha, Algernonis Percy, C. Northumbr. f.*	Algernon Carolus. Arturus Henricus	Obiere intra pubertatem.
		Algernon Capel Comes Eſſexiæ.	
		Arturus † infans Eliſabetha † in juventa. Anna nup. .... *Hovvard Bar. Morpeth. 1688.*	
	Henricus Capel, Eques Balnei.		
	Eduardus Capel.		
	Carolus Capel.		
	Maria nup. 1. *Henrico Seymour B. Beauchamp*, 2. *Henrico Somerſet, M. Wigorniæ.*		
	Eliſabetha, ux. *Caroli Dormer C. Caernarvon.*		
	Theodoſia ux. prima *Henrici Hyde C. de Clarendon.*		
	Anna nup. *Johanni Strangvvays.*		

(a) *Memorial of the English Affairs pag. 380.* (b) *pag. 335.* (c) *Parte II. Lib. IV. p. 155. & ſeqq.*

CAPUT LX.

DE COMITIBUS CARDIGANIÆ ET FAMILIA BRUDNELLANA.



Ardigania, Cambriæ provincia est, in Comitatum erecta à R. Carolo II. cum recuperato regno viros bene de se nubilis temporibus meritos extollere satageret. Eorum in numero erat THOMAS BRUDNELL, togata editus familia, quæ in Northantonia originariam incoluit sedem, donec regnante Henrico VII. ROBERTUS BRUDNELL, singulari qua præditus erat scientia legum jurisque civilis in aula innotesceret, locumque, & eum denique primum inter Justiciarios *Curiæ Communium Placitorum* (ita nominatæ, quod hic placita & actiones subditorum in subditos ventilentur) sibi pareret. Hujus nepos erat, THOMAS BRUDNELL, supra memoratus, à R. Jacobo *Baroneti* honore inter primos affectus, à Carolo I. autem in *Baronum Angliæ* Ordinem sublatus & denique ætate provecta à Carolo II. ob fidelem operam sibi constanter navatam, & in relaxationem vinculorum, quæ ipsius causa pertulerat, *Comes Cardiganiæ* creatus; Decessit idem octogesimo ætatis anno, relicto post se filio ac successore ROBERTO, cui ex iterato matrimonio aliquot nati sunt liberi in subjuncto schemate enumerati. *(a)*

Scutum Brudnellorum Comitum Cardiganiæ, *argenteum est*, *cantherium rubeum* cum *pileis tribus caruleis* continens.

(a) *Dugdal. Baronag. III. 455.*

Tab.LXXXIX.

SCHEMA BRUDNELLANÆ FAMILIÆ COMITUMQUE DE CARDIGAN.

ROBERTUS BRUDNELL Curiæ Communium Placitorum Capitalis Justitiarius 1520.
Margarita, Bertini Entvvysel, Vicecom. de Brickbet in Norman. her.

Thomas Brudnell, Eques.

Robertus Brudnell.

Thomas Brudnell de Dene Armiger, Baronetus cr. 1611. BARO Brudnell de Stanton-Wivill 26. April. 1627. COMES DE CARDIGAN 20. Apr. 1660. † m. Apr. 1664. æt. 80.
Maria Thomæ Tresham de Rushton. f.

Robertus Brudnell C. de Cardigan. 1. *Maria Henrici Constable Vicec. Dunbar f.* 2. *Anna, Thomæ Vicec. Savage f.*	Edmundus Brudnell † cælebs.	Maria nup. *Johanni Constable de Burton Vicec. Dunbar.*

1. Maria nup. *Wilhelmo Hay C. de Kenoule in Scot.*	2. Franciscus Baro Brudnell. *Francisca Savile Thomæ C. Sussex f.*	Josephus Brudnell † infans.	Anna Maria nup. *Francisco Talbot C. Salop.*	Catharina	Dorothea ux. *Caroli Fane C. de Westmorland.*

CAPUT

CAPUT LXI.

DE COMITIBUS ANGLESAIÆ ET FAMILIA ANNESLEIANA.



AB *Anglesejæ* insula nobilissima, quæ olim *Mona* dicta Druidibus sedem præbuit, titulum primus accepit *Christophorus Villers*, Ducis Buckingamiæ frater, ceu è superioribus constat; hujus autem propagine in filio *Carolo* extincta, insignitus honore illo R. Carolo II. beneficio fuit ARTURUS ANNESLEY. Is paternum genus ab antiqua & honorata *Annesleiorum* in *Nottinghamia* familia, maternum vero à *Philippensi de Pieton-Castle* in Penbrochia ducebat, patremque habebat *Baronem Mount-Norris*, & *Vicecomitem Valentiæ* in Hibernia, & munere Vice-Thesaurarii ibidem functum. *Arturo* legum ac morum Britanniæ jurisque civilis apprime docto, atque in omnium historia gentium versato, & multarum gnaro linguarum, Regiis præterea partibus summa fide addicto, facile fuit gratiam Caroli II. novum inchoantis imperium, & amicos, tanquam ejus præsidia, quærentis, sibi parare; neque illam nudam sine penu & pecunia nactus est, sed honoribus muneribusque stipatam: mox enim Paribus Angliæ sub titulo *Lord Annesley of Newport-Paynell* adscriptus, eodemque prope tempore ad *Comitis Anglesaiæ* dignitatem provectus, & denique post officia Thesaurarii Hiberniæ & classis Regiæ bene gesta, munere *Custodis Sigilli Privati*, quod inter suprema regni quartum obtinet locum, auctus fuit. (a) Hanc spartam cum decennii spatio ornasset, factum est ut in contentionem cum Ormondiæ Duce Hibernicarum rerum causa incideret, qua exacerbata Rex vel ex aliquo erga hunc studio, vel alia de causa, Sigillum ab illo a. 1682. repetiit, idque Halifaxio tradidit, à quo tempore privatam egit vitam, atq; haud ita pridem naturæ debitum persolvit, relicto filio ac successore JACOBO.

Insignia hujus familiæ scuto constant *palis argenteis & caruleis* distincto, quibus *fascia diagonalis rubea* incumbit.

(a) *Dugdal. Baronag. III. 479.*

Tab. XC.

SCHEMA COMITUM DE ANGLESAY EX ANNESLEIANA STIRPE.

ARTURUS ANNESLEY Francisci F. COMES DE ANGLESAY & Baro Annesley de Newport-Paynell, Vicecom. Valentiæ in Hibern. †16. April 1686. *Elisabetha, Jacobi Altham f.*	Jacobus Baro Annesley C. Anglesay. *Elisabetha Mannours, Joh, C. Rutland. f.*	Jacobus B. Annesley. Johannes Annesley. Francisca † inf. Elisabetha.
	Althamus Annesley.	
	Richardus Annesley.	
	Arturus Annesley,	
	Carolus Annesley.	
	Doroth. nup. *Richardo Power C. de Tyroen*	
	Elisabetha ux. *Alexandri Mac-Donald.*	
	Francisca nupta 1. *Johanni Wyndham de Felbrigge* 2. *Johanni Tompson de Haversham.*	
	Philippa ux. *Caroli B. Mohun.*	
	Anna & Brigita obiere in juventa.	

CAPUT LXII.

DE COMITIBUS BATHONIÆ FAMILIISQUE BURCHIERIA ET GRENEVILLANA.

SCHEMA FAMI-
COMITUM DE EU,

ROBERTUS BARO BOURCHIER Cancellarius Angliæ

Johannes Baro Bourchier Eques † 1399.

Bartholomæus Baro Bourchier † 18. Maji 1409. Ux. 1. *Margarita* . . . 2. *Idonea.*

Elisabetha nupta 1. *Hugoni Stafford*, *B. Bourchier*, 2. *Ludovico Roßbeart* † 1. Jul. 1433.

Henricus Bourchier C de Eu VICECOMES BOURCHIER cr. 1446. COMES ESSEXIÆ 30. Jun. 1461. † 4. Apr. 1483. *Isabella de York Richardi C. Cantabr. f.*

Thomas Bourchier *Episc.* Elit. dein *Archiep*, Cantuar. R. E. *Cardinalis.*

Wilhelm. Vicec. Bourchier † ante patrem. *Anna Woodvile, Richardi C. Rivers f.*

Henricus Bourchier, Eq. *Elisabetha, Thomæ B. Scales de Nucells f.*

Humphredus Bourchier B. Cromwell occ. in pr. Barnetfeld 1471. *Johanna, Richardi Stanhope f. Radulphi B. Cromvvell neptis & hær.*

Johannes Bourchier Eques . . *Elisabetha, Henrici Ferrers de Groby f. Eduardi Grey vidua.*

Isabella † infans.

Henricus Bourchier C. Essex. *Eq. Perisc.* † 1539. *Maria Wilhelmi Say f.*

Cecilia nupta *Johanni Devereux B. Ferrers de Chartley.*

Isabella.

Anna nup. *Wilhelmo Parr, C. Essex. M. Northanton.*

Johannes Bourchier II. C. Bath † 1561. Ux. 1. *Elisabetha, Walteri Hungerford Eq f. 2. Eleonora Georgii Mannours B. Ros f. 3. Margarita, Johannis Donington f. Richardi Long vid.*

Amias Bourchier.

Ægydius Bourchier.

---

1. Elisabetha.

2. Johannes Bourchier B. FitzWarine † ante patr. *Francisca Thomæ Kitson de Heugrave f.*

Henricus Bourchier.

Georgius Bourchier Eques. *Martha Hovvard, Wilhelmi B. Effingham f.*

Fulco Bourchier.

Maria nup. *Hugoni Wyot de Exeter.*

Wilhelmus Bourchier C. de Bath B. FitzWarine † 12. Jul. 1623. *Elisabetha, Russel, Francisci C. Bedford f.*

Henricus Bourchier C. de Bath B. Fitz-Warine † improlis 15. Aug. 1654. *Rachel Fane, Francisci C. de Westmorl. f.*

Robertus Bourchier † infans.

Johannes Bourchier † inf.

Eduardus Bourchier C. de Bath B. FitzWarine † 2. Mart. 1668. Ux. 1. *Dorothea, Oliverii B. St. John de Bletso f. 2. Anna Roberti Lovet de Liscombe f.*

Francisca † innupta.

---

1. Johannes. † infans.

Elisabetha Uxor secunda *Basilii Fielding C. Denbighiæ.*

Dorothea nupta *Thomæ B. Grey de Groby.* 2. *Gustavo Mackvvorth.* 3. *Carolo Hovvsden.*

Anna nupta 1. *Jacobo Cranfeild C. Middlesex.* 2. *Chichestrio Wray.*

LIÆ BURCHIERIÆ
ESSEX ET DE BATH.

† 1349. Uxor: *Margarita*. . . . . . .

Uxor: *Mathilda*. . . . .

Wilhelmus Bourchier † . . . . *Eleonora Johannis de Louvain f.*

Wilhelmus Bourchier II. COMES de EU cr. 10. Jun. 1419. † 1420. *Eleonora Plantageneta, Thomæ D. Glocestr. f. Edmundi V. C. Stafford. vid.*

Anna nup. *Johanni Mowbray D. Norfolcia.*	Wilhelmus Bourchier Baro Fitz-Warine † post a. 1472. Ux. 1. *Thomasina, Richardi Hankford. f.* 2. *Catharina, N. Stukeley vid.* † *26. Mart. 1467.*	Johannes Bourchier Baro Berners, *Eq. Perisc.* † 16. Maji 1474 *Margarita, Richardi B. Berners fil. & her.*

Thomas Bourchier Eq. † . . . *Isabella, Johannis Barre f. Humphredi Stafford. Com. Devon. vid.*	Eduardus Bourch. occ. in pr. Wakefeld.	Fulco Bourchier † juv.	Fulco Bourchier B. Fitz-Warine † 12. Sept. 1479.	Humphredus Bourchier occ. in pr. Barnetfeld 1471. *Elisabetha Friderici Tilney f.*	Thomas Bourchier.

Johannes Bourchier B. Fitz-Warine COMES de BATH cr. 9. Jul. 1536. † 30. Apr. 1539. *Cecilia Ægydii B. d' Aubeny f.*	Johanna Ux. *Jacobi B. Audley.*	Elisabetha nupta 1. *Eduardo Stanhope* Eq. 2. *Richardo Page Eq.*	Johannes Bourchier B. Berners † 16. Mart. 1532. *Catharina Howard Johannis D. Norfolc. f.*

Elisabetha Ux. *Eduardi Chichester Armig.*	Dorothea nup. *Joh. Fulford Eq.*	Margarita.	Anna.	Eleonora.	Thomas Bourchier † *iv.*	Johanna nup. *Edmundo Knyvet Armig.*

Cecilia Ux. *Thomæ Peyton.*	Elisabetha.	Margarita.	Francisca.	3. Susanna.	Brigita nup. *Arturo Price de Vaynor.*

B*Athoniam*, urbem Somersettiæ vetustate famaque thermarum, quibus abundat, inclutam, *Comitatus* titulo decoravit R. Henricus VII. eoque impertiit *Philibertum de Chandevu* è Britannia Armorica oriundum, & de se, cum exularet, benemeritum, de cujus obitu, conjugio ac progenie nihil in Anglorum Annalibus ac monumentis extare *Dugdalius* (*a*) perhibet. Post illum JOHANNES BOURCHIER *Comitis Bathoniæ* honore à R. Henrico VIII. anno regni ipsius. XXVIII. affectus est, cujus familiam jam supra occasione Comitum Essexiæ memoratam singillatim hoc loco persequi, fidemque ibi datam liberare convenit.

Satorem *Bourchieriæ* stirpis autor noster (*b*) ROBERTUM DE BOURCHIER constituit, prædii *Halsted* in Essexia dominum, pacis bellique artibus regnante Eduardo III. illustratum & *Baronis* honore, necnon munere *Cancellarii Angliæ* dicti Regis beneficio auctum. Is è filio JOHANNE nepotes habuit duos videlicet BARTHOLOMÆUM & WILHELMUM; horum prior unicæ filiæ pater extitit, quæ bis quidem uxor, sed nunquam mater facta est; alter autem marem post se reliquit cognominem, multis magnisque expeditionibus sub R. Henrico V. nobilitatum, & meritorum ergo præfectura Turris Londinensis, nec non Dieppæ in Normannia, & Comitatu *Augiæ*, in eadem provincia sitæ, auctum; neque exiguum ad majora nitenti incrementum attulit affinitatis vinculum, quo cùm Regia domo se conjunxit, Thomæ Plantagenetæ D. Glocestriæ gnatam, priore tunc marito viduatam, in uxorem ducendo: omnes quippe filii ejus ad honores ac dignitates pertigerunt. HENRICUS tamen natu maximus longius cæteris processit, *Vicecomes* primo à R. Henrico VI. creatus, & Summi Angliæ Thesaurarii munere ditatus; eodemque deinde in officio ab Eduardo IV. confirmatus & ad *Comitis Essexiæ* honorem, materni intuitu juris, provectus. Hæc ornamenta moriens ad nepotem è filio WILHELMO ante se fatorum maligni tate abrepto, HENRICUM II. transmisit, qui egregiis animi corporisque dotibus illa cumulavit, sed sine prole mascula infausto casu periit, ab equo enim intractato excussus & dejectus cervicem fregit. Unica ejus filia ANNA Essexianum honorem ad *Wilhelmum Parrum*, cui haud auspicato nupsit, postea repudiata, transtulit.

A filiis *Wilhelmi Burchieri* Comitis Augiæ natu minoribus WILHELMO & JOHANNE illustris etiam propago defluxit: Ambo in Baronum ordinem uxorio jure pervenerunt, priore ad Parlamenta sub titulo *Lord Fitz-Warine* (quem uxoris ejus avunculus *Fulco Baro Fitz-Warine*, improlis gesserat) posteriore sub nomine *Lord Berners*, quod socero ipsius antea proprium erat, evocato; hujus autem posteritas cito defecit. Alterius stirps diuturnior fuit novis aucta decoribus: nepotem enim Wilhelmi modo memorati JOHANNEM R. Henricus VIII. anno regni sui XXVIII. *Comitem Bathoniæ* creavit, patrem JOHANNIS II. qui in hunc avitumque titulum successit & complures utriusque sexus liberos genuit: hæredem vero primarium habuit nepotem è filio primogenito, sibi præmortuo, WILHELMUM, qui inter ductores copiarum Anglicarum, Ordinibus Fœderati Belgii sub Comite Leicestriæ auxilio missarum, memoratur, filiumque successorem post se reliquit EDUARDUM, mascula prole orbatum. Nondum tamen è familia Burchieria Bathoniæ honos excessit, sed ad agnatum illius HENRICUM, *Georgii*, qui Johanne II. Comite Bathoniæ natus & in Hibernia Momoniæ exercitum, Prorege Arturo Barone Grejo, rexit, filium, Privati Sigilli sub R. Carolo I. custodem, transiit, cumque hoc demum sine prole mortuo intergit, stinctus est. (*c*) Extat *Tawestokii* in Devonia (ubi domicilium Comitum illorum erat) monumentum, memoriæ ejus consecratum, quod *Sandfordius* (*d*) in suo de Regiis familiis opere, æri incisum exhibuit, inscriptionem vero *Dugdalius* (*e*) recensuit, quam huc transscribere non erit, opinor, supervacaneum.

Hic situs est Dom. Henricus Bourchier Comes Bathoniensis; qui longa propagine & numeroso stemmate è vetustissimis ac nobilissimis familiis de Bourchier & Fitz-Warine effluxit, & jure hæreditario ac titulo cognationis ascita sibi insignia de Woodstoke, Bohun, Say, Mandeville, Bruse, Badlesmer, Clare, Montchensey, Cornhill, Windsor, Peverell, Clifford, Gifford, Martin, Mohun, Tracy, Cogan, Dinham, Courtney, Rivers, Stourton, Hangford, & reliquarum celebris notæ familiarum arma natalitia, cum propriis insignibus intertexta ac circumfusa, scuto suo gentilitio complectitur, & posteris Marmore insculpto hoc exhibet. Satis est Lector: habes jam tandem compendiosam suorum natalium seriem, ubi generis splendorem & prosapiæ suæ sublimitatem spectes, Si vero virtutes & animi supellectilem lustraveris, nomen suum ære perennius, Marmore diuturnius, aut quovis Elogio vel Epitaphio conspectius, tandem aliquando consulas.

Sexto

(*a*) Baronag. III. 288. (*b*) Ibid. II. 127. (*c*) Camden. Elis. p. 309. (*d*) p. 234.
(*e*) Baronag. II. 132.

Sexto post Henrici Burchieri postremi è gente sua Comitis Bathoniæ obitum anno, Rex Carolus II. id honoris JOHANNI GRENEVIL contulit, hujus originem autor noster *(a)* ad *Hamonem Dentatum* refert, Rollonis Normanni, Neustriæ occupatoris, consanguineum, & *Comitem de Carvoil*, nec non Dynastam *de Thorigny* & *Graneville* dicta in regione, patremque duorum filiorum, videlicet *Roberti* & *Richardi*. Prior cognomen *Fitz-Hamon* gessisse, Glamorganiam, quæ Cambriæ pars est, debellasse, suique juris fecisse, & denique *Comitis Glocestriæ* titulo à R. Wilhelmo Ruffo auctus fuisse memoratur: Uxor ei tribuitur *Sibylla* Rogeri *de Montgomery* C. Salopiæ gnata, proles tantum sequioris sexus, è qua *Mabiliam*, natu maximam R. Henricus I. filio suo notho *Roberto* nuptui dedit, à quo *Comites Glocestriæ* & *Glamorganiæ Dynastæ*, parte priori enumerati, descenderunt. Alter Hamonis Dentati filius *Richardus de Graneville* cognominatur, à fratre præmii loco ob navatam sibi in Glamorganiæ occupatione operam, *Nidum*, vulgo *Neath*, eximium oppidum sortitus; quod ille fundato ibi cœnobio, monachis tradidit, atque ad suum ipsius in Anglia patrimonium, quod amplissimum habuit, reversus est, quemadmodum *Camdenus (b)* refert. Ab eodem stirps *Grenevillana* serie nobis incognita derivatur: ex ea regnante Elisabetha clarum in navali militia nomen nactus est RICHARDUS GRENEVILL gloriosa etiam morte apud insulas Azoras 1591. defunctus, postquam inconsultæ temeritatis factum, quo sibi & navi prætoriæ, cui præerat, exitium accersivit, vera & ab hostibus quoque laudata fortitudine emendasset, quemadmodum in *Annalibus Elisabethæ* modo citati autoris *(c)* legere est. Hoc autem seculo cum Anglia bello civili arderet, pari virtutis bellicæ laude & singulari erga Regem fide inclaruit BEVILLUS GRENEVILL: is enim regias partes enixissime juvare & acerrime machinis ac armis propugnare sanguinemque suum prodigere non destitit, donec animam cum eo effunderet; id quod in conflictu quodam prope *Bathoniam*, contigisse *Dugdalius* memoriæ prodidit. Ex uxore sua *Maria*, Johannis *Saint Leger* gnata, filium genuit JOHANNEM GRENEVILLUM, qui paterna vestigia ingressus, multis ac magnis de familia regia meritus nobilitatus est, quæ Carolus II. simul ac in regnum restitutus fuit, honoribus *Baronis de Kilkhampton & Biddiford*, *Vice-Comitis de Landsdowne*, & *Comitis Bathoniæ* triduo ante ipsius inaugurationem ei collatis, repensavit. Idem in nupera rerum in Anglia mutatione Plymuthum intercipiendo & sub obsequium Regis Wilhelmi redigendo benè de egregio publico meritus esse celebrabatur, Matrimonio ille sibi junxit *Johannam*, Petri *Wiche*, qui Contrarotulatoris munia sub Carolo I. obiit, filiam, è qua XVI. liberos diversi sexus suscepit; superstitum sequentem syllabum autor noster dedit.

I. Carolus Grenevil, Baro Landsdowne; hunc ad Parlamentum ab hodierno Rege novissime indictum inter Barones evocatum fuisse, è Catalogo à viro Anglo eruditionis & officii pleno accepto vidimus.

II. Johannes Grenevil.

III. Bevillus Grenevil.

IV. Johanna nup. *Wilhelmo Gower dicto Leveson.*

V. Catharina.

VI. Gracia uxor *Georgii Carteret.*

Scutum, quo *Bourchieria* familia uti solebat, *argenteum* est, *cruce rubea denticulata* insignitum, quam *quatuor uteres aquarii militares* (Gibboni *(d)* vocabulis utor) *fusci* stipant. *Grenevillorum* digma *tria clavecymbala aurea* in scuto *rubro* repræsentat. *(e)*

Pp CAPUT

(a) B. III. 479. *(b)* Descr. Brit. p. 517. *(c)* p. 584. & 585. *(d)* Introd. ad Lat. Blas. p. 162. *(e)* Ibid. p. 57.

CAPUT LXIII.

DE COMITE CRAVENSI.



PRoximum à Bathoniæ Comite locum obtinet *Carlilius*, de quo utpote ex Howardorum genere prognato superius actum est; hunc excipit WILHELMUS CRAVEN COMES DE CRAVEN: is patre cognomini eoque mercatore, sed in equestrem locum sublato, atque anno 1611. summi Prætoris munere Londini functo, natus, à prima juventa animum ad majoris fortunæ spem erexit, militiæque nomen dedit, cujus tyrocinium in Germania sub inclutissimi Regis Sueciæ Gustavi Adolphi vexillis fecit, cumque deinde etiam Henrico Friderico Principi Arausionensi meruisset, strenui & experti bellatoris famam domum retulit, atque à R. Carolo I. in pretio haberi cœpit; cujus favore statim anno regni ipsius secundo *Baro Craven de Hampsted-Marshall* creatus est, cum extensione hujus honoris, si ipse prole mascula cariturus esset, ad fratres ejus *Johannem* & *Thomam*. Funesto postea inter Regem & Parlamentum exorto dissidio, cum fidelitatis etiam eximiæ documenta illi filioque ejus extorri dedisset, ab hoc post recuperatum imperium ad dignitatem *Vicecomitis de Ulfington* nec non *Comitis de Craven* (cujus nominis regiuncula in Eboracensi diœcesi ad fontes *Ari* amnis est) d. 16. Mart. 1664. provectus fuit, & quoniam sobolem non habebat, fratresque ejus supra nominati, atque in honorem Baronis *Craven de Hampsted-Marshall* substituti, itidem improles decesserunt, obtinuit, ut *Wilhelmus Craven de Lenchvvike* ipsius agnatus primum, & hoc quoque sine liberis masculis extincto, *Antonius Craven* istius frater, porroque alius *Wilhelmus Craven*, Thomæ, qui illorum tertius erat frater, filius in jus ac successionem Baronatus surrogati fuerint; quoad dignitates autem *Vicecomitis de Ulfington* & *Comitis Craven* aliquam hactenus decretam fuisse substitutionem non percepimus, ita ut hæ cum vita initio memorati Comitis sint desituræ. De fratre cæteroquin ejus natu proximo, jamque dicto JOHANNE CRAVEN, notasse convenit, quod & ipse singulari creatione à R. Carolo I. in Parium Ordinem adscitus & *Baronis Craven de Ryton* titulo insignitus fuerit, sed improlis, ceu dixi, è vita migraverit, licet *Elisabetham*, Wilhelmi *Spenseri* filiam, in matrimonio habuerit. *(a)*

Scutum Comitis *de Craven argenteum* est *fascia rubea* distinctum, quam utrinque *cruces erucíata & spiculata tres, eodem colore tinctæ*, stipant.

(a) Dugdal. Baron. III. 455.

CAPUT

CAPUT LXIV.

DE COMITE AILESBURIÆ ET FAMILIA BRUSSEA.



Comitis *Ailesburienfis*, quem nunc ordo tangit, genus ab antiqua & fceptrifera aliquando Scotiæ familia *Bruſſeorum* derivatur, quorum prima origo è Normannia manavit, unde ROBERTUS DE BRUS cum Duce Wilhelmo, Conqueſtore deinde appellato, in Britanniam trajecit, & agris caſtriſque præcipue *Skeltonenſi* prædio in Eboracenſi diœceſi & Scotiæ confiniis auctus, ſedem his in oris fixit, & illuſtrem profevit ſtirpem, in duos diſpanſam ramos, quemadmodum è ſequenti patet ſchemate. Ex eis vero ille qui naturæ ordine poſterior erat, priore magis effloruit atque excrevit; ROBERTUS enim, natu minor dicti Roberti filius, cum è paternis ditionibus in Anglia *Clevelandiam*, in Scotia *Anandaliam* & *Gariocham* ſortitus eſſet, poſteaque nepos ejus cognominis contracta cum regia Scotorum domo affinitate res ſuas firmaſſet, non dubicavit hujus natus ROBERTUS III. qui per uxorem Martham *Caritſæ Comes* factus, & multis claris familiis ſubnixus erat, poſt extinctam cum Alexandro III. maſculam Regum Scotiæ ſtirpem regnum affectare, deque eo cum Johanne Balliolo omni contentione diſceptare: cujus litis quis fuerit eventus ex iis, quæ parte ſuperiore dicta ſunt, patet. Id hoc repetiiſſe loco ſufficiat, filium Roberti Bruſſei poſtremo memorati, è Martha Caritſæ Comitiſſa natum, regno denique potitum eſſe, inque eo DAVIDEM. filium & hoc ſine prole mortuo Robertum Stuartum è gnata nepotem ſucceſſores habuiſſe. De fatis cæteroquin fratrum Roberti Bruſſei Regis Scotiæ in ſchemate enumeratorum legi poteſt *Buchananus Libro VIII. Rerum Scoticarum*, (b) quo loco NIGELLO BRUSSEO uxorem liberoſque fuiſſe expreſſe narratur, à quibus Bruſſeos hodiernos deſcendiſſe probabilitati haud eſt contrarium.

EDUARDUS BRUSSEUS *de Kinloſſe* fuit, qui familiæ ſuæ in tenebris aliquandiu demerſæ, novam hoc ſeculo affudit lucem, atque ob prudentiam & dexteritatem, quam Regi Scotiæ Jacobo in legatione Anglica & negocio ſucceſſionis ejus in hoc regnum probavit, Baronibus Scotiæ d. 8. Jul. anno 1603. adſcriptus & Sacrorum Scriniorum Magiſtri munere auctus eſt. Filius poſtea ipſius ſecundogenitus THOMAS (majore, cui EDUARDO nomen erat, in duello ab Eduardo Sakvillo Com. Dorſettiæ interempto) ejuſdem Regis beneficio *Comes Elginæ* in Scotia, & *Baro Bruce de Wharlton* in Anglia creatus eſt, gnatumq; poſt ſe reliquit ROBERTUM, quem Regiis ſemper partibus addictum Carolus II. cum rerum potitus eſſet, Bedfordiæ vicaria præfecit poteſtate, honoribuſque cumulavit, impertiendo ei titulos *Baronis de Skelton, Vicecomitis de Ampthill* & denique *Comitis Ailesburiæ*, nec non officia Conſiliarii Secretioris, Cuſtodis Rotulorum in Bedfordia ac Huntingdonia, & Vice-Mareſcalli Angliæ; Jacobus II. ad extremum Cubicularium domus ſuæ in locum Comitis de Arlington conſtituit, quo equidem munere haud diu gavifus, ſed fato ſuo eodem adhuc anno functus eſt. Eminet de cætero inter Proceres Scotiæ ex eadem gente *Alexander Bruce Comes de Kincarden*, cujus equidem agnationis cum illo modus me latet.

Scutum, quo *Comes Ailesbury* utitur, *aureum* eſt, *decuſſim* continens *rubeum*, *cephaloque* diſtinctum *ejuſdem coloris*, cujus angulus dexter argenteus *leonem cæruleum* defert.

(a) *Cap. VIII.* (b) *pag. 253. & 254.*

SCHEMA FAMILIÆ

ROBERTUS DE BRUS Dn. de Skelton & Anandale † 11. Maji 1141.

Adam de Brus Dn. de Skelton † 20. Mart. 1162. *Ivetta, VVilhelmi de Archea f.*

Adam de Brus II. Dn. de Skelton † 30. Mart. 1185.

Petrus de Brus Dn. de Skelton † 17. Jan. 1211. 1. *Johanna* . . . . 2. *Agnes, VVilhelmi Crassi C. Albemarle soror, VVilhelmi de Romara C. Lincoln. vidua.*

Isabella nup. *Henrico de Percy.*

Petrus de Brus II. Dn. de Skelton † ante a. 1222. *Helevvisa, VVilhelmi de Lancastria B. de Kendal soror & cohares.*

Petrus de Brus III. Dn. de Skelton † 1241. *Hilaria, Petri de Mauley f.*

Petrus de Brus IV Dn. de Skelton † 18. Sept. 1272 improlis.

Agnes nup. *Waltero de Fauconberg.*

Lucia Ux. *Marmaduki de Thvveng.*

Margarita nup. *Roberto Ros.*

Laderina Ux. *Johannis de Belevvu.*

SCHEMA FAMILIÆ
COMITUM DE

EDUARDUS BARO BRUCE de Kinlofe in Scotia † 14. Jan. 1610.

Eduardus Baro Bruce de Kinlosse, Eques Balnei 1610. occ. in duello.

Thomas B. Bruce de Kinlosse Comes de Elgine in Scot. 1611. Baro Bruce de Whorlton in Anglia † 21. Dec 1663.

Robertus Baro Bruce de Whorlton & Kinlosse VICECOMES de Ampthill, COMES AILESBURIÆ cr. 18. Mart. 1664. † 1. Nov. 1685.

Eduardus Bruce † juv.

Robertus Bruce † juv.

Carolus Bruce † juv.

Henricus Bruce † juv.

Bernhardus Bruce † juv.

Thomas Bruce Comes de Ailesbury & Elgine. *Elisabetha, Henrici Seamour B. Beauchamp. fil. 30. Oct. 1676.*

Robertus Bruce.

BRUSSEÆ ANTIQUIORIS.

Uxor: *Agnes Falconis Paynell filia.*

Robertus Brus Dn. de Anandale. Agatha nup. *Radulpho B. de Middleham.*

Wilhelmus Brus Dn. de Anandale.

Robertus Brus Dn. de Anandale.
Isabella, Davidis Scot, C. Huntingdon fil. & coh.

Robertus Brus Dn. de Anandale † 1294.
1. *Isabella, Gilberti de Clare, C. Glocestr. f.*
2. *Martha, Comitis de Carrik filia.*

1. Robertus Brus Dn. de Anandale † 1304 improlis.

2. Robertus Brus cogn. Junior Comes de Carrik, Dn. de Anandale R. SCOTIÆ coron. a. 1306. † 1329. Ux. 1. *Isabella Donaldi Comitis Marrensis f.* 2. *Elisabetha Comitis Hullestensis soror* † 1327.

Nigellus Brus. Thomas Brus. Alexander Brus. *de-collati* in Anglia.

1. Marioria nupta *Waltero Stuarto.*

2. David Brus Rex Scotiæ † improlis 7. Maji 1377.
Ux. 1. *Johanna, Eduardi II. R. Angl. f.* 2. *Margarita, Johannis Logy Eq. fil.*

BRUSSEÆ RECENTIORIS,
AILESBURY.

Uxor: *Magdalena, N. Clerke Eq. filia.*

Uxor. 1. *Anna Roberti Chichester de Kaleigh filia.* 2. *Diana, Wilhelmi Cecill, C. Exon. fil. & coh. Henrici C. Oxon. vid.*

Christiana nupta *Wilhelmo Cavendish, C. Devon.*

Uxor. *Diana Grey, Henrici C. Stanford. fil.*

Jacobus Bruce.

Diana, nup. 1. *Seamoro Shirley de Stanton-Harold*, 2. *Johanni Mannours C. Rutland.*

Anna Ux. *Wilhelmi Rich de Sunning.*

Christiana. Maria. Isabella. Anna Catharina. Henrica.

CAPUT LXV.

DE COMITE DE BURLINGTON ET FAMILIA BOYLENSI.



Nter illos, quorum fides ac integritas turbata Anglia enituit, haud postremum fuisse RICHARDUM BOYLE, *Comitem Corcagiæ* in Hibernia *Dugdalius (a)* commemorat; cujus tamen parentem ejusdem nominis *Thomas Carve Annalium Hibernicorum (b)* Compilator, rebellibus Parlamentariis favisse tradit, cum additamento, quod *ex infimo genere natus a Rege Jacobo ex mero in Hibernos odio ad illam honoris amplitudinem,* Comitatum nempe Corcagiensem, *sublimatus fuerit*; Complures vero Proceres, ex eadem *Boylorum* familia ortos, Hibernia alit, in quorum numero sunt: *Henricus Boyle Vice-Comes Shannon, Murrogh Boyle, Vice-Comes Blesington*, & denique *Michael Boyle, Archiepiscopus Armaghensis* & Regni Cancellarius: id etiam eximii hæc habet familia, quod munus *Thesaurarii Hiberniæ* hæreditario possidet jure. An verò illi, quos modo recensuimus, à Corcagiæ Comite descendant, exploratum non habemus, quos verò ab eo prognatos esse certò comperimus, illos Schema exhibet.

RICHARDUM, quem initio nominavimus, filium primi Corcagiæ Comitis natu maximum, Rex Carolus I. ob egregia de se merita non minus ac ob splendidum cum *Elisabetha*, filia ac hærede unica Henrici *Clifford* Comitis Cumbriæ, matrimonium Proceribus Angliæ aggregavit & *Baronem Clifford de Landsborough* creavit, Carolus II. porrò ad gradum *Comitis de Burlington* sive *Bridlington*, qui locus in diœcesi Eboracensi situs est, provexit. Natorum ejus primus CAROLUS *Boyle* titulo *Baronis Clifford* communiter appellatur, in Hibernia etiam *Vicecomitis Dungarvan* honore fruitur. Ejus filium primogenitum RICHARDUM mense Februario anno 1688. nuptias cum virgine è *Noëllorum* stirpe sata & Comitis de Gainsborough nepte celebrasse è publicis schedis accepimus.

Inter *fratres* Comitis de Burlington magnam eruditionis famam sibi pepererunt ROGERUM *Boyle Comes de Orrery Baro Broghil* in Hibernia, nec non ROBERTUS *Boyle*, quorum ille ob styli & carminum elegantiam inter claros Angliæ Poëtas à *Wilh. VVinstanlejo* laudatus est, hic politissimus ac acutissimus Philosophus societatis Regiæ Anglicanæ ingens decus existit.

Tab. XCIIII.

SCHEMA FAMILIÆ BOYLENSIS COMITUM DE CORK, BURLINGTON ET ORRERY.

RICHARDUS BOYLE COMES DE CORK in Hibernia cr. à R. Jacobo I. † . . .
Uxor. . . . .

Richardus Boyle Comes de Cork, Baro Clifford de Landsborough in Angl. cr. 4. Nov. 1644. COMES DE BURLINGTON 20. Mart. 1664. *Elisabetha Clifford Henr. C. Cumbr. f. & hær.*	Lætitia ux. *Georgii Goring, filii Comitis de Norvvich.*	Maria nup. *Carolo Rich C. VVarvvic.*	Rogerus Boyle, Baro Broghill, Com. de Orrery in Hibernia † 1679. Ux.	Robertus Boyle.

Carolus Boyle B. Cliff. de Landsborough, Vicec. Dungarvan. *Johanna Seymour Wilhelmi D. Somerset. f.* † 3. Nov. 1679.	Richard. Boyle.	Francisca nup. *VVentvvortho Dillon C. de Roscomon in Hib.*	Catharina † inf.	Elisabetha ux. *Nicolai Tufton C. de Thanet.*	Anna nup. *Eduardo Mountague C. de Sandvvich.*	Laurentia ux. *Laurentii Hyde C. de Rochester* † 22. Apr 1687.	Richardus Boyle, Com. de Orrery B. Broghil. *Elisabetha Sackville Richardi C. Dorsett. f.*

Richard. Boyle . . . *Noel, neptis Com. de Gainsborough.* 1688.	Carolus Boyle.	Henricus Boyle.	Wilhelmus Boyle.	Francisca.	Elisabetha.	Johanna.	Maria.

Insignia

(a) Baron. III. 473. (b) pag. 389.

Insignia Comitis de Burlington *scuto* constant *oblique dextrorsum secto*, ita ut dimidia ex parte *candeat*, altera *rubeat*, sectionis vero acies in *pinnas* desinat.

CAPUT LXVI.

DE COMITIBUS ARLINGTONIÆ & SHAFTSBURIÆ.

PRoximus à Comite Burlingtonensis cum regnum iniret Jacobus II. *Arlingtonensis* erat, vir maximæ apud Regem Carolum II. dignationis, qui novitatem suam (ἀγωνολόγητος enim *Dugdalio* est) multis rebus nobilitavit. Nomen ei erat HENRICO BENNET, uxor *Isabella Nassovia*, Ludovici Baronis *de Bevervvaerd* gnata, è qua unicam tantum prolem sequioris sexus suscepit atque anno 1685. die 9. Augusti vita defunctus post se reliquit, nempe *Isabellam*, Henrico *Fitz-Roy* Duci *de Grafton* an. 1679. nuptam. Evectus fuit à Rege paulo ante laudato in Baronum Ordinem d. 14. Mart. anni 1664. sub titulo *Lord Arlington of Arlington*, & novennii spatio interjecto, die scilicet 2. Apr. 1672. *Vice-Comes Thetfort* & *Comes Arlingtoniæ* in Middlesexia sitæ creatus, deinde Ordinis *San Georgiani* insignibus decoratus & denique munere Supremi Regis Cubicularii auctus. Frater ejus *Johannes Bennet*, Proceribus Angliæ aliquot abhinc annis sub titulo *Lord Ossulston* adscriptus, superstes est.

Insignia, quæ *Comes Arlingtoniæ* gessit, *leones dimidios tres argenteos* in scuto *rubeo, pomo imperiali aureo* in media regione insignito exhibent.

Shaftsburiensis Comes, qui nunc latus Burlingtonensis claudit, ANTON. ASHLEY COOPER appellatur, patre & avo ejusdem prænominis natus; huic genitores erant *Johannes Cooper de Rockburne* & *Anna*, Antonii *Ashley de Wimborne St. Giles* filia ac hæres, quorum nomina iste conjunctim gerere occepit, suoq; erga Carolum I. studio in ampliorem ordinem pervenit: statim enim post sollemnia inaugurationis dicti Regis creatus est *Baro Ashley de Wimborne*, deinde officiis Cancellarii Fisci Regii & Locumtenentis Dorseriæ atque a. 1672. d. 3. Aprilis novis honoribus *Baronis Cooper de Paulet*, nec non *Comitis Shaftsburiæ* auctus, & denique munere Præsidis privati Consilii cumulatus; Hoc autem anno 1679. iterum exutus tanta severitate, ut nomen quoque ejus in catalogo Consiliariorum expungeretur; perduellionis postea insimulatus ac in vincula conjectus, sed quod convinci non posset, libertati redditus fuit; iterata tamen vice an. 1682. conspirationis accusatus, fuga saluti suæ consuluit, atque in Hollandiam trajecit, & redempto Amstelodami jure civitatis, reliquum ibi vitæ tempus transegit, quod breve supererat, die enim 31. Januar. anni 1683. morbo naturæ concessit. Uxores *tres* successive habuit, primam *Margaritam*, Thomæ B. *Coventriæ* gnatam, secundam, *Franciscam*, Davidis *Cecill*, C. Exoniæ filiam, tertiam *Margaritam*, Wilhelmo Barone *Spenser* genitam; atque ex hac demum pater factus est filii unici ANTONII, qui in Comitis Shaftsburiæ titulum successit, atque anno 1687. mense Julio diem suum obiit, relictis è conjuge sua *Dorothea*, Johannis *Mannours* C. Rutlandiæ filia, ANTONIO Ashley *Cooper Comite Shaftsburiæ* hodierno & *Johanne*.

In *scuto* Comitis Shaftsburiæ, quod *argenteum* est, *tres boves nigri*, *deauratis armati cornibus*, conspiciuntur.

CAPUT LXVII.

DE COMITIBUS LICHFELDIÆ ET DANBIÆ.

EDUARDUS HENRICUS LEE *de Ditchley*, Baronettus, *Henrici Lee* & *Elisabethæ Poole*, quæ Thomæ Comitis *de Dovvne* in Hib. gnata, & in præsentia Comitis de Lindsey uxor est, filius ob egregias animi dotes à R. Carolo II. a. 1674. d. 5. Jun. in Parium Angliæ Ordinem provectus & *Baro de Spellesbury*, *Vicecomes Quarendon*, nec non *Comes Lichfeldiæ*, in Staffordia sitæ creatus est, uxoremque accepit *Barbaram* dicti Regis è Clevelandiæ Ducissa filiam. *Insignia* ejus *fasciam nigram*, *tribus lunis falcatis ejusdem coloris stipatam*, in clypeo *argenteo* repræsentant.

THOMAS OSBURNE *Danbiæ Comes* incrementa sua eidem debet Regi: patrem habuit *Eduardum Osburne* Baronetum, & Consilii Regii in partibus Borealibus Vice-Præsidem, matrem *Annam*, filiam Thomæ *Walmesley* de Dun-

de Dunkenhaly gnatam ex *Eleonora Danvers*, quam *Johannes Danvers de Dantsey* cum *Elisabetha* filia natu maxima & cohærede Johannis *Nevil* Baronis *Latimer* genuit, quæque soror erat *Henrici Danvers* primi *Comitis Danbiæ* a. 1643. sine prole mortui. Ille initio Thesaurarius classis regiæ factus, & deinde intimioribus consiliis adhibitus, in ampliorem mox ordinem pertigit, *Vic-Comes Dunblaine* in Scotia anno 1673. creatus, eodemque temporis tractu summi Angliæ Thesaurarii munere auctus, anno postea 1673. die 15. Augusti Baronibus hujusetiam regni sub titulo *Lord Kiveton* aggregatus, porroque *Vicecomitis Latimer*, & denique d. 7. Junii sequentis anni *Comitis de Danby* (qui locus è veteri Latimerensis familiæ peculio est in Eboransi diœcesi situs) honoribus cumulatus. Extremis autem regni Caroli II. annis cum multis conflictatus molestiis, & crebris à Camera Communium in Parlamento anno 1679. habito criminationibus exagitatus, munus Thesaurarii sponte abdicavit, vix tamen ac ne vix quidem latere tecto discessit. A Rege hodierno Wilhelmo III. cujus partibus inter primos accesserat, easque in regione Angliæ Boreali sustinuerat & corroboraverat, in pristinam dignitatem restitutum prætereaque titulo *Marchionis de Camarthen* die 5. Mai anni, quo hæc scribimus 1689. auctum esse accepimus. Connubio sibi sociavit *Brigitam*, Montacuti *Bartu* Comitis *de Lindsay* filiam, è qua octo diversi sexus liberos suscepit, quorum hæc est nomenclatio.

I. Eduardus Osborne Baro Latimer antehac, nunc *Comes de Danby* dictus, cui in uxorem ducta est *Elisabetha*, *Simonis Benet de Beauchampton filia*.

II. Peregrinus Osborne, in quem parens, annuente Rege, honorem *Vice-Comitis Dunblain* transtulit.

III. Anna nup. *Roberto Coke de Holkham*.
IV. Brigita, uxor facta *Caroli Fitz-Charles Comitis de Plimouth*, nunc vidua.
V. Catharina, *Jacobo Herbert* elocata.
VI. Martha.
VII. Sophia, *Eduardi Baynton* conjux.
Et VIII. Elisabetha, quæ intra primæ juventæ annos decessit.

Scutum Comitis Danbiæ *quadripartitum* est *in laterculos maculis muris Pontici & cyano alternatim respersos ac tinctos*, mediante *cruce aurea*.

CAPUT LXVIII.

DE COMITIBUS SUSSEXIÆ.



Iam antiquior iterum titulus inter tot novos se nobis offert, à *Suffexia* desumtus, quæ provincia ab Australi situ & Saxonibus, qui in Heptarchia secundum regnum hic constituerunt, appellationem accepit. Primos ejus Comites post Normannorum adventum quatuor è familia *de Albineto*, qui itidem Comites Arundeliæ fuerunt, (de quibus superius dictum est) extitisse *Camdenus (a)* tradit. Post illos interjecto haud exiguo temporis spatio *Radcliffi* hunc Comitatum nacti sunt, quos inter primus ROBERTUS RADCLIFFUS à Rege Henrico VIII. honore illo auctus est; is patrem habuit JOHANNEM, Regis Henrici VII. Palatii Præfectum, sed quod conspirationis *Perkini Warbek* impostoris particeps fuisset, capite plexum, avumque ejusdem nominis, cui titulus *Lord Fitz-Walter* & locus inter Angliæ Proceres uxorio obtigit jure. Neque vero *Robertus Radcliffus* uno saltu, è Barone Comes factus est, sed antequam id honoris consequeretur, *Vice-Comitis* axioma acceperat, id quod anno 1525. illud autem anno 1529. contigit. Cæteræ ejus dignitates, virtutesque commemorantur in *epitaphio*, quod *Londini* in *æde Laurentiana* extat, & ita se habet *(b)*: *Robertus Radcliffe, Miles, Dominus Fitz-Walter, Egremond & Burnell*

(a) *Descr. Brit. p. 238.* (b) *Dugdal. Baronag. III. 286.*

SCHEMA FAMILIÆ RADCLIFFENSIS, BARONUM FITZWALTER, COMITUM DE SUSSEX.

JOHANNES RADCLIFFE, Baro Fitzwalter, *Eques Periscelidis* † ante a. 1442. *Elisabetha, Walteri Bar. Fitz-Walter f. & cohæres.*

Johannes Radcliffe Baro Fitz-Walter, *decoll.* 1495.

Robertus Radcliffe, restitutus in honorem Baronis Fitz-Walter a. 1505. cr. Vice-Comes 1525. COMES SUSSEXIÆ 1529. *Eques Perisc.* † 27. Nov. 1542. Ux. 1. *Elisabetha, Henrici Stafford D. Buckingam. f.* 2. *Margarita, Thomæ Stanley C. Darb. f.* 3. *Maria, Johannis Arundel de Lanherne f.*

- 1. Henricus Radcliffe C. Sussex. *Eq. Perisc.* † 17. Febr. 1556. Ux. 1. *Elisabetha, Thomæ Hovvard D. Norf. f.* 2. *Anna, Philippi Calthorp f.*
- Georgius Radcliffe.
- Humphredus Radcliffe de Elnestow.
- 2. Anna Ux. *Thomæ B. Wharton.*
- Johanna Uxor *Antonii Vicec. Mountagu.*
- 3. Johannes Radcliffe.

- 1. Thomas Radcliffe C. Sussex. † 9. Jun. 1583. Ux. 1. *Elisabetha, Thomæ Wriothesley Com. Southant. f.* 2. *Francisca Wilhelmi Sidney f.* † 9. *Mart.* 1589.
- Henricus Radcliffe C. Sussex *Eq. Perisc.* † 10. April. 1593. *Honora, Antonii Pound f.*
- Franciscus Radcliffe.
- 2. Egremond Radcliffe occ. 1578.
- Francisca nup. *Thomæ Mildmay de Mulsho.*
- Thomas Radcliffe † improlis.
- Eduardus Radcliffe C. Sussex. † ā.ē.
- Francisca Ux. *Henrici Checke.*

- 1. Henricus & Robertus Radcliffe obiere in infantia.
- Robertus Radcliffe C. Sussex, B. Fitz-Walter *Eq. Perisc.* † 22. Sept. 1629. Ux. 1. *Brigita, Caroli Morison f.* 2. *Francisca Herculis Meutas de Hame f.*
- Henricus Mildmay de Mulsho.

- 1. Henricus Radcliffe † ante patrem improlis. *Johanna, Michaelis Stanhope Eq. f.*
- Thomas Radcliffe † ante patrem.
- Elisabetha nupta *Johanni Ramsey Vicec. Hadington C. Holderness.*
- Honora.
- N. Mildmay de Mulsho.

- Henricus Mildmay de Mulsho † av.
- Benjamin Mildmay Baro Fitz-Walter † . . . . . *Catharina Thomæ Fairfax de Emmeley fil. & cohæres.*

- Carolus Mildmay B. Fitz-Walter.
- Benjamin Mildmay.
- Walter Mildmay.

Burnell, Vice-Comes Fitz-Walter, Magnus Camerarius Angliæ, Camerarius Hospitii Regis Henrici Octavi, ac eidem à consiliis. Prœliis in Gallia commissis aliquoties inter primos ductores honoratus. In aliis belli pacisque consultationibus non inter postremos habitus. Æquitatis, Justitiæ, Constantiæ magnum ætatis suæ monumentum. Obiit XXVI. die Novembris An. Dom. MCCCCCXLII.

Roberto Radcliffo in honorem tum recens acquisitum, tum avitum successit filiorum natu maximus HENRICUS; huic magnæ regnante Maria dignationis viro, cum uxore secunda *Anna Colthorpia* dissidium natum est, quod in divortium denique erupit, postquam duos ex ea liberos suscepisset, *Franciscam* nempe, in *Mildmajensem* familiam, quæ Radcliffiis extinctis honorem *Baronis Fitz-Walter* sibi vindicavit, enuptam, & EGREMONDIUM. Hic referente *Camdeno* (a) vir turbido ingenio, & in rebellione Septentrionalium Anglorum inter primarios, sub Johanne Austriaco in Belgio meruit, atque à profugis Anglis accusatus, quasi percussor ad Austriacum tollendum submissus esset, in castris ad Namurcum cum Grejo Anglo, ut consilii non ignaro, captus & morte affectus est. E priore autem uxore *Elisabetha Hovvarda* Henrico Radcliffo tres nati sunt mares, melioris farinæ, quos inter natu maximus THOMAS *tertius* ex hac gente *Comes Sussexiæ* factus est, *vir*, modo citati autoris (b) elogio; *eximia animi & consilii magnitudine, fide erga patriam singulari; qui summis decursis honoribus Legatus à Maria Regina & Carolum V. Augustum de connubio cum Principe Philippo contrahendo in Germaniam missus, postea in Hispaniam ad Philippum cum Carolo Austriaco; Hiberniæ Locum tenens, Præses provinciarum septentrionalium Angliæ, Camerarius regius, Protoforestarius Angliæ ultra Trentam flumen, clarus victoriis contra Hebridianos & Scotos, qui limites infestarunt, Leicestriæ Comitis innata antipathia adversarius perpetuus, diuturno morbo conflictatus Londini sine prole obiit*, etsi duas uxores duxerit, fratremque HENRICUM habuit successorem. Is Portui Magno sive *Portsmutha* ab Elisabetha præfectus & insignibus *Ordinis Georgiani* ornatus avitos honores filio ROBERTO reliquit, quo sine prole (omnis enim, quam genuerat, fata patris antevertit) defuncto, EDUARDUS *Radcliffus de Elnestovv* propatruo illius natus, Comitis Sussexiæ & Baronis *Fitz-Walter* honores sibi sumsit, competitorem in posteriore anno 1640. nactus HENRICUM MILDMAIUM, Roberti Comitis Sussexiæ amitinum; litem vero exinde ortam secuta mox rerum in Anglia perturbatio sustulit. Reformato demum in pristinum habitum regno, cum *Eduardus Radcliffus* interea fatis concessisset, neque sobolem aut hæredem gentilitium post se reliquisset, atque adeo Sussexiæ Comitatus exoluisset, HENRICUS MILDMAY, paulo ante nominati nepos, jus suum in honorem *Fitz-Walterianum* resumsit, ejusque concessionem à Rege Carolo II. flagitavit; cujus voti, illo paulo post mortuo, frater ejus BENIAMIN *Mildmay* damnatus fuit, frustra intercedente *Roberto Cheeke*, è sorore Eduardi Radcliffi ultimi Comitis Sussexiæ nato.

Postquam cessasset aliquandiu honos Sussexianus, restauratus est à R. Carolo II. anno 1668. & collatus *Thomæ Savile*, cujus cum filio *Jacobo* improli iterum desiit, quemadmodum è *schemate* quod supra (c) occasione Marchionis Halifaxii, eodem genere orti, exhibitum fuit, videre licet. Nondum autem à Jacobi Savilei morte triennio elapso, idem Rex Comitem Sussexiæ creavit THOMAM LENNARDUM Baronem *Dacræum*, cui eodem temporis tractu filiam *notham* è Clevelandia genitam, nuptui locavit. Hic à SAMSONE *Lennardo* genus derivabat, cui cum uxore *Margarita Fienes*, Gregorii Baronis *Dacræi* sorore ac hærede jus in hunc obvenit honorem, HENRICO *Lennardo* ejus filio adjudicatum & posteris, qui in schemate recensentur, transcriptum.

Insignia Lennardorum æque ac Radclifforum quod attinet, usi sunt hi *fascia diagonali nigra*, eaque *dentibus asperata*, in scuto *argenteo*; illi vero *trabem rubeam*, *liliis tribus aureis ornatam*, in clypeo, *metallo*, quod modo nominavimus, tincto, deferunt.

(a) *Annal. Elisab. p. 290.* (b) *Ibid. p. 366. 367.* (c) *Cap. XVIII. Tab. XLI.*

SCHE-

Tab. XCVI.

SCHEMA FAMILIÆ LENNARDINÆ, BARONUM DACRES, COMITUM DE SUSSEX.

SAMSON LENNARD Armiger. Uxor; *Margarita, Thomæ Fiennes B. Dacres fil. Gregorii soror ac hæres.*

Henricus Lennard Baro Dacres † 10. Aug. 1616. *Chrysogona Henrici Baker de Silsinhurst f.*

Richardus Lennard B. Dacres † 18. Aug. 1630. 1. *Elisabetha, Arturi Throkmorton f. & coh. 2. Dorothea, Dudleji B. North. f.*	Eduardus Lennard.	Fiennes Lennard.	Margarita Ux. N. *Wildgoose.*	Philadelphia nupta *Thomæ Parker de VVillington.*

1. Franciscus Lennard B. Dacres † 1662. *Elisabetha, creata Comitissa de Shepey ad dies vitæ, Pauli Vicec. Boyning. f.*	Richardus Lennard † juvenis.	Thomas Lennard.	Henricus Lennard † juv.	2. Richardus Lennard.	Catharina.

Thomas Lennard B. Dacres, COMES SUSSEXIÆ. cr. 5. Oct. 1674. *Anna, Caroli II, R. Angl. notha.*	Henricus Lennard.

CAPUT LXIX.

DE COMITIBUS FEVERSHAMIÆ ET MACLESFELDIÆ FAMILIAQUE GERARDINA.



Ussexiæ Comiti proximus est *Ludovicus Duras Comes de Fevershàm* è Gallia oriundus, cujus genus quoniam alio recensuimus loco *(a)* hic enumerare supersedemus; id tantum repetiisse non erit supervacaneum, quod *frater* sit Jacobi Henrici *Ducis de Duras* & Guidonis Aldoncii *Comitis de Lorge*, *Mareschallorum Franciæ*, quodque jus indigenatus in Anglia nactus & *Baro de Holdenby* anno 1673. creatus, *Mariam*, Georgii *Sondes* (quem Rex Carolus II. ad honores Baronis *de Throvvley*, Vice-Comitis *de Leescourt*, & Comitis *de Feversham* anno 1676. provexit) filiam, è Maria *Villeria de Brokesby* natam, connubio sibi junxerit, & in modo dictos soceri sui, mascula prole destituti, titulos, substitutus fuerit, illoque intra triennii spatium vivis exempto successionem istam adierit, licet uxorem suam primo statim matrimonii anno amisisset, cui soror unica *Catharina* superstes mansit, communisque parentis hæreditatem crevit.

(a) Vid. Geneal. Excell. in Gall. famil. p. 271.

SCHEMA FAMILIÆ,

BARONUM DE BROMLEY ET DE

GILBERTUS GERARD, Eques † 1592.

Thomas BARO Gerard de Bromley cr. 21. Jul. 1603. † 1618. Ux. 1. *Alicia, Thomæ Rivet f.* 2. *Elisabetha Woodford.* | Francisca nupta *Richardo Molineux Equiti.*

1. Gilbertus Baro Gerard de Bromley † 1622. *Eleonora, Thomæ Dutton de Dutton f.* | Wilhelmus Gerard. | Johannes Gerard.

Dutton Baro Gerard de Bromley † 22. Apr. 1640. 1. *Maria, Francisci Fane C. Westm. f.* 2. *Elisabetha, Henrici C. de Thomond f. & coh.* | Thomas Gerard. | Alicia nup. *Rogero Owen.* | Francisca Ux. *Roberti Nedham.* | Elisabetha nupta *Petro Leicester de Nether-Tabley.*

1. Carolus Baro Gerard de Bromley † 28. Dec. 1667. *Johanna, Georgii Digby de Sandon f.* | Maria nupta *Antonio Cope de Hanwell.* | 2. Elisabetha Uxor *Wilhelmi Spenser de Ashton f.*

Digbius Baro Gerard de Bromley natus 16. Jul. 1662. † 20. Octob. 1684. *Elisabetha.*

Carolus Baro Gerard de Bromley.

GERARDINÆ,

BRANDON, COMITUM DE MACCLESFIELD.

Uxor. *Anna, VVilhelmi Radcliffe & VVimersley f.*

Margarita Uxor *Petri Leigh, Armig.* — Radcliffus Gerard, Armiger. *Elisabetha, Caroli Somerset fil. & hær.* — Catharina nupta *Richardo Houghton.* — Radcliffia Uxor, *N. Wingfeild.*

Carolus Gerard, Eques. *Penelope, Eduardi Titton de Gosvvorth soror & cohæres.* — Thomas Gerard. — Gilbertus Gerard, Gemellus. — Radcliffus Gerard Gemellus.

Carolus BARO Gerard de Brandon cr. 8. Nov. 1669. COMES DE MACCLESFIELD 1679. — Eduardus Gerard. — Gilbertus Gerard occ. ap. Ludlow in Salopia. — Gilbertus Gerard. — Radcliffus Gerard. — Johannes Gerard. occ. — Somersettius Gerard. — Penelope

Fevershamium sequitur CAROLUS GERARD *Comes de Maclesfield*, nobili & clara ortus familia, quam ab illustri *Giraldinorum* in Hibernia stirpe defluxisse *Dugdalius* (a) tradit: hujus sator constituitur *Mauritius*, Giraldi à *VVindesora* filius, genere Anglus, inter primos Hiberniæ expugnatores anno 1170. celeberrimus, cujus posteri per Mommoniam diffusi & latifundiis aucti, provincias denique integras cum Kerria Comitatu Palatino & plurima castella suæ ditionis fecerunt, atque ab Angliæ Regibus ad summos honores provecti sunt: *Johannes* enim & *Mauritus Giraldidæ* fratres, *Thomæ* filii, seculo XIV. *Comites*, prior *Kildariæ*, posterior *Desmoniæ*, Regum Eduardorum II. & III. favore creati fuere, & Kildariensi quidem Comitatu Johannis progenies hodieque gaudet; Desmoniensi autem Mauritii posteritas excidit, postquam *Giraldus Fitz-Gerald*, undecimus è gente sua Desmoniæ Comes, potentia qua valebat, adeò, ut, *Camdeno* (b) referente *magnas clientelas & ex sua ipsius stirpe & cognomine quingentos plus minus nobiles ad nutum habuerit*, ad pertinacem rebellionem abusus, eaque propter proscriptus, & à gregario milite in latibulo deprehensus multisque vulneribus confossus esset, id quod anno 1583. contigit. Unicum ille gnatum habuit, quem per Reginam Elisabetham in pristinam dignitatem restitutum paulo post Londini decessisse, alterum verò qui factione *O-Nelli Comes* appellatus est, ex linea collaterali genitum, & à proprio consanguineo in Clangibbon capite plexum, adeoque nomen Giraldinorum Comitum in Desmonia abolitum fuisse, quamvis ex illis adhuc viri præstantes supersint, qui ab Hibernis diversis agnominibus appellantur, *Carveus* (c) literis prodidit.

Ab eadem stirpe in Comitatu Lancastriæ effloruit ramus *Gerardorum de Brin*, quo satus erat GILBERTUS GERARDUS; hunc exacta legum juriumque cognitio, cum multa eloquentia conjuncta, officio Præfecti sacrorum scriniorum regnante Elisabetha, dignum reddidit, & nobilitavit, ita ut filium ejus natu majorem THOMAM ad ampliorem efferendum esse ordinem R. Jacobus censeret, eundemque *Baronem de Gerard-Bromly* primo statim regni sui anno crearet, munere etiam Præsidis in finibus Walliæ deinde à se auctum. Ab eo CAROLUS *Baro Gerard de Bromly*, qui superstes est, & haud ita pridem DIGBIO *Gerardo* eo in honore successit, sanguinem derivat.

Quæ à natu minore Gilberti Gerardi filio, RADCLIFFO *Gerardo*, descendit propago, laude fortitudinis ac fidelitatis hoc inclaruit seculo, ex ea enim CAROLUS, EDUARDUS & GILBERTUS Caroli filii, nec non ex Radcliffi II. gnatis, GILBERTUS, RADCLIFFUS & JOHANNES eximia virtutum illarum documenta, eaque sanguine signata R. Carolo I. dedisse celebrantur; & GILBERTUS quidem, *Caroli* F. vitam etiam fortiter pro eo apud *Ludlovv* in Salopia pugnans profudit; JOHANNEM autem Cromwellus in potestatem suam redactum morte affecit. Reliqui superatis utcunque tot rerum discriminibus fidei suæ præmiis non caruerunt, quæ tamen ampliora cæteris CAROLUS adeptus est: hunc enim à Rege Carolo I. in Baronum Ordinem sub titulo *Lord Gerard de Brandon* elatum, & equestribus copiis præfectum Carolus II. postquam regna avita recuperasset, summo habuit in pretio, atque anno 1679. *Vice-Comitem de Brandon* & *Comitem de Neuburi* creavit; paulo post verò posteriorem titulum, quod Dux Sommersettensis Baro de Neuburi esset, cum *Macclesfeldensi* ei commutavit.

Tessera gentilitia familiæ *Gerardinæ* eadem est, qua *Giraldini* in Hibernia utuntur, nempe *decussis rubeus argenteo in solo*; addere tamen illa consuevit discerniculi loco *lunam falcatam nigram*.

(a) *Baronag. III. 417.* (b) *Annal. Elisab. p. 371. 372.* (c) *Anacephal. Hib. p. 48.*

CAPUT

DE COMITIBUS RADNORIÆ ET YARMUTHII.



AROLI BODVILEI ROBERTSII *Radnoriæ Comitis* familia è Comitatu Cornubiæ oriunda est, atque in ejus proavo RICHARDO *Roberto de Truro* illustrari cœpit: hunc R. Jacobus I. in equestrem primo locum extulit, postea *Baronetum* & denique *Baronem* creavit, neque tamen cupientem id honoris, nec rogantem, sed à Bukingamiæ Duce, cujus prope nutu omnia tunc gerebantur, ipsi obtrusum: inter multa enim crimina, quorum Bukingamius post dicti Regis obitum, in primis à R. Carolo I. habitis comitiis urgebatur, id etiam, *Dugdalio* (a) & *Johnstono* (b) referentibus, in medium prolatum fuit, quod *Robertsio* cuidam locupleti, qui fœnus apud Danmonios exercuit, invito & recusanti, pro impetrata Baronis dignitate decies mille libras vi expresserit. Quæ vero insignia honoris sine honore accepisse *Richardus Robertsius* videtur, ea dignè gessit & auxit filius ejus JOHANNES, quem ob summam in rebus agendis solertiam prudentiamque R. Carolus II. ad suprema Coronæ Angliæ officia provexit, & Custodem primo Privati Sigillii, dein Proregem Hiberniæ & denique *Præsidem* sacri Consistorii in locum Shaftsburiæ Comitis d. 4. Novembris anno 1679. constituit, tertio ante mense novo *Comitis Radnoriæ* (quæ Cambriæ provincia in *Mortimerorum* ditione quondam fuerat) axiomate decoratum. Defuncto mortali vita post sexennium successit hoc in honore nepos è filio natu maximo ROBERTO, ipsi haud dubie præmortuo, nepos initio nominatus.

Scuto is utitur *caruleo*, in quo *Soles tres aurei* fulgent, cum *cephalo undato* eodem *metallo* tincto.

(a) Baronag. III. 452. (b) Rer. Brit. LXXI. p. 681.

TAB. XCVIII.

SCHEMA FAMILIÆ ROBERTSIÆ, COMITUM DE RADNOR.

RICHARDUS ROBERTS de Truro, Eques cr. 1616. Baronet 1621. BARO Roberts de Truro 26. Jan. 1624. † *Francisca, Joh. Hender de Botreaux-Castle f.*

- Johannes B. Roberts de Truro, VICECOMES Bodmin COMES RADNORIÆ, cr. m. Aug. 1679. † 1. Aug. 1685. ∞ 1. *Lucia, Roberti Rich C. Warvvic. f.* 2. *Isabella Joh. Smith f.*
  - 1. Robertus Roberts Vicec. Bodmin † *Sara, Joh. Bodvile de Bodvile Castle f.*
    - Carolus Bodvile Roberts Comes Radnoriæ.
  - Hinder Roberts.
  - 2. Francifcus Roberts.
  - 1. Henricus Roberts.
  - 2. Warvyck Roberts.
  - 1. Isabella nup. *N. Moore filio Comitis de Drogheda in Hib.*
  - 2. Olympia.
  - 2. Essexia.
- Maria nup. *Wilhelmo Rouse de Hatton.*
- Jana ux. *Caroli B. Lambert.*

Yarmuthensis

Tarmuthensis Comes WILHELMUS PASTON è perantiqua & nobili in Comitatu Norfolciæ familia originem trahit, quæ duobus jam retro seculis affinitate regiæ domus haud indigna habita est: *Anna* enim *Bellofortia*, Edmundi Ducis Somersetiæ gnata, à fratre Regis Henrici IV. orta *Wilhelmo Pafton* Norfolciensi nupta fuit, eidemque duas peperit filias *Annam* & *Elisabetham*, quarum prior *Gilberto Talbot*, altera *Johanni Savile de Thornhil* in manum convenit. Nostra ætate ROBERTUS PASTON novum genti suæ decus intulit, fide ac officiis, quæ R. Carolo II. difficillimis temporibus præstitit, partum: Honores scilicet *Baronis, Vicecomitis* & denique *Comitis de Tarmouth* in Norfolcia, quorum priores anno 1673. postremum anno 1679. consecutus est. Diem ille obiit supremum anno 1683. postquam ex uxore sua, quæ *Rebecca*, Casparis *Clayton*, civis Londinensis, filia erat, decem suscepisset liberos, quorum hanc nomenclationem *Dugdalius* (a) dedit.

I. Wilhelmus Paston initio nominatus, qui patri in Comitis honorem successit & *Carolam*, Regis Caroli II. filiam naturalem, in matrimonio habet.
II. Robertus Paston.
III. Caspar Paston.
IV. Johannes & V. Edmundus intra infantiæ annos extincti.
VI. Thomas Paston.
VII. Margarita, nupta *Hieronymo Alberto di Conti*.
VIII. Maria.
IX. Catharina in juventa mortua.
Et X. Elisabetha.

Insignia Pastonensis familiæ in *scuto argenteo*, *sex lilia cærulea* & *cephalum dentatum aureum* repræsentant.

CAPUT LXXI.

DE COMITE BERKLEIO ET FAMILIA EJUSDEM NOMINIS.



Comes *Berklejus*, ad quem nunc justa ducimur serie, id eximium ac peculiare habet, quod à castro suo originario ac gentilitio nomen gerit, neque ab extraneo loco inane sumere nomen necesse habuit. Sita est Berkleja in Comitatu Glocestriæ ad litus Sabrinæ, & cœnobio virginum olim clara erat, quod Godwinus Cantii Comes, vir, *(Camdeni (a) verbis,) ad faciendam injuriam instructissimus*, in suam traxit possessionem pessima arte, quam dictus autor è Gualtero Mapæo, qui ante annos 400. & quod excurrit, floruit, hunc in modum recensuit: *Berkleja prope Sabrinam est villa 500. librarum. Monialium erat ibi Monasterium, quibus abbatissa præfuit nobilis & formosa. Godwinus Comes in dolo subtili satis, non ipsam, sed sua cupiens in transitu ei reliquit nepotem suum juvenem elegantissima formæ, tanquam infirmum, donec revertetur, instruxitque ipsum jacentem ne convalesceret, donec visitantes ipsum & ipsam & quascunque posset moniales fecisset de honestis onustas; & ut plenam valeret ab iis assequi juvenis visitationis gratiam, annulos & zonulas ei dedit ipsis in fraude largienda. Is igitur voluptatis iter ultroneum libenter ingressus, quod facilis descensus Averni, facile docetur, & in id quod sibi sapit, sapienter despit. Penes ipsum resident omnia fatuis optanda virginibus, pulchritudo deliciarum, divitiæ, affabilitas, & solicitus est singulum locum habere. Diabolus Palladium igitur expulit, Venerem intulit, fecitque Salvatoris & Sanctorum Ecclesiam execrabile Pantheon, & delubrum lupanar, & sic agnas convertit in lupas. Tumentibus igitur multarum uteris, jam relanguens & victus voluptatis evictor evolat, Domino suo victrices aquilas mercede dignas iniquitatis illicò refert. Ille Regem impigrè adit, Abbatissam & suas praegnantes, & omnibus prostitutas edocet, exploratoribus missis omnia probat. Berklejam ipsis petit ejectis & à Domino suo accepit.*

Wilhelmi Conquestoris ætate Dominum habuit Berkleja *Rogerum* quendam, cui cognomentum *de Berkley* fuit, & successit *Wilhelmus de Berkley*, illius nepos, huic *Rogerus* II. quem *Rogerus* III. excepit, unicæ pater filiæ nempe *Aliciæ*. Erat Rogero III. coævus ROBERTUS FITZ-HARDING, sive *filius Hardingi* ex regia prosapia Regum Daniæ orti, quemadmodum *Dugdalius (b)* è veteri MSo in castro *Berkley* extante refert. Illi Henricus, Mathildis Imperatricis

(a) Baronag. III. 486. (b) Descr. Brit. p. 277. (c) Baronag. I. 349.

cis filius, tunc Normanniæ Dux, quod obsequium ipsi detulisset, cum alia prædia, tum Berklejensem dynastiam contulit, Rogero III. quia R. Stephano adhærebat, ea multato. Cum vero iste cedere Roberto nollet, crebrasque ei turbas daret, ita denique autoritate tum R. Stephani, tum Ducis Henrici, qui ipsimet in concordiam redierant, transactum est, ut *Rogerus* gnatam suam ALICIAM, MAURITIO, Roberti filio, nuptui locaret, hocque pacto Berkleja Hartingiadis asserta fuit. Ea autem filium Mauritii ROBERTUM II. R. Johannes exuit eo quod factiosis se adjunxisset, neque ille licet ad officium reversus, recuperare integram potuit, sed caruere castro ipse pariter & frater ejus ac successor THOMAS usque ad annum octavum regni Henrici III. cujus demum indulgentia castrum Berklejanum ad istum rediit; hicque ludus processu temporum sæpius lusus fuit, ut modo amitterent castrum suum Berklejii, modo reciperent.

THOMÆ III. & MAURITII Berklejorum fratrum extollitur fortitudo, qui tum suopte ingenio bellicosi, tum conditione temporum ad arma stimulante, magnis belli à R. Eduardo III. cum Gallis gesti eventis & periculis immixti, ita se gessere, ut ad summos militiæ honores pertigerint; quam orbitam premendo gnatus Thomæ MAURITIUS IV. in summam venit gloriam; maxime vero bellicis abundavit laudibus THOMAS IV. *Baro Berklejus*, cujus opera Reges Richardus II. & Henricus IV. difficillimis in expeditionibus terra marique & lubenter & salubriter usi sunt. Mors ejus Berklejos & inprimis JACOBUM ex ipsius fratre natum in diuturnam & acrem conjecit litem: cum enim ille prolem masculam nullam post sereliquisset, *Jacobum* in avita castra prædiaque ex providentia majorum successurum antevertit Warwicensis Comes Thomæ IV. Berklejii in filia unica gener, & quamvis jussu R. Henrici V. reddere illa *Jacobo Berklejo* coactus fuisset, mortuo tamen dicto Rege vi armata illa recipere molitus est, castrumque Berklejanum oppugnavit, arbitris vero intercedentibus inita quidem fuit transactio, sed à Warwicensi, potentia, qua valebat, nixo, brevi iterum infracta. Filia etiam illius ex *Elisabetha Berkleja* nata, & Salopiæ Comiti nupta, *Margarita* litem redintegratam magna contentione nec sine sævitia prosecuta est, adque ad violentiam prolapsa Berklejam una cum possessore ejus JACOBO filiisque astu & proditione intercepit, cumque deinde uxorem etiam Jacobi *Isabellam Molbrajam* in potestatem suam Glocestriæ redegisset, in custodia ambos diu detinuit, duriterque habuit, ita ut ista spiritum in vinculis deponeret; ille vero recuperata tandem libertate, ut præcipua Margaritæ præsidia in suas derivaret partes, privignam ejus *Johannam Talbot*, Johannis II. C. Salopiæ sororem germanam, nuptiis sibi adjunxit tertiis, & domi denique supremum explevit diem, succedente ei filio natu maximo WILHELMO. Huic non leviores cum Margarita C. Salopiensi nepoteque ejus Thoma Talbot Vice-Comite L'Isle exsudandæ fuerunt contentiones, quæ ad extremum in duellum proruperunt: in eo cum Thomas Talbotus cæsus fuisset, diem Berklejis dixerunt illius vidua juxta ac sororius Eduardus Grejus: mediatore tamen intercedente, qui Thomas Grejus Marchio Dorsettensis erat, finis denique diuturnæ liti impositus, & pax conciliata fuit.

Cæterum *Wilhelmus Berklejus* R. Eduardi IV. favore, quo florebat, ad *Vice-Comitis* honorem provectus, & deinde à Richardo II. cui æque gratus initio erat, titulo *Comitis Nottinghamiæ* auctus, ab Henrico VII. autem, ad cujus partes Richardo relicto transierat, *Marchio* creatus & *Comes Marescallus* ad dies vitæ constitutus est, & quoniam prole carebat, atque erga fratrem MAURITUM ob inæquales ab eo contractas nuptias, alienum gerebat animum, testamento Regem postremo loco memoratum hæredem Berklejanæ dicionis, præcipuorumque prædiorum avitorum scripsit, atque aliis alia legavit, fratre prorsus excluso. Is tamen suo se tuitus jure, prudentiamque & solertiam qua pollebat, in consilium advocans, magnam avitarum possessionum partem sibi vindicavit, gentilitio autem castro potiri nequivit; hinc licet gnato ejus cognomini locus inter Angliæ Barones haud denegatus fuerit, extremum tamen occupare necessum habuit; in quo successores etiam acquieverunt, donec HENRICUS *Berklejus*, Thomæ VI. filius posthumus, post decessum R. Eduardi VI. qui ultimus marium ex R. Henrici VII. stirpe extitit, castrum sæpedictum cum reliquis dominiis, à Wilhelmo Marchione Berklejo in regiam familiam translatis, recuperavit, qua in re facilem se præbuit Regina Maria, locumque, quo majores ejus inter Pares regni gavisi sunt, integrum restituit; ætatem ille prorogavit usquead annum XI. regni Jacobi I. quo expleta mortalitate successorem in honoribus & possessionibus amplissimis habuit nepotem è filio natu maximo THOMA sibi præmortuo, GEORGIUM; is pater fuit CAROLI, maris fluctibus, cum Dieppam trajiceret, hausti; nec non GEORGII II. quem R. Carolus II. anno 1679. mense Septembri ad dignitates *Vice-Comitis de Duresley* nec non *Comitis de Berkley* extulit.

Cæterum non capitalis tantum Berklejanæ familiæ stirps Pariatus honore nunc eminet, sed è collateralibus quoque ramis existit, qui hoc seculo in Baronum ordinem evectus est:

FAMILIÆ BERKLEJANÆ

ROBERTUS FITZ HARDING † 5. Febr. 1170.

Henricus † juv.

Mauritius Dn. de Berkley † 16. Jun. 1189. *Alicia, Rogeri III. de Berkley fil.*

Robertus II. Dn. de Berkley † 13. Maij 1219. 1. *Juliana, VVilhelmi de Pontearch. fil.* 2. *Lucia* . . . .

Thomas de Berkley fratris hæres † 29. Nov. 1243. *Johanna Radulphi de Somery B. de Campden f.*

Mauritius.

Mauritius II. Dn. de Berkley † 4. April. 1281. *Isabella, quæ* Dugdalio *filia est Mauritii de Creon.* Sandfordio *Richardi Regis Rom. Com. Cornubiæ notha.*

Thomas de Berkley.

Robertus de Berkley.

Mauritius de Berkley occ. in hastilud.

Thomas II. Dn. de Berkley † 29. Mart. 1309.

Mauritius III. de Berkley † 31. Maij 1326. Ux. *Eva, Eudonis la Zouch f.* † 1314.

Thomas III. Baro de Berkley † 27. Oct. 1361. 1. *Margarita, Rogeri de Mortimer C. March. f.* 2. *Catharina, Joh. Clivedon f. Petri le Veel vid.*

Mauritius de Berkley, à quo *Berkleji de Stoke-Gifford de Bruton & de Boycourt.*

Johannes de Berkley à quo *Berkleji in Salopia.*

---

1. Mauritius IV. B. de Berkley † 8. Jun. 1368. *Elisabetha, Hugonis B. Spenser f.*

Rogerus de Berkley.

Thomas de Berkley.

Alphonsus de Berkley.

Thomas IV. B. Berkley † 13. Jul. 1417. *Margarita, Gerardi Warren B. L'Isle fil. & hær.* † *20. Mart. 1391.*

Jacobus de Berkley † 13. Jun 1405. *Elisabetha, Joh. Bloet f.*

Johannes de Berkley † *s.p.*

Elisabetha nup. *Richardo de Beauchamp C. VVaruuic.*

Jacobus Baro de Berkley † m. Nov. 1463.

---

2. Wilhelmus Baro de Berkley cr. VICECOMES 1481. COMES NOTTINGHAM. 1483. MARCHIO 1488. Com. Marescallus † improlis 14. Febr. 1491. 1. *Elisabetha, Reginaldi VVest, B. la Warre f.* 2. *Johanna, Thomæ Strangvvays f. VVilhelmi VVillougby vid.* 3. *Anna, Joh. Fienes B. Dacres f.*

Mauritius de Berkley V. † 1506. *Isabella, Philippi Meade, Aldermanni Bristolensis f.* † *1516.*

Mauritius VI. Baro de Berkley † 12. Sept. 1523. improlis. *Catharina, VVilhelmi Berkley de Stoke-Gifford f.* † *6. Sept. 1526.*

Thomas V. Baro de Berkley † 22. Jan. 1533. Ux. 1. *Eleonora Marmaduci Constable fil. Joh. Ingelby vid.* 2. *Cecilia, Richardi Rovvdon f.*

Thomas VI. Baro de Berkley. *Vid. Tab. seq.*

Mauritius de Berkley *Francisca, Richardi Rovvdon f.*

Maria nupta *Roberto Throgmorton de Coughton.*

SCHEMA I.

Uxor: *Eva* . . . . . .

Robertus de Berkley de Beverston — Nicolaus
N. *Roberti de Gant & Aliciæ Paynellf.*

Wilhelmus. Henricus. Richardus. Mauritius de Gant.

Henricus de Berkley. Wilhelmus de Berkley. Richardus de Berkley. Margarita nupta *Anselmo Basset, Equiti.*

Ux. *Johanna, Wilhelmi de Ferrers C. Darb. f.* Robertus de Berkley.

Johannes de Berkley B. de Wymundham. Jacobus de Berkley *Episc.* Exon. Isabella. Margarita.

Eudo de Berkley, Rector Eccl. de Lamprudevaur. Petrus de Berkley Clericus. Isabella nupta *Roberto Bar. Clifford.*

Johanna nupta *Reginaldo Cobham.* 2. Thomas de Berkley. Mauritius de Berkley. Edmundus de Berkley. Johannes de Berkley.

Mauritius de Berkley. Catharina, *monialis.* Agnes † innupta. Elisabetha † innupta.

Ux. 1. N. *Humphredi Stafford de Hoke f.* 2. *Isabella, Thomæ Movvbray D. Norf. f. Henrici Ferrers vid.* † *1452.* 3. *Johanna, Joh. Talbot C. Salop. f.* ✕ Mauritius de Berkley † s. p.

Jacobus de Berkley occ. in Gallia. Thomas de Berkley à quo *Berklejis in Wigornia & Herefordia.* Elisabetha Uxor *Thomæ Burdet de Arrovv.* Isabella nupta *Thomæ Trye de Hardwyk.* Alicia Ux. *Richardi Arthur de Clapton.*

Jacobus de Berkley.

Johanna Ux. *Nicolai Poinz de Acton.* Maria nupta 1. *Thomæ Perrot*, 2. *Thomæ Jones.* Anna Uxor *VVilhelmi Dennis de Dirham.*

FAMILIÆ BERKLEJANÆ SCHEMA II.

BARONES ET COMITES DE BERKLEY.

THOMAS VI. BARO DE BERKLEY Thomæ V. F. † 19. Sept. 1534. 1. *Maria*, *Georgii B. Haſtings fil.* 2. Anna, *Johannis Savage de Frodsham fil.*

Eliſabetha nupta, *Thomæ Butler C. Ormondiæ.*

Henricus, poſthumus Baro de Berkley † 26. Nov. 1613. Ux. 1. Catharina, *Henrici Hovvard C. Surriæ f.* † 7. Apr. 1596. 2. Johanna, *Michaelis Stanhope f. Rogeri Tovvſend vid.* † 3. Jan. 1618.

1. Thomas de Berkley n. 11. Jul. 1575. † 22. Nov. 1611. *Eliſabetha*, *Georgii Carey Bar. Hunsdon fil.*

Ferdinandus de Berkley.

Maria nupta, *Joh. Zouch de Codnore,*

Franciſca Ux. *Georgii Shirley de Aſhvvell.*

Georgius Baro de Berkley † 1658. *Eliſabetha*, *Michaelis Stanhope de Sudburne f.*

Theophila, nupta *Roberto Coke.*

Carolus de Berkley ſuffoc. a. 1640.

Georgius Baro, nunc COMES de BERKLEY, cr. 1679. *Eliſabetha*, *Johannis Maſſingherd*, *Mercatoris Londinenſis f.*

Eliſabetha Ux. *Eduardi Coke de Holkham.*

Carolus Baro Berkley Eques Balnei.

Georgius de Berkley.

Eliſabetha.

Theophila nupta *Kingsmillo Lucie Baronetto.*

Arabella.

Maria.

Henrica.

Arabuſia.

nimirum *Johannem Berklejum de Bruton* in Comitatu Somersettiæ, Equitem, à *Mauritio Berklejo* Mauricii III. Baronis de Berkley filio secundogenito oriundum, Carolus Stuartus II. cum exul regno careret, ob multa & magna in parentem & seipsum merita, *Baronem Berkley de Stratton* creavit per diploma Bruxellis in Brabantia d. 19. Maji anno 1658. datum. Restitutus deinde in regnum eundem Hiberniæ Proregem anno 1670. constituit, hacque provincia defunctum Legatum in Galliam misit, unde redux factus fato anno 1678. Londini concessit; Ex uxore sua *Christiana*, Andreæ *Riccard* Equitis, & Præsidis Societatis Indiæ Orientalis filia, quam viduam Henrici Richi Baronis Kensington duxerat, sequentes suscepit liberos:

I. Carolum Berklejum patris in Baronatus honore successorem, sed jam mortuum.
II. Johannem Baronem Berkley de Stratton, superstitem.

III. Wilhelmum Berklejum.

IV. Mauritium Berklejum intra adolescentiæ annos extinctum.
Et V. Annam.

Erat Johanni Baroni Berklejo de Stratton frater *Carolus Berklejus de Brutton*; is filium habuit cognominem *Vice-Comitem Fitz-Harding* in regno Hiberniæ, qui à R. Carolo II. *Baro Boletor de Langport*, nec non *Comes de Falmouth* in Cornubia d. 3. Jun. in pugna navali adversus Batavos cæsus est, unicæ genitor filiæ *Mariæ*, ex Elisabetha *Bagot* natæ.

Scutum, quo *Berklejana* familia uti solet, *rubeum* est, *cantherium argenteum* deferens, quem *cruciculæ decem pedatæ ejusdem metalli* ambiunt.

CAPUT LXXII.

DE COMITE GAINSBURGENSI
ET
FAMILIA NOELL.



Omitem Berclejum proxime sequuntur *Daniel Finch*, *Comes Nottinghamiæ*, *Laurentius Hide Comes Roffensis*, *Jacobus Bertie Comes Abindoniæ*, EDUARDUS NOELL *Comes Gainsburgi*; de prioribus eorumque familiis dictum est superius, *(a)* de postremo refert *Dugdalius (b)* quod vetusto genere sit ortus, cujus autor *Noel* Regi Henrico II. coævus fuerit, filiumque habuerit *Robertum* cœnobii Rantonensis in Staffordia haud longè à sede Noellorum *Ellenhall* dissiti fundatorem, & patrem *Thomæ*, cujus gnata & hæres *Aliciæ* præcipuas familiæ suæ possessiones ad *Harecurtios* transtulerit; à natu minore autem filio *Philippo* masculam propagatam esse lineam. Ea editus fuit *Andreas Noel de Dalby*, Eques, è numero nobilium Stipendiariorum Reginæ Elisabethæ, & genitor EDUARDI, quem R. Jacobus I. anno regni ipsius XIV. in *Baronum* ordinem extulit, prætereaque in titulos soceri sui Baptistæ *Baronis Hicks de Ilmington* & *Vicecomitis Campden* substituit, unde factum est, ut illius gnatus neposque BAPTISTA scilicet & EDUARDUS Noelli *Vice-Comites Campden* audierint, usque dum posterior honore *Comitis de Gainsborough*, quod Lincolniæ oppidum est, auctus fuit; id quod exeunte an. 1682. R. Caroli II. liberalitate evenit.

Insignia, quibus utitur, in *scuto aureo*, *clathros rubeos* repræsentant, cum *quadra*, quam feciales Galli *franc canton* vocant, maculis *muris Armenici* respersa.

(a) Cap. XLVII. LVII. & XLVI. *(b) Baron. III. 481.*

SCHEMA FAMILIÆ NOELLANÆ.

EDUARDUS NOELL Andreæ F. Baronetus cr. 29. Jun. 1611. BARO Noell de Ridlington 23. Mart. 1616. † 10. Mart. 1643. *Juliana, Baptistæ B. Hicks de Ilmington, Vicecom. Campden. fil. & cohæres.*

Baptista B. Noell, VICECOMES Campden † 1. *Anna Wilhelmi Fielding C. Denbig. f.* 2. *Anna Roberti Lovet de Liscombe f.* 3. *Elisabetha Thomæ B. Wotton sor. & coh.* 4. *Elisabetha, Montacuti Bertie C. de Lindsey f.*

Henricus Noell.

Elisabetha ux. *Erasmi de la Fountaine*

Penelope, nup. *Johanni Vicec. Chavvorth.*

1. Filii duo in tenella ætate mortui.

3. Eduardus Noell Vicecom. Campden COMES DE GAINSBOROUGH cr. m. Dec. 1682. *Elisabetha, Thomæ Whriothesley, C. Southanton f.*

3. Henricus Noell.

3. Maria ux. *Jacobi Compton C. Northant.*

3. Juliana, nup. *Wilhelmo B. Allington.*

3. Elisabetha.

3. Esther † infans.

4. Lindsey Noell † infans.

4. Baptista Noell.

3. Jacobus Noell.

4. Catharina ux. 3. *Johannis Mannours C. Rutland.*

4. Brigita.

4. Martha.

Wriothesley Baptista Noell Vicecomes Campden.

Francisca.

Johanna.

Elisabetha.

CAPUT

CAPUT LXXIII.

DE COMITIBUS HOLDERNESSIÆ ET FAMILIA DARCIENSI.



Olderneſſia regiuncula eſt in Comitatu Eboracenſi mari adſita; eam R. Wilhelmus I. *Drugoni de Bover* Flandro, *Camdeno (a)* referente, dedit, cui etiam neptem nuptui locaverat, quam cum ille veneno ſuſtuliſſet, fugaque ſaluti conſuluiſſet, ſucceſſorem habuit *Stephanum* è Campaniæ Comitibus ortum & Albæmarlæ in Normannia Dominum, quem idem Rex *Comitem Albæmarlæ & Holderneſſiæ* creavit. Ab eo tempore titulo hoc uti conſvevit quisq; Comes Albæmarlæ eſſet, donec uterq; tandem obliteraretur. Hoc autem ſeculo ambo ſejunctim reſtaurati fuere, & *Holderneſſienſis* quidem a. 1620. à R. Jacobo I. in gratiam *Johannis Ramſeji*, qui ephebus dictum Regem præſenti vitæ diſcrimine, quod anno ſeculari in Perthenſi caſtro fraude Ruvenorum fratrum ſubierat, eripuit, altero percuſſorum *Alexandro Ruveno* ſuapte manu confoſſo. Hujus itaque beneficii ergo cum aliis honoribus tum etiam *Comitis Holderneſſiæ* axiomate anctus ille fuit, ſed hæredem eorum nullum poſt ſe reliquit. *Rupertus Palatinus* deinde *Holderneſſiæ Comes* æque ac Dux Cumbriæ dictus fuit, eo autem rebus humanis exempto honos ille CONYERO DARCIO collatus eſt.

Familia *Darcienſis* vetuſtâ nobilitate Anglicarum ſtirpium nulli concedit, quippe quæ autorem Regi Wilhelmo Conqueſtori coævum & XXXIII. dominiorum in Lincolnia ſatrapam habuiſſe *Dugdalio (b)* celebratur. Nomen ei fuit *Normanno d'Arci*, quo ſatus eſt *Robertus* pater *Thomæ* ac *Roberti*; prior ex *Alicia*, Radulphi *d'Eincourt* gnata, filium ſuſcepit *cognominem*, eumque genitorem *Normanni* II. quo ortum *Philippum Iſabella*, Rogeri *Bertram* ſoror & cohæres patrem fecit *Normanni III. Thomæ, Rogeri* & *Radulphi*. Normannus Darcius III. *Philippum* & *Johannem* genuit, illo natus eſt *Normannus* IV. pater *Philippi* III. in quo ætate R. Eduardi III. intra adoleſcentiæ annos mortuo capitalis ſtirpis Darcienſis ramus emarcuit, hæreditate ad *amitas* ejus *Julianam* ſcilicet & *Agnetem*, Petri *de Limbury* & Rogeri *Pedwardine* uxores, devoluta.

Maſculam vero Darciorum ſtirpem propagavit JOHANNES, Normanni III. filius natu minor, à quo ſchemata ſtemmatis hujus exorſi ſumus. Is multis fortibus factis & gloria militari ſub Regibus Eduardis I. II. & III. illuſtratus, inter Pares Angliæ ad Parlamenta, ab anno XXVIII. Eduardi I. usque ad annum XVI. Eduardi III. habita, evocatus fuiſſe legitur. Ex ejus propagine primarii palmites ad noſtram non durarunt ætatem, ſed diverſis exaruerunt temporibus; PHILIPPUS Darcius enim illius abnepos, ſequioris tantum ſexus prolem poſt ſe reliquit, quarum altera MARGARITA, cum paternam hæreditatem in *Conyeriam* familiam, in quam enupſit, transtuliſſet, factum poſtea eſt, ut cum ejus atneptee *Eliſabetha*, Johannis Baronis *Conyers* filia, *Thomæ Darcio* elocata, non illa tantum, ſed etiam Conyeriæ domus hæreditas ad Darcios rediret. Honos autem familiæ ad WILHELMUM DARCIUM, tanquam proximum Philippi agnatum, ex fratre ejus ortum, devenit; is pater fuit THOMÆ, qui extremis R. Henrici VII. annis inclaruit, atque ab eius filio & ſucceſſore *Baronis* titulum locumque inter Pares regni recepit, prætereaque inſignibus *Ordinis San-Georgiani* decoratus & in ſecretiorem Regis Senatum cooptatus infauſtum tamen ac indignum honoribus illis vitæ exitum nactus eſt: cum enim anno 1536. in Eboracenſi diœceſi ſeditio illa, cui multitudo nomen *Peregrinationis gratiæ* indidit, orta, atque à Barone Darcio juxta ac Eboracenſi Archiepiſcopo Pomfretenſe caſtrum rebellibus deditum fuiſſet, venere ambo in ſuſpicionem ac ſi tumultibus iſtis clam manum & autoritatem commodaſſent; conjectus propterea in vincula Darcius, Londinum ductus ibidemque perduellionis damnatus & capite plexus eſt. Filio autem ejus GEORGIO R. Eduardus VI. avitum honorem reddidit, quem, maſcula hujus progeniei extincta, CONYERUS DARCIUS Georgii modo dicti è fratre pronepos agnationis jure ſibi vindicavit, cumque eo maternæ proſapiæ ergo titulum *Baronis Conyers* conjunxit, Rege ei hanc poteſtatem faciente, eo quod è Johannis Baronis Conyers, qui avus illi maternus fuit, reliquis filiabus ſoboles non extaret; Filius poſtea illius CONYERUS II. honores eos cum gnato ſuo cognomini diviſit, dato huic *Baronis Conyers* titulo, ſibi autem avito, *Darcienſi* ſcilicet, ſervato, cui tamen *Baronis Meinel* axioma junxit, cujus origo me præterit. Hunc ipſum R. Carolus II. ſub finem anni 1682. ad dignitatem *Comitis Holderneſſiæ* evexit.

Scutum

(a) *Deſcr. Brit. p. 582.* (b) *Baronag. I. 369.*

FAMILIÆ DARCIENSIS SCHEMA I.

JOHANNES D' ARCI, Normanni III. F. †13. Maji 1347.
1. *Emelina, Walteri Heron f.* 2. *Johanna, Richardi Burgh C. Ulton. f. Thomæ C. Kildariæ vid.* 3. Jul. 1329.

1. Johannes d' Arci le Fitz †1356. *Elisabetha Nicolai Menill f.* | Robertus d' Arci miles. | Rogerus d' Arci. | 2. Wilhelmus d' Arci de Platine in Hibernia. | Elisabetha Uxor *Jacobi Butler C. Ormond.*

Johannes d' Arci III. †26. Aug. 1362. | Philippus d' Arci † 24. Apr. 1397. *Elisabetha Thomæ Grey de Heton f.* | Isabella.

Johannes d' Arci IV. † 9. Dec. 1411. *Margarita, Henrici B. Grey de Wilton f.* | Thomas d' Arci. | Philippus d' Arci.

Philippus d' Arci † 2. Aug. 1418. *Eleonora, Henrici B. Fitz-Hugh f.* | Johannes d' Arci V. † 1454. *Johanna Joh. B. Greystoke f.*

Elisabetha Ux. *Jacobi Strangwayes.* | Margarita, n. 1418. nup. *Johanni Conyers.* | Richardus d' Arci † vivo patre. *Alienora, Joh. Scrope de Upsalf.*

Wilhelmus d' Arci Eques † 1488. *Euphemia, Joh. Langton f.*

Thomas Baro d' Arci, *Eques Perisc.* cr. 1509. *decollatus* 20. Jun. 1538. Uxor. 1. *Dousabella, Richardi Tempest de Riblesdole f.* 2. *Elisabetha, Wilhelmi B. Sandes soror.*

1. Georgius Baro d' Arci † 28. Aug. 1556. *Dorothea, Johannis Melton de Aston fil. & hær.* | Arturus d' Arci *Vid. Tab. seq.* | Richardus d' Arci. | Mabilia. | 2. Elisabetha Uxor *Marmaduci Constabilis de Flamborough.*

Johannes Baro d' Arci † 1587. *Agnes Thomæ Babington de Dethik f.*

Michael d' Arci † ante patrem. *Margarita, Thomæ Wentworth f.*

Johannes Baro d' Arci de Aston † m. Julio 1635. *Rosamunda Petri Frescheville de Staveley f.* | Anna nupta N. *Savile de Copley.* | Margarita.

Johannes d' Arci † vivo patre. | Rosamunda † vivo patre. | Elisabetha itidem patri præmortua.

FAMILIÆ DARCIENSIS SCHEMA II.

BARONUM D' ARCI ET CONYERS COM. DE HOLDERNESSE.

ARTURUS D' ARCI, Thomæ Baronis d' Arci fil. secundogen. †. 3. Apr. 1549. *Maria, Nicolai Carevv de Bedington f.*

Henricus d' Arci *Catharina, Joh. Farmer de Eston-Neston f.*	Thomas d' Arci †6. Nov. 1606. *Elisabetha, Joh. B. Conyers f. & cohæres.*	Elisabetha. nup. *Ludovico B. Mordant.*	Eduardus d' Arci. *Elisabetha Thomæ Astley del Writtle f.*	Arturus d' Arci	Nicolaus d' Arci.	Johan. de Arci.	Franciscus de Arci.

Catharina nup. *Gervasio Bar. Clifton.*	Conyerus d' Arcy BARO d' Arci & Coniers cr. 1641. † 3. Mart. 1653. *Dorothea Henrici Bellasses Baronetti f.*	Robertus d' Arci de Dertford. *Gratia, Alexandri Redish f.*	Christophorus d' Arci.	Careus d' Arci.

Conyerus Baro d' Arci & Memel COMES de HOLDERNESSE cr. m. Dec. 1682. *Gratia, Thomæ Rokeby de Skyers f. & hær.*	Wilhelmus d' Arci.	Henricus d' Arci.	Thomas d' Arci.	Marmaducus d' Arci.	Jacobus d' Arci.	Barbara Ux. *Matthæi Hutton de Marsk.*	Ursula, nup. *Johanni Stillington de Kelfield.*	Margarita Ux. *Thomæ Harrison de Allerthorpe.*	Dorothea nup. *Joh. Dalson de Hawkeswell*	Anna Ux. *Thomæ Metcalf de Rowelsparke.*	Gratia, nup. 1. *Georgio Best de Middleton,* 2. *Francisco Molineux de Mansfield.*	Maria Ux. *Antonis Burnel de Winckburne.*

Conyerus d' Arci Baro Conyers. 1. *Catharina, Francisci Fane C. Westmorland f.* 2. *Francisca, Thomæ Howard C. Bercher f.* 3. *Francisca, Wilhelmi Seymour D. Somerset f. Thomæ C. Southant. vid.*	Ursula Ux. *Christophori Wyvil de Burton.*	Elisabetha nup. *Henrico Stapleton.*	Gratia Ux. *Joh. Legard de Ganton.*	Margarita nup. *Henrico Marwood.*	Anna.

1. Johannes d' Arci *Brigita Roberti Sutton B. Lexinton f.*	Philippus d' Arci.	Carolus d' Arci.

Scutum, quo Barones *Dercii* uti consveverunt, *caeruleum* est, *cruciculis novem* & *floribus pentaphyllis tribus argenteis* ornatum.

CAPUT LXXIV.

DE COMITIBUS PLEYMOUTHENSI ET DERWENTWATERENSI.



Ub excessum R. Caroli II. extremum inter Comites locum occupabat *Pleymouthensis*, idemque *Baro VVindsore de Bradenham* THOMAS WINDSORE, alias *Hickmann* dictus, materno nomine cum paterno conjuncto: erat enim genitus *Dixeo Hickmann de Kevv* in Com. Surriæ & *Elisabetha VVindsoria*, Henrici B. *VVindsore de Bradenham* filia natu maxima, eaque sorore *Thomæ B. VVindsore*, qui sterili cum uxore sua *Catharina Somersetia*, Eduardi Com. Wigorniæ gnata, matrimonio usus maximam facultatum suarum partem in filium dictæ sororis suæ THOMAM *Hickmannum* testamento transtulit. Hanc hæreditatem cum is post avunculi mortem, quæ in annum 1640. incidit, adiisset, *VVindsoriense* cognomen adscivit, & deinde R. Caroli II. beneficio *Baronis* etiam titulum locumque, quo majores ejus materni in Parlamento consederant, obtinuit. Splendida vero Baronum de Windsore erat conditio, & genus antiquissimum, cujus originem *Dugdalius (a)* à Wilhelmi Conquestoris ævo repetit, atque à quodam *VValthero Fitz-Other*, possessionibus in Surria, Hantonia, Bukinghamia, & Middlesexia abundante, derivat: tres enim huic tribuit filios, *VVilhelmum*, *Robertum* & *Giraldum de VVindsor* cognominatos; quos inter *postremus*, Penbrochiæ Castellanus, ducta in uxorem *Nesta* Rheesii *ap Tevvdor* Principis Walliæ gnata, quæ R Henrici I. concubina, & Roberti Consulis C. Glocestriæ mater erat, illustrissimam *Fitz-Giraldorum* in Hibernia stirpem (de qua alias *(b)* dictum est) provexit; *medius* Estoniæ in Bukingamia sedem fixit, *VVilhelmus* autem à Mathilda Imperatrice castro *VVindsoria* præfectus familiæ, quæ appellationem ab eo retinuit, conditor extitit. Ex hac ortos jam pridem, Eduardi III. & Richardi II. temporibus in Parium censu fuisse, ex Submonitionibus ad Parlamenta constat, & licet sequenti ævo non nihil caliginis passi essent, superiore tamen seculo resplenduerunt, in *Andrea VVindsore*, quem in pristinum honoris gradum R. Henricus VIII. in comitiis anno 1529. Windsoriæ habitis restituit. Hujus abnepos erat *Thomas Baro VVindsore*, in quo mascula stirps defecit, succedente ceu dictum est, in honorem Windsorianum THOMA HICKMANNO è sorore ejus nato. Hunc porro R. Carolus II. ad dignitatem *Comitis de Pleymouth* exeunte anno 1682. provexit, postquam is titulus morte *Caroli Fitz-Charles*, qui primus eum gesserat, vacuus factus esset. Migravit ille de vita d. 13. Novembris ann. 1687. relictis aliquot liberis è duplici conjugio susceptis: prior enim uxor ei fuit *Anna Savile*, Marchionis Halifaxii soror, qua nati sunt OTHERUS *VVindsor* alias *Hickmann*, paternorum honorum hæres, nec non *Maria*, Thomæ *Cokesey de Bentley* nupta; posterior *Ursula* Thomæ *VViddrington* filia & cohæres, quæ mater facta est, *Thomæ*, *Dixei* & *Ursulæ*.

Insignia Windsoriæ familiæ in *scuto rubeo decussim argenteum*, *decem cruciculis cruciatis* & *spiculatis aureis stipatum* deferunt.

Jacobo II. regnum tenente, additus fuit Comitum agmini *Franciscus Radcliffe*, *Comes de Dervventvvater* in Cumbria, *Vice-Comes de Findale* & *Baro de Langley*, mense Augusto anni 1687. creatus, atque ex antiqua *Radcliffiorum* stirpe, quam *Comites Sussexiæ* illustrarunt, haud dubie satus: in plures enim illa deducta est ramos, videlicet Radcliffos *de Smethels*, Radcliffos *de Orsdale*, & Radcliffos *de Chaderton*. Uxorem ille eodem temporis tractu, quo ad dictos honores elatus fuit, accepit *Mariam Tudor*, R. Caroli II. è fœmina Comica notham.

Henricus Hovvardus etiam, Vice-Comitis Staffordiæ, de quo superius *(a)* dictum fuit, filius natu major, ad honorem *Comitis Staffordiæ* à Jacobo II. paulò ante quàm regno excederet provectus, eoque nomine in Catalogo Parium à R. Wilhelmo III. ad Parlamentum evocatorum appellatus est.

(a) *Dugdal. Baronag. t. I. p. 509.* (b) *Cap. LXX.* (c) *Cap. IV.*

CAPUT

CAPUT LXXVI.

DE COMITIBUS NOVISSIME CREATIS,

inprimis

FAUCONBERGICO ET FAMILIA BELLASYSENSI.



Odiernum Magnæ Britanniæ Regem Wilhelmum III. in ipso inauguratjonis suæ festo id etiam curæ cordique habuisse, ut merita meritis repensaret, & viros cordatos, quorum ei fides ac virtus gravissimis in rebus explorata fuerat, ad honores proveheret, constanti fama celebratum est. In eorum numero *quinque* recensebantur in *Comitum* Ordinem elati, videlicet *Wilhelmus Bending*, creatus *Comes de Portland, Vice-Comes de Wodstock*, nec non *Baro de Cirencester*, *Thomas Bellasyse* Vice-Comes *Fauconberg*, *Comitis* titulo, servato loci nomine, auctus, *Carolus* Vice Comes *Mordant*, *Comes de Monmouth* factus, *Radulphus* Baro *Mountagu*, *Vice-Comes Mounthermer*, nec non *Comes de Mountagu*, & denique *Johannes Churchill*, (*Winstani Churchill Equitis* filius, & *Arabellæ* amicæ R. Jacobi II. ac matris Ducis de Berwick frater, quem ille anno 1685. ad honorem *Baronis de Sandrige* provexerat) *Comes de Marleborough* creati, quibus non ita multo post succenturiatus est *Arturus Herbert Comes de Torrington* factus. De *primi* ex his, *penultimi* & *postremi* genere ac ortu quod dicam, non habeo; quod enim *Comitem Torringtonium* attinet, in dubio relictus sum, an gentilis sit Herbertorum Comitum Penbrochiæ & Montegommeriæ, de quibus supra dictum est: id tantum exploratum habeo, fratrem esse natu minorem *Eduardi Herbert*, qui sub Jacobi II. regno *Judicis* officio functus tam malè de Republica meritus esse, quam ille benè perhibetur. *Tertii* & *quarti* mentio superius injecta fuit, de *secundo* sermonem inter Vice-Comites facturi eramus, nisi præoccupare eum novus postulet honos.

THOMAS BELLASYSE *Vice-Comes* antehac, nunc *Comes de Fauconberg*, sive *Fauconbridge* à nobili in Eboracensi Comitatu familia genus ducit, è qua *Henricum Bellasyssium* R. Jacobus I. *Baroneti* honore ornavit, THOMAM vero ejus filium R. Carolus I. ob fidem ac assiduitatem sibi difficillimis temporibus præstitam in Parium Ordinem evexit, & *Baronem* initio, deinde *Vice-Comitem Fauconberg de Henknowle* creavit. Gnatos is duos habuit, quorum natu major patris fatum prævertit, & successionem in ejus honores filio suo THOMÆ II. reliquit. Hunc fuisse non ambigo, qui Oliverii Cromwelli Protectoris filiam uxorem duxit, & à socero haud ita multo ante ejus obitum, post expugnatam Dunkircham, Caletum Regem Galliæ salutandi ergo missus, atque anno 1670. nomine R. Caroli extraordinaria apud Italiæ Principes legatione, Gallicis illustrata literis, functus est, licet *Dugdalius* nec matrimonii nec legationum harum mentionem fecerit, sed conjugem illi tribuerit *Mildredam*, Vice-Comitis *Castleton* in Hibernia gnatam, quam fortassis prioribus sibi junxerat nuptiis; in nomenclatione enim Procerum ad sollemnia inaugurationis Jacobi II. citatorum, quam *Sandfordius* exhibuit, Thomæ Vice-Comitis Fauconberg uxori *Mariæ* nomen tribuitur, quod illa Cromwelli filia gessit. Idem haud dubie est, quem novo Comitis axiomate pronuper auctum fuisse accepimus. Alter Thomæ I. filius, JOHANNES *Bellasyse* honorem, quem natura & sors nascendi ipsi inviderat, virtute paravit, atque à dicto Rege Carolo I. titulum *Baronis Bellasyse de Worlaby*, laborum ac fidei decoramentum accepit, eundemque novissimè fato functus ad nepotem HENRICUM, dum modo is superstes est, transmisit.

Insignia, quibus *Bellasyssii* utuntur, in *scuti quadripartiti* prima & ultima areola *rubea*, *cantherium aureum*, *liliis tribus ejusdem metalli stipatum*, in secunda vero & tertia *argentea*, *palum nigrum*, quem utrinque *tænia*, *eodem colore tincta*, comitatur, repræsentant.

(a) *Cap. IV.* (b) *Cap. XLVII. & XLIII.*

SCHEMA FAMILIÆ BELLASYSENSIS.

WILHELMUS BELLASYSE de Newborough Eques.

Henricus Bellasyse de Newborough, Baronettus cr. 1611.
Ursula, Thomæ Fairfax de Denton f.

Thomas Bellasyse cr. BARO 25. Maji 1627. VICECOMES FAUCONBERG de Henknowle 31. Januarii 1643. † 1652. *Barbara, Henrici Cholmley de Roxby fil.*

- Henricus Bellasyse † ante patrem. *Gratia, Thomæ Barton de Smithells f.*
- Margarita Ux. *Johannis B. Darcie de Aston.*
- Maria nup. *Eduardo Osburne de Kiveton.*
- Barbara Ux. *Henr. Slyngesby de Scryven.*
- Johannes BARO BELLASYSE de Worlaby cr. 27. Jan. 1645. † Sept. 1689. 1. *Jana, Roberti Butler de Woodhal f.* 2. *Anna Crane, Wilhelmi Airmine vid.* 3. *Anna Paulet M. Vinton f.*
- Ursula Uxor *Walteri Vavasor de Haselwode.*
- Francisca nup. *Thomæ Ingram.*

Children of Henricus Bellasyse:

- Thomas Bellasyse Vicecomes, nunc COMES de Fauconberg cr. 21. Apr. 1689. 1. *Mildred, Nicolai Vicec. Castleton fil.* 2. *Maria, Oliverii Cromwell Protectoris f.* 1657.
- Henricus Bellasyse † juv.
- Rulandus Bellasyse Eq. Balnei.
- Johannes Bellasyse † juv.
- Gratia nup. *Georgio Sanderson Vicec. Castleton.*
- Francisca Ux. *Henrici Jones de Aston.*
- Arabella, nupta *Wilhelmo Frankland de Thurkilby.*
- Barbara Ux. *Walteri Strickland.*

Children of Johannes Baro Bellasyse:

- 1. Henricus Bellasyse † 1668. 1. *Rogersa, Francisci Rogers de Brianston fil. & cohæres.* 2. *Susanna, Wilhelmi Airmine de Osgodbys f. & coh. creata Baronissa Bellasyse de Osgodby 25. Mart. 1674.*
- 1. Maria nup. *Roberto Vicec. Dunbar in Scotia.*
- 1. Honora.
- 3. Barbara.
- 3. Catharina.

Son of Henricus Bellasyse († 1668):

- s. Henricus Bellasyse Baro Bellasyse de Worlaby.

CAPUT LXXVI.

DE VICE-COMITIBUS HEREFORDIÆ ET FAMILIA DEVEREUX.

Perlustrato tandem Comitum agmine ad *Vice-Comites* progredimur, quos inter primas nunc tenet *Herefordensis*. Numeratur *Herefordia* inter LII. Comitatus Angliæ, atque clanguente Anglo-Saxonum imperio Comitem officialem habuit *Radulphum* Gualteri Medantini è Goda Eduardi Confessoris sorore filium, quem à Normannis hoc honore exutum, eidemque *Wilhelmum Fitz-Osbern de Crepon*, Normanniæ Ducibus arctissima propinquitate conjunctum, suffectum fuisse *Camdenus (a)* literis mandavit. Isti in bello Flandrico peremto successit *Rogerus* ejus filius *de Britolio* dictus, qui sine prole mascula proscriptus obiit. Mathildis Augusta, deinde *Milonem*, Walteri Constabularii Glocestriæ filium eo honore auxit, cui quatuor filii, *Rogerus* scilicet, *Walterus*, *Henricus* & *Mahel* nulla suscepta prole invicem successerunt. Sororem vero eorum natu maximam *Humphredus Bohun* hujus nominis III. in uxorem accepit, cujus pronepos *Henricus Bohun* primum hoc usus est titulo, eundemque ad posteros transmisit, à quibus cum *Maria Bohunia*, Humphredi X. filia, ad *Henricum Lancastrium* devenit, qui à R. Richardo II. *Dux Herefordiæ* creatus & postea Rex factus est. Longo post tempore R. Eduardus VI. WALTERUM D' EVEREUX, cujus mater *Cecilia Bourchieria* à Bohunis sanguinem ducebat, *Vicecomitis Herefordiæ* honore insignivit, cujus progenie eo etiam nunc gaudet.

Familia *Devereux* originem nomenque à civitate Ebroicorum in Normannia, *Dugdalio (b)* referente traxit, unde in Angliam transplantata ab equestri loco, quem initio tenuit, ad Parium Ordinem sese extulit, industria potissimum & virtute JOHANNIS DEVEREUX, *Wilhelmi* F. Is sub Principe Eduardo Nigro R. Eduardi III. filio in bellis Gallicis ordines duxit, eoque fatis functo Richardo, qui deinde Rex hujus nominis secundus factus est, in Hispanico & Vasconico bello præsto adfuit, operamque dum vixit, impigre commodavit; Caleti denique præfectura, nec non officiis Comestabilis castri Doverensis, Custodisque quinque portuum auctus, atque ad Parlamenta ab anno octavo dicti Regis usque ad sextum & decimum inter regni Barones evocatus. Quantumvis vero id honoris non perduraret tunc in familia, ob præmaturam JOHANNIS DEVEREUX II. mortem ejusdemque orbitatem, interjecto tamen aliquo temporis intervallo in eam rediit, cum WALTERUS DEVEREUX III. qui à fratre Johannis I. *Wilhelmo* descendit, à R. Eduardo IV. *Baro Ferrers* sollemni more crearetur, respectu matrimonii, quod cum gnata & hærede unica Baronis *Ferrers de Chartley* contraxerat. Hujus deinde nepotem WALTERUM IV. R. Henricus VIII. ob assiduitatem & fortitudinem variis expeditionibus sibi probatam, insignibus *Ordinis Georgiani* decoravit, & titulo *Vice-Comitis Herefordiæ* auxit; hoc in honore successorem ille habuit nepotem è filio primogenito ipsi præmortuo WALTERUM V. quem Regina Elisabetha ad dignitatem *Comitis Essexiæ* provexit, eo quod à Burchieris Essexiæ Comitibus per proaviam genus duxerit. *Vir erat Camdeni (c)* & *Johnstoni (d)* elogio, *corporis & animi dotibus præcellens, in quo morum probitas cum natalium claritudine certavit, quæ tamen invidiæ obsistere non poterant:* hujus enim malignitate graviter jactatus fuit, postquam juvenili ardore & cupidine militaris gloriæ expeditionem contra rebelles Hibernos in Clandeboia regione anno 1573. postulasset, *illis* dicente *Camdeno (e)* *usus consultoribus, qui eum longius abesse, & in pericula, specie honoris præcipitare primis votis habuerunt, quique Wilhelmum Fitz-Williams, Hiberniæ jam tertio Proregem, æmulum ad omnia instigare fategerunt.* Ille tamen dissimulatis odiis, impigre rem suam gessit, nec licet à præcipuis è nobilitate, qui cum ipso in Ultoniam trajecerant, desertus, animum despondir, sed quo propius abfuit, quin à rebellibus opprimeretur, eo alacrius & fortius impetum in eos fecit, & ducentis cæsis ducem illorum Brianum Mac-Phelimum, cum conjuge & fratre cepit, hocque successu animatus de subigenda Ultonia cogitavit, & mentem suam Reginæ, nec non Leicestrio & Burghleio, autoritate tunc in aula præpotentibus, perscripsit, illi vero gloria ejus invidentes diversis & contrariis mandatis aliquandiu exagitatum denique in medio victoriæ cursu autoritate cedere jusserunt, atque in Angliam revocarunt: reversus cum aperte Leicestrio subdolo uxoris ejus adultero minaretur, aulicis ejusdem artibus in Hiberniam cum inani Comitis Marescalli Hiberniæ titulo remissus est; ubi mœrore contabescens ex dysenteria in robore ætatis decessit, non sine suspicione veneni, fraude Leicestrii poculo infusi, quam auxere festinatæ nuptiæ, quibus is paucos post dies *Letitiam* Essexii viduam, repudiata Duglassia Howarda, sibi junxit.

 ROBER-

(a) *Descr. Brit. p. 497.* (b) *Baronag. II. 177.* (c) *Annal. p. 277.* (d) *Rer. Angl. L. I. p. 19.* (e) *Annal. p. 255.*

SCHEMA FAMILIÆ
COMITES DE ESSEX, VICECOMITES DE

STEPHANUS D' EVEREUX vixit a. 1223.

Wilhelmus Devereux occ. in pr. ad Evesham 1265.

Wilhelmus Devereux † post a. 1295.

Johannes Devereux BARO † 1393. *Margarita, Johannis Barre Equitis f.*

Johannes Devereux BARO † 1396. *Philippa, Guidonis de Brien f.* Johanna, fratris hæres, nup. *VValtero Fitz-VValter.*

Walterus Devereux II. † . . . . Uxor

Walterus Devereux III. BARO Ferrers cr. 1461, occ. in pr. apud Bosworth 1485. *Anna, Wilhelmi Bar. Ferrers de Chartley f. ac her.*

Johannes Devereux Baro Ferrers † 1497. Uxor:

Walterus Devereux IV. Baro Ferrers VICECOMES HEREFORD cr. 2. Febr. 1550. *Eq. Perisc.* † 1558.

1. Richardus Devereux Eques † ante patrem. *Dorothea, Georgii Hastings Com. Huntingdon fil.*

Catharina ux. *Jacobi Baskervile Eq.*

Walterus Devereux V. Vicecomes Hereford, COMES ESSEXIÆ *Eq. Perisc.* cr. 14. Maji 1572. † 22. Sept. 1576. *Lætitia, Francisci Knolles Eq. Per. f.*

Robertus Devereux C. Essex. Vicec. Hereford. *Eq. Per. decoll.* 25. Febr. 1601. *Francisca, Francisci VValsingham f. Philippi Sidney vid.*

Walterus Devereux occ. ad Rothomagum 1590.

Penelope nupta 1. *Roberto B. Rich.* 2. *Carolo Blount C. Devon.*

Dorothea nupta 1. *Thomæ Perrot,* 2. *Henrico Percy C. Northumbr.*

Robertus Devereux II. Essex. Vicec. Hereford. n. 1592. † 14. Sept. 1646. ux. 1. *Francisca, Thomæ Hovvard, C. Suffolc. f. repudiata,* 2. *Elisabetha, VVilhelmi Paulet de Eddington f.* 1631.

Francisca nupta *Wilhelmo Seymour B. Beauchamp post D. Somersett.*

Dorothea nup. 1. *Henrico Shirley de Stanton-Harold,* 2. *Wilhelmo Stafford de Blathervvick.*

Waltherus *nothus.*

2. Robertus Devereux † infans.

1. Robertus Shirley Baro Ferrers de Chartley. *Elisabetha.*

DEVEREUX.
HEREFORD, BARONES FERRERS.

Uxor: *Isabella.*

Uxor: *Mathilda, Walteri Giffard Episc. Bathon. soror.*

Wilhelmus Devereux de Bodynham.

Walterus Devereux † 1403. *Agnes, Thomæ Crophull f.*

Elisabetha, Johannis Merbury Eq. fil.

Anna nupta *Wilhelmo Herbert Com. Penbrochiæ.*

Cecilia, Henrici Bourchier Com. Essex. f.

Ux. 1: *Maria, Thomæ Grey M. Dorset. f.* 2. *Margarita, Roberti Garnish de Kenton f.*

Wilhelmus Devereux. *Jana Johannis Scudamore de Home-Lacy f.*

2. Eduardus Devereux de Castle-Bromwich, Baronetus. *Catharina, Eduardi Arden de Pack-Hall f.*

Barbara nup. 1. *Eduardo Cave.* 2. *Eduardo Hastings.*

Margarita Ux. *Eduardi Littleton de Pillaton.*

Walterus Devereux VI. Vice-Comes Hereford. *Elisabetha, Thomæ Knightley de Borrowhall f.*

Essexius Devereux. † ante patrem. *Anna Wilhelmi Corteine Eq. f.*

Leicester Devereux Vicec. Hereford. 1. N. *Wilhelmi Withypole Eq. fil.* 2. *Priscilla . . . .*

Walterus Devereux.

Eduardus Devereux.

Johannes Devereux.

Leicester Devereux Vicec. Hereford †

Eduardus Devereux Vicec. Hereford. *Elisabetha Norbourne 1689.*

ROBERTUS DEVEREUX Comes Essexiæ, *VValteri F. vir erat, Camdeni (a) verbis, virtutibus, quæ quidem nobilissimo dignæ sunt, instructus singulis. Postquam à prima juventa bonarum literarum, & veræ pietatis studiis Cantabrigiæ innutritus fuisset à Leicestrio vitrico Reginæ Elisabethæ commendatus & in equorum præfectura suffectus, ægre gratiam ab ea iniit, quæ ab ipsius matre erat alienior. Verum ubi primum obsequio gratiam conciliaverat, illa ære alieno, quod pater in ærario contraxerat, exoneravit: in Georgianum Ordinem & sanctius consilium, vicesimo tertio ætatis anno vix completo, adscivit; exercitibus sæpe præfecit, licet eum fortuna sæpe destituerit; honoribus & beneficiis indies cumulavit, plurimique æstimavit, quod & animum studiis honestis & corpus periculis exercere videret. Cum jam non speciem, sed vim in Reginæ gratia haberet, properare visus est prudentioribus aulicis æquales & superiores anteire, omnium laudi, qui ipsi non devoti, obtrectare, aliorum potentiam vel gratiam apud Reginam iniquissime ferre, popularem auram semper brevem & injustam, atque militarem nunquam non periculosam, comitate & liberalitate aucupari. Cœpit etiam contumaciam in Reginam, à quadam animi magnitudine potius, quam à superbia, adhibere, postquam illa ex benignitate novis beneficiis redintegrata gratia subinde locum aperuisset. Sed contumacia cum pervicacia in beneficiis quasi extorquendis, fastidiosus quidam obsequii neglectus & subdola æmulorum artes Reginæ animum sensim immutarunt, & demum prorsus abalienarunt.* Eminebant inter Essexii æmulos Robertus Cecilius, Reginæ ab epistolis, Baro Cobhamus & Walterus Raleighus; hi cum fœminæ inclinata jam ætate suspicaci facile persuasissent, ut ab Essexio sibi caveret, ejusque ambitionem & audaciæ nimios conatus deinceps suspectos haberet, rationem inierunt, quo gratiam ejus sensim refrigescentem, per absentiam omnino extinguerent, illum specie expeditionis contra Rebelles procul in Hiberniam ablegandi; cum ille astum subodorans ea lege suscepit, ut quoties reipublicæ expedire videretur, non expectato Reginæ mandato in Angliam redire posset, qua de re cum ei publico diplomate regni sigillo firmato cautum esset, postquam in Hiberniam cum exercitu venit, literæ privati sigilli allatæ sunt, quibus injussu Reginæ ex insula decedere enixe prohibebatur; id quod indignissime tulit, omnisque in insula moræ impatiens, habito cum Tiroenæ Comite, turbidorum antesignano colloquio, pactisque induciis in Angliam rediit, & coram Regina, neopinante quidem, in penetrali secretiori comparuit. Recedere vero ab illa jussus, & custodiæ in ædibus custodis Magni sigilli commissus, post sextum mensem, judicio à Regina instituto officiis privatus & ad rusticum prædium, quod haud procul Londino habebat, relegatus est. Post annum exactum cum Londinum redire amicosque frequentare cœpisset, pravo quorundam instinctu turbulentis autem præbuit consiliis, eaque aluit & exequi molitus est, adeo incauta ut ad Cecilium & Reginam cito emanarent. Itaque per delegatos ad causam dicendam citatus cum non comparuisset, sed populum suas in pertrahere partes conatus esset, perduellis pronunciatus, inque ædibus suis, quo cum armata manu se receperat, obsessus; facta vero eadem adhuc nocte deditione in Turrim conjectus & Parium judicio subditus fuit, à quibus reus peractus & damnatus, gratiamque Reginæ implorare dedignatus, mortem in arcis Londinensis area subiit, *piissime*, ceu *Camdenus* loquitur, *& vere Christiane* anno ætatis tricesimo quarto.

ROBERTUS II. *Roberti I. C. Essexiæ* filius in Etonensi schola educatus, paternæ calamitatis nuncium per somnium accepisse memoratur: eodem enim momento, quo ille securi percussus est, è somno subitò expergefactus, insani instar è lecto exsiluit atque exclamavit, genitorem interiisse. Simul ac Jacobus Rex Scotiæ ad Angliæ regnum pervenit, natalibus, avitisque honoribus restitutus fuit. Puer usque adeò ferocculus fuisse narratur, ut aliquando Principi Henrico, filio Regis primogenito, quod eum proditoris natum appellasset, caput reticulo probe commitigaret. (*b*) Conjugia infausta ipsi evenere: priorem ejus uxorem Robertus *Carr* Vice-Comes Roffæ idemque Comes Somersettiæ temeravit, ita ut ea dicam impotentiæ marito scribere & divortium petere non erubesceret. Hoc judicum sententia decreto, oborta illi ex contumelia est indignatio, quam & quidquid in animo erat molestiæ discussurus æquor trajecit, & militiæ in Belgio primum, deinde in Palatinatu operam dedit. Post excessum R. Jacobi cum Vice-Comes Wimbleton expeditionem adversus Gades auspiciis novi Regis Caroli I. suscepisset, comitem se illi præbuit, successu autem frustratus ad penates reversus est, nec ita multò post secundam ducere sustinuit uxorem, cui cum non magis satisfaceret ac priori, iterum ad divortium res rediit; puellum tamen, quem illa post id peperit, pro suo habuit, sed is brevis ævi fuit. Relicta itaque re uxoria animum penitus, ad Rempublicam appulit, & in exercitu, quem Rex adversus Scotos anno 1639. eduxit, Ordines rexit; pace verò facta Camerarius Hospitii Regii constitutus est. Sed postquam Anglia etiam turbari & bellum Regem inter & Parlamentum parari cœpit, hujus partibus accessit, atque utriusque domus consensu die XII. Julii anno 1642. Imperator summus electus est; hoc officio fortiter nec improspere functus sub initium anni 1644. missionem accepit, Thoma Fairfaxio in locum ejus surrogato,

(*a*) *Ibid. p. 807.* (*b*) *Wilh. Sanderson Reign of King Charles pag. 928.*

surrogato, reliquumque ætatis privatus exegit, atque ad extremum morbo febriculoso correptus, & accedente lethargo intra quatriduum extinctus est. Quoniam prolem nullam reliquit, neque in familia superfuit, qui à *Waltero* primo Essexiæ Comite descendebat, cessavit hic titulus, *Herefordensis* autem cum *Vice-Comitis* honore conjunctus transiit ad agnatum illius WALTERUM VI. quem ab *Eduardo Devereux de Castle Bromwich*, Walteri IV. primi Herefordiæ Vice-Comitis filio, è posteriore matrimonio nato, genitum fuisse *Dugdalius* tradit, inque ejus progenie etiam nunc exsistit.

Antiquior familiæ *Devereux* titulus Baroniæ *Ferrers de Chartley* resuscitatus quoque nostra fuit memoria in gratiā ROBERTI SHIRLEY, quippe qui maternum sanguinem ab enumerata ducit familia ex sorore Roberti Devereux II. Comitis Essexiæ natus. Pater ei erat *Henricus Shirley*, avus *Georgius Shirley de Stanton* in Leicestriæ Comitatu, quem R. Jacobus I. *Baroneti* honore inter primos anno 1611. ornavit. Cæterum non tantum titulum *Baronis Ferrers de Chartley* Robertus *Shirley* obtinuit, sed etiam *locum*, qui Baronibus hujus nominis olim competebat, occupavit, *quintum* nempe inter Barones Angliæ & proximum à Barone Morley.

Insignia familiæ *Devereux* in scuto *argenteo fasciam rubeam tribus vitellis ejusdem coloris in superiore regione stipatam*, repræsentant; tegit clypeum *galea coronata*, è qua *caput molossi argenteum* collo tenus prominet, sustinent autem à dextris *molossus*, à sinistris *cervus*.

CAPUT LXXVII.

DE VICE-COMITIBUS MONTACUTI ET FAMILIA BROWNENSI.



SEcundum inter Vice-Comites Angliæ locum tenet *Montacutensis*; hic titulus à prisca Montacutorum familia natus est, quam suprà recensuimus, quæque id cognominis à *monte* in Somersettia sito, & quia sensim in cacumen exsurgit, Acuto dicto, accepit. Extincta illa in honoris vocabulum transiit nomen & Johanni Nevillo, è postrema Montacutorum hærede nato cum axiomate Marchionis collatum est. Posteà Henricus Poole, qui maternam originem à Regia pariter ac Nevillana stirpe ducebat, Baro Montacute sive Mountague à R. Henrico VIII. creatus fuit. Regina Maria denique ANTONIO BROWN honorem Vice-Comitis Montague impertiit, cujus avia paterna Johannis Nevilli Marchionis Montacute filia erat.

Genus Brownorum Dugdalius(a) à THOMA BROWNE Thesaurario peculii R. Henrici VI. deduxit, eique duos tribuit gnatos, videlicet GEORGIUM, à quo *Adamus Brovvne de Beckvvorth* in Surria descendit, & ANTONIUM. Is Angliæ Signifer & castri *Quinborough* in Cantio à Rege Henrico VII. præfectus, uxorem ex illustri *Nevillorum* domo ceu dictum, prognatam eamque *Marchionis Montis acuti* cohæredem duxit, filiumque ex ea *cognominem* suscepit, qui Regi Henrico VIII. egregia militavit fama, atque inter Equites *San-Georgiani Ordinis* cooptari meruit. Hoc natus ANTONIUS III. honore *Vice-Comitis Montisacuti* à Regina Maria auctus & Romam cum Thoma Thurlbejo Episcopo Eliensi missus fuit, ut Angliam in unitatem Ecclesiæ Romanæ, & sedis Apostolicæ obedientiam reduceret; hinc cum deinde Elisabetha regnante de abolendo Papæ suprematu, eoque Regiæ Majestati restituendo, ageretur, ipse solus cum Comite Salopiensi refragari sustinuit satis obfirmate, quemadmodum *Camdenus* (b) memoriæ prodidit: *erat* quippe referente eodem Autore *Romanæ religioni deditissimus, sed spectatæ prudentiæ & fidei*, hisq; nominibus Reginæ modo laudatæ *præcharus: noverat enim illum ex prima institutione & animi persuasione, non ex factionis studio, ut multi, eam religionem coluisse*, hinc non dubitavit legatum ad Regem Hispaniæ mittere, ut causas transmissi in Scotiam exercitus, & rationem mutati in Anglia Status Ecclesiastici illum edoceret; factum deinde reducem & lethali morbo decumbentem ipsamet invisit, quemadmodum citatus autor refert. Successorem in dignitate sibi parta nactus est nepotem è filio natu maximo paucis mensibus sibi præmortuo ANTONIUM V. hic gnarum FRANCISCUM, quo haud ita multis abhinc annis vita defuncto, filius *cognominis* aviti honoris hæreditatem crevit.

Scutum Brovvnorum gentilitium *nigrum* est *tres leunculos argenteos inter geminum taniarum diagonalium ejusdem metalli jugum ingredientes* exhibens; in *Galea* vero *cervus* conspicitur.

(a) *Baronag. III. 297.* (b) *Annal. Elisab. p. II. 539. & 601.*

SCHEMA FAMILIÆ BROWNENSIS, VICECOMITUM MONTAGUE.

THOMAS BROWNE, Eques & Thesaurarius R. Henrici VI.

Georgius Browne, à quo Brovvni *de Beckvvorth.*

Antonius Brovvne. *Lucia Nevill Joh. M. Mountague f. Thomæ Fitz VVilliams de Aldvvarke vid.*

Antonius Brovvne II. *Eques Perisc.* † 1549. *Alicia, Johannis Gage Eq. Perisc. f.*

AntoniusBrovvneIII. VICEC. MONTAGUE cr. 2. Sept. 1554. *Eq. Per.* † 19. Oct. 1592. 1. *Jana, Roberti Radcliff C. Sussex. fil.* 2. *Magdalena, Wilhelmi B. Dacres de Gillesland f.*

Wilhelmus Brovvne.

Henricus Browne.

Franciscus Brovvne.

Maria nup. *Joh. Grey.*

Mabilia ux. *Geraldi C. Kildariæ.*

Lucia nup. *Thomæ Roper de Eltham.*

1. Antonius Browne IV. † 30. Jun. 1592. *Maria Wilhelmi Dormer de Ethorp.*

Maria nup. *Henrico Wriothesley C. Southanton.* 2. *Thomæ Heneage Eq.* 3. *Wilhelmo B. Harvey de Rossé.*

2. Georgius Brovvne Eques.

Thomas Browne.

Henricus Browne.

Elisabetha ux. *Roberti B. Dormer.*

Mabilia.

Johanna nupta *Francisco Lacon de Willey.*

Antonius Brovvne V. Vicec. Montague † 3. Oct. 1629. *Jana Thomæ Sackvile Com. Dorset f.*

Johannes Brovvne.

Wilhelmus Brovvne.

Dorothea.

Jana.

Catharina.

Franciscus Brovvne Vicec. Montague † . . . . *Elisabetha Somerset Henrici M. Wigorn fil.*

Maria nupta 1. *Wilhelmo Paulet B. St. John de Basing* 2. *Wilhelmo Arundel.*

Catharina ux. *Wilh. Tirvvhit de Ketilby.*

Anna & Lucia *moniales.*

Francisca ux. *Joh. Blomer de Hethorp.*

Maria nupta *Roberto B. Petre.*

Franciscus Brovvne II. Vicec. Montague.

Maria, Wilhelmi Herbert C. de Povvys f. Richardi Molineux vid.

Henricus Brovvne.

Elisabetha nup. *Christophoro Roper B. Tenham.*

CAPUT LXXVIII.

DE VICE-COMITIBUS SAY ET FAMILIA FIENESIA.



Icecomes *Say*, quem nunc ordo tangit, è *Fienesia* sive *Fenysensi* familia ortus est; eam *Dugdalius (a)* ad *Ingelramum de Fienles* refert, cui uxorem fuisse perhibet *Sibyllam de Tyngria* Faramusi de Bolonia, à Comitibus hujus nominis prognati, filiam, quam respexisse *Camdenus (b)* videtur, cum *Richardum Fienes Baronem Dacre è prisca familia Comitum Bononiæ prodiisse* scriberet. Licet vero in recensenda propagine dicti Ingelrami de Fiennes, cujus ætas in regna Henrici II. & Richardi I. incidit, operam non defugerit autor noster, hiantes tamen proximos ab illo dedit generationum gradus, usque dum ventum ei est ad WILHELMUM DE FENYS, *Johannæ de Say* maritum, à quo schema etiam nostrum initium capit. Ab hoc in *duos* diducta est *ramos* stirps Fenysensis, quorum uterque Barones Angliæ diversis ornatos titulis edidit: *priorem* ROGERUS protexit, quo natus RICHARDUS, cum Thomæ Baronis *Dacre* anno 1458. defuncti neptem unicam Johannam, è filio ipsius natu maximo eoque cognomini, sed ante patrem mortuo, natam, in matrimonium duxisset, honore *Baronis Dacre* à R. Henrico VI. auctus est; licet ex illa familia superessent mares: quos inter Ranulphus Dacreus, Johannæ patruus, paternum titulum sibi sumsit, cumque is in prælio Towtonensi pro Rege modo dicto pugnans occubuisset, Humphredus ejus frater, cujus progenies usque ad regnum Elisabethæ duravit, honore avito semper gavisa, & cognomento *Dacre of the North & de Gillesland* à Fienesiis, qui Barones *Dacre of the South* (sive Australes) appellabantur, distincta.

Richardus *de Fenys sive Fienes* à quo digressi sumus, *Baro Dacre* creatus, successorem in honore illo habuit nepotem, è filio natu majore THOMAM; is porro sine prole fato functus patruelem ejusdem nominis, qui vix XXIV. annos natus, tristi mortis genere periit; *cum* enim, referente & verba nobis commodante *Camdeno (c) homicidium factum esset à familiaribus ejus una cum eo venatum profecturis, cui tamen non interfuit, ille in quæstionem vocatus & persuasus ab aulicis hereditati ejus subdole inhiantibus, non posse sua & suorum vitæ consulere nisi crimen fateretur, & se Regis misericordiæ submitteret. Quod cum imprudens fecisset, ille mox damnatus & perendie suspensus est.* Filium post se reliquit GREGORIUM, natalibus primo Elisabethæ anno una cum fratre THOMA restitutum, hominem *imminuto ingenio* autori modo citato dictum; eo sine prole vivis exempto, hæreditas avita sorori ejus MARGARITÆ *Samsoni Lennardo* nuptæ ex jure obvenit, cui etiam titulus Baronis Dacræi concessus, & Henrico Lennardo filio confirmatus fuit, quemadmodum jam *supra (d)* dictum est.

Alter Fienesiæ stirpis ramus hodieque virens JACOBUM, *Wilhelmi de Fienes* & *Johannæ de Say* filium natu minorem, satorem habuit: is manu strennus & bellator bonus cum Regibus Henricis V. & VI. se probasset, ad honesta ministeria productus atque à posteriore opibus ac dignitatibus cumulatus est: retulit imprimis huic acceptum titulum *Baronis Say & Sele*, qui tunc morte avunculi ipsius Wilhelmi de Say, antiquissimo stemmate orti, cessaverat, quemque licet ex ejus sorore natu minima natus, dicti Regis beneficio obtinuit, vice iterata sibi confirmatum, ita ut Johannes Baro Clinton, cui natu maxima Wilhelmi de Say soror Idonea nupta erat, jure suo se abdicare non dubitaret. Ad amplissimos deinde honores Supremi Regis Cubicularii, Custodis quinque portuum, Comestabilis Doveræ nec non arcis Londinensis & denique summi Angliæ Thesaurarii sublatus, gravi ad extremum lapsu ruit; in Parlamento enim ad Edmundi fanum conscripto à Communium camera proditionis postulatus, licet à Rege mitigandæ illorum iræ Thesaurarii munere exutus, & custodiæ mandatus esset, attamen cum Cantiani duce Jacobo Caddo insurrexissent, & Londino potiti essent, è Turri cum aliis extractus & securi percussus fuit. Filium post se reliquit WILHELMUM, qui flagrante bello civili inter Henricum VI. & Eduardum IV. bis in captivitatem delapsus est, & redimendæ libertatis ergo maximam bonorum partem pignori opponere necesse habuit, unde postquam in Barnetensi prælio occubuisset, filium HENRICUM in re adeo angusta reliquit, ut licet is titulo Baronis Say uteretur, ad Parlamenta tamen evocari negligeretur; id quod etiam hujus gnato, nepoti ac pronepoti contigit, donec ejus abnepos RICHARDUS de Fienes ad lautiorem fortunam reversus & equestri honore ornatus in avita jura plenarie Regis Jacobi beneficio restitutus fuit; id quod primo statim regni ejus anno factum est; secundo

Tt 2 vero

(a) Baronag. III. 245. (b) Annal. Elis. p. 633. (c) Ibid. p. 654.
(d) Cap. LXVIII.

SCHEMA FAMILIÆ
BARONES DACRE

WILHELMUS DE FENYS five FIENES, Eques.

Rogerus de Fenys five Fienes Sheriffus Surriæ & Susſexiæ.

Richardus de Fienes BARO Dacre cr. 7. Nov. 1459. † 1484. *Johanna, Thomæ Dacre fil. & hær.*

Johannes de Fienes, Eques † ante patrem. | Thomas de Fienes. | Eliſabetha Ux. *Johannis B. Clinton.*

Thomas de Fienes B. Dacre † 1534. improlis. | Thomas de Fienes B. Dacre *ſuſpenſus* 1541. 29. Jun.

Gregorius de Fienes B. Dacre † 26. Sept. 1594. *Agnes, Richardi Sackville de Burkhurſt f.* | Thomas de Fienes † improlis. | Margarita, fratrum hæres nup. *Samſoni Lennard Armigero.*

Brigita nup. *Theophilo Clinton C. Lincoln.* | Eliſabetha uxor *Richardi Norton de Southvvick.* | Conſtantia nupta *Franciſco Boynton de Barmſton.* | Suſanna, uxor *Thomæ Erle de Charlbury.* | Anna nup. *Carolo Wolſeley.*

☾

Jacobus de Fienes † infans. | Wilhelmus de Fienes † inf. | Wilhelmus de Fienes † juvenis in Gallia. | Eliſabetha uxor *Johannis Tvvisleton de Barlovv.* | Franciſca uxor *Andreæ Ellys de Alby.*

FIENESENSIS.
VICECOMITES SAY ET SELE.

Uxor: *Johanna, VVilhelmi de Say soror & cohares.*

Jacobus de Fienes BARO Say & Sele cr. 1447. Angliæ Thesaurarius, *decoll.* 4. Jul. 1450. *Emelina Cromer.*

Wilhelmus de Fienes B. Say & Sele occ. in pr. Barnet. 13. Apr. 1471. *Margarita, VVilhelmi VVykham fil.*

Henricus de Fienes B. Say & Sele † 1. Aug. 1476. *Anna, Richardi Harecourt de Stanton-Harecourt f.*

Richardus de Fienes B. Say & Sele. *Elisabetha, Richardi Croft fil.*

Eduardus de Fienes B. Say & Sele † . . . *Margarita, Joh. Danvers de Dantsay f.* — Anna nupta *Johanni B. Zouche de Haringworth.* — Elisabetha uxor *VVilhelmi Danvers de Culvvorth.* — Maria, *monialis.*

Richardus de Fienes B. Say & Sele. *Elisabetha, VVilhelmi Farmour f.* — Elisabetha nupta *Francisco Berentine.*

Richardus de Fienes B. Say & Sele. *Constantia VVilhelmi Kingsmill Eq. f.*

Wilhelmus de Fienes VICECOMES Say & Sele † 14. Apr. 1662. *Elisabetha, Joh. Temple de Stovv f.*

Jacobus de Fienes Vicecomes Say & Sele † 15. Mart. 1673. *Francisca, Eduardi Cecill, Vicec. VVimbletonf.* — Nathanael de Fienes † . . . *Elisabetha, Joh. Elyot fil.* — Johannes de Fienes. — Richardus de Fienes.

Wilhelmus de Fienes Vicec. Say & Sele. *Maria, Richardi de Fienes f.* — Maria nupta *Wilhelmo patrueli suo.*

vero & vicesimo filio Richardi WILHELMO *Vice-Comitis* dignitas accessit, qua ejus è filio secundogenito nepos in præsentia fruitur.

Scutum Fienesiæ familiæ *caruleum* est, *tres leones aureos* continens.

CAPUT LXXIX.

DE VICECOMITE NEWPORT.



Vicecomitem Say nunc excipit *Nevvportensis*, postquam scilicet *Thomas Bellasisius Falconbergius* & *Carolus Mordantius*, qui medii intercesserant, ad Comitis honorem provecti sunt: genus illius bonum ac pollens jam diu in Salopiæ Comitatu exstitisse *Dugdalius* (a) testatur, quod tamen hoc demum seculo in amplissimum Parium Angliæ Ordinem extulit virtus RICHARDI NEWPORT *de High-Ercall*: is etenim insigni suo erga R. Carolum I. studio promeruit, ut d. 14. Oct. a. 1642. *Baro* gentilitio sub nomine crearetur, conclamata re Regia vertere solum maluit, quam extremam & senectam ætatem insueto sub imperio exigere: in Galliam itaque transgressus Molinis d. 8. Febr. a. 1650. vivendi finem fecit. Uxor ei fuit *Rachel*, Johannis *Leveson de Haling* gnata, è qua mares duos *Franciscum* & *Andream*, fœmellasque septem genuit. Illarum nomina hæc sunt: *Beatrix* Henrico *Bromley* elocata, *Christiana* cælebs mortua, *Maria*, Johannis *Steventon de Bothill* primo, dein Francisci *Forester de Warling strete* uxor, *Margarita*, Richardi *Fovvler de Harnage-Grange*, *Anna*, Eduardi *Corbet* conjuges, *Christiana* innupta, & denique *Elisabetha*, Henrico *Povvle de Williamsthorpe* matrimonio juncta. Filiorum natu major FRANCISCUS paterna ingressus vestigia arma pro Rege Carolo I. cepit & fortiter tulit, donec a. 1644. ab adversa parte caperetur. Ea ratione & meritorum suorum ergo à R. Carolo II. tum honoratis Palatii Regii officiis, tum axiomate *Vicecomitis Nevvport de Bradford* d. 11. Marc. a. 1675. auctus est. Torum partitur cum *Diana* Francisci *Russel* C. Bedfordiæ gnata, è qua suscepit;

I. Richardum Nevvport.
II. Thomam.
III. Franciscum.
IV. & V. Thomam & Andream intra pueritiæ annos defunctos.
VI. Elisabetham *Henrico Littleton de Frankley Baroneto* nuptam.
VII. Catharinam.
VIII. Annam.
& IX. Dianam.

Scutum, quo Vicecomes *Nevvport* utitur, *argenteum* est, & *cantherium rubeum tribus leopardi capitibus nigris stipatum* defert.

CAPUT LXXX.

DE VICE-COMITIBUS TOWNSHEND, THYNNE ET HATTON.



Post Newportensem Vice-Comitem occurrit in Catalogo Nobilitatis Anglicæ fœmina, cui nomen *Sara Domina Corbet*: ea vidua est Vincentii Corbet de Moton-Corbet & Roberti Munson de Carleton filia, à R. Carolo II. *Vicecomitissa Corbet* creata.

Sequitur HORATIUS TOWNSHEND *Vice-Comes Tovvnshend*: hunc R. Carolus II. in regnum restauratus ob fidem operamque sibi exhibitam ex equestri loco ad Parium Ordinem sub titulo *Baronis Tovvnshend de Kings Lenne* extulit, & deinde exeunte anno 1682. *Vice-Comitis de Rainham* honore auxit. Pater ei fuit *Rogerus Tovvnshend de Raynham* in Norfolcia, mater *Maria*, Horatii *de Vere* Baronis *de Tylbury* gnata; matrimonium iterata contraxit vice: prius cum *Maria*, Eduardi *Levvknore de Denham* filia unica, posterius cum *Maria*, Josepho *Ash* nata, ex illo sobolem nullam, ex hoc marem unicum *Carolum* (b) sustulit. *Insignia* ejus *cantherium vellere muris Pontici exornatum & conchis tribus argenteis stipatum in solo caruleo* repræsentant. Hujus

(a) Baron. III. 467. (b) Dugdal. Baron. III. 481.

Hujus latus claudit THOMAS THYNNE, *Henrici Friderici Thynne de Caurse-Castle* in Salopiensi Comitatu filius, ex Armigero in *Vice-Comitem de Weymour* à R. Carolo II. mense Decembr. anni 1682. evectus; uxor ei est *Francisca*, *Heneagii Finch* Comitis *de Winchelsey* gnata.

Postremum inter Vice-Comites locum sub excessum R. Caroli II. tenuit CHRISTOPHORUS HATTON: hujus familia perantiqua à dynastia hujus nominis in Cestria sita nomen, originem vero à *Nigello Barone de Hatton* & Comestabili priscorum Cestriæ Comitum traxisse *Dugdalius (a)* refert. Illustrata illa fuit superiore seculo à *Christophoro Hatton de Holdenby* in Northantonia Angliæ Cancellarii munere sub Regina Elisabetha functo, de cujus moribus & incrementis hæc in annalibus suis *Camdenus (b)* posteritati tradidit: *Christophorus Hattonus natus è familia magis antiqua quam opulenta in agro Northamptonensi, juvenis & concinna corporis proceritate & oris dignitate eam apud Reginam acquisivit gratiam, ut in cohortem L. Nobilium stipatorum, & postea ob modestam morum suavitatem in numerum Nobilium sacratioris Cameræ adsciverit, Satellitibus præfecerit, Procamerarium instituerit, in sanctius Consilium admiserit, demumque Angliæ Cancellarium constituerit, & Ordinis Georgiani honore ornaverit. Vir ingenio pio, summa in egenos miseratione, eximia in bonarum literarum studiosos munificentia, (unde Oxonienses in Academiæ Cancellarium elegerunt) & qui in gravissimo illo Cancellarii Angliæ munere perfungendo recta voluntatis conscientia se sustentare poterat. Obiit ex diabete, & animi mœrore quod Regina ingentem pecuniam ex Decimis & primitiis, quibus præfuit, collectam, paulo acerbius exaggerasset, quam pro ea qua apud ipsam floruit gratia condonandam speraret. Nec hominem verbo dejectum relevare poterat, quamvis inviseret & consolatione demulceret. Justa illi ad S. Pauli Londini honorificè soluta & magnificum monumentum posuit Guilielmus Newportus è sorore nepos, quem in Hattonorum nomen adoptatum hæredem scripserat.* Hoc *Guil. Newporto* scilicet, sine prole mascula mortuo pervenit hæreditas illa vigore substitutionis à laudato Cancellario factæ ad CHRISTOPHORUM HATTONUM filium illius lustricum, & *Johanne Hattono*, propinquo ejus natum, quem R. Carolus I. ob fidem ac assiduitatem sibi præstitam *Baronem Hatton de Kerby* d. 29. Jul. anno 1643. creavit, Carolus II. autem insulæ *Gernsay* præposuit atque in Sanctius Consilium adscivit. Vita d. 4. Jul. a. 1670. defunctus liberos quinque reliquit ex *Elisabetha* Caroli *Mountaque* filia genitos; sequioris sexus tres fuere *Maria*, *Jana* & *Alicia*; Filii duo CHRISTOPHORUS & *Carolus*. Prior patri in honorem Baronis & præfecturam Garnsejensem successit, atque à R. Carolo II. ad *Vice-Comitis* dignitatem sublatus est, maritus *Ceciliæ Tufton*, Johannis Comitis de Thanet filiæ, è qua gnatam unicam *Annam* superstitem habet.

Scutum quo utitur *cæruleum* est, & *cantherium* continet *aureum*, *mergitibus tribus ejusdem metalli stipatum*.

CAPUT LXXXI.

DE VICE-COMITIBUS AB HODIERNO REGE CREATIS, ET SPECIATIM LUMLEIENSI, FAMILIAQUE HUJUS NOMINIS.



Numerati hucusque Vice-Comites locum hunc Jacobo II. regnum ineunte ornarunt, nequeab isto in eundem ordinem quisquam provectus fuit: ab hodierno autem Rege Wilhelmo III. duos ad id dignitatis elatos esse accepimus, videlicet HENRICUM SIDNEIUM ET RICHARDUM LUMLEIUM, Prior *Vice-Comitis Sheppey* titulum accepit, estque frater Comitis Leicestriæ, quemadmodum superius dictum fuit; Alterum R. Carolus II. extremis regni sui annis Baronem Angliæ creaverat, cum antea in censu Parium Hiberniæ tantum esset, & *Vice-Comes Lumley de Waterford* isto in regno audiret, nuper verò Vicecomitibus Angliæ sub nudo nomine gentilitio adscriptus est.

Originem Vice-Comitis *Lumley* quod attinet, non est dubium, quin eam communem cum antiquioribus Baronibus Lumlejis, qui hoc demum seculo defecere, habeat, licet *Dugdalius (c)* sicco illum genitoresque ejus pede præterierit; id quod non aliam ob causam factum arbitror, quam quia tunc cum Baronagium ederet, nondum inter Pares Angliæ locus illi esset: Appellatio Lumleianæ stirpis à loco ejusdem nominis ad amnem *Vedram* in Dunelmensi diœcesi sito derivatur, origo autem inde ab ætate R. Eduardi Confessoris repetitur, qua claruisse perhibent *Liulphum* quendam, virum adprimè nobilem, qui *Algitham*, Aldredi Ducis Northum-

(a) Ibid. p. 468. (b) pag. 588. (c) Cap. 34. (d) Baronag. II. 176.

Tab. CVIII.

SCHEMA FAMILIÆ LUMLEJANÆ.

ROGERUS DE LUMLEY vixit circa a. 1250.
Sibylla, Hugonis de Morevvic fil. & cohær.

Robertus de Lumley. *Lucia, Marmaduci de Thvveng Dn. de Kilton-Castle fil. & cohær.*

Marmaducus de Lumley. Uxor *incomperta.*

Robertus de Lumley † 12. Dec. 1375. | Radulphus BARO Lumley 1384.

Thomas de Lumley † 31. Maji 1400. | Johannes Baro Lumley † 1421.

Thomas Baro Lumley † circa 1496. *Elisabetha Plantagenet, R. Eduardi II fil. natur.*

Georgius Baro Lumley † . . . . *Elisabetha, Rogeri Thornton Armig. f.*

Thomas Lumley, Eques † ante patrem. | Rogerus Lumley. | Radulphus Lumley.

Richardus Baro Lumley *Anna, Joh. Conyers de Hornby-Castle f.* | Anna nupta *Radulpho B. Ogle.* | Sibylla ux. *Wilhelmi B. Hilton.* | Elisabetha nupta *N. Crorwvell.*

Johannes Baro Lumley. *Johanna, Henrici B. Scroope de Boltonf.* | Antonius Lumley.

Georgius Lumley † ante patrem. *Jana, Richardi Knigtley de Fausley f.*

Johannes Baro Lumley † ante 1609. *Jana, Henrici Fitz-Alan C. Arundel. fil. & cohær.* | Jana nup. *Godofredo Markham.* | Barbara uxor *Humphredi Llhoyd.*

Carolus Lumley † improlis. | Thomas Lumley † improlis. | Maria.

thumbriæ gnatam, in matrimonio habuerit, & inter posteros suos interjectis pluribus ac inexploratis generationum gradibus numeraverit ROGERUM *de Lumley*, à quo schema nostrum initium capit. Is sub umbilicum seculi XIII. vixit ac avus fuit MARMADUCI, quem ob luculentam hæreditatem à genitrice acceptam paterna insignia cum maternis commutasse *Camdenus (a)* refert, ita ut in *scuto argenteo fasciam rubeam psittacis tribus viridibus stipatam* deferre occiperet, cum ejus majores *sex psittacis argento tinctis in clypeo coccineo* usi fuissent.

RADULPHUS *Marmaduci* filius, *primus* è gente sua *Baro Angliæ* salutatus atque ad Parlamenta inde ab anno VIII. regni Richardi II. usque ad exautorationem ejus habita citatus fuit; quoniam vero deinde partibus illorum, qui Richardi in regnum restituendi ergò insurrexerunt, se adjunxit, perduellionis reus actus, honorum possessionumque jacturam fecit. Restitui tamen in integrum meruit filius ejus natu minor JOHANNES: hic pater erat THOMÆ, viri maximè longævi, quippe qui inde ab initio regni Henrici VI. usque ad postremos R. Henrici VII. annos duravit, quemadmodum ex Indicibus Submonitionum ad Parlamenta colligere licet. Idem maritus fuisse à *Dugdalio* dicitur *Elisabethæ Plantagenetæ*, quæ R. Eduardi IV. notha erat; sed *Sandfordius (b)* nepoti illius cognomini eam uxorem tribuit: uter melius conjecerit, diiudicare non est meum, neque prioris deductionem animo decidendi in schemate secutus sum. *Thomæ* de cætero natus est GEORGIUS, qui contracta cum *Ægydio Thorntono* fratre naturali uxoris suæ rixa, ob soceri hæreditatem, illum Windsoriæ interfecit. Post hunc RICHARDUS & JOHANNES *Lumleji* inter Barones successive enumerantur, & postremò alius JOHANNES, istius nepos: hujus regnante Elisabetha clarum fuit nomen & multa occupatio in clandestino nuptiarum Mariæ Scotorum Reginæ cum Duce Norfolciæ consilio; postquam verò carcere illam luisset, animum adeò mutavit, ut deinde inter Pares regni ad audiendam Mariæ causam delegatus, sententiam feralem juste in eam latam fuisse juxta cum judicibus senserit. *(c)* Vitam inter annum seculi hujus sextum & nonum finivit, filiis duobus quos genuerat, immaturo fato orbatus.

CAPUT LXXXII.
DE BARONIBUS ABERGAVENNÆ ET FAMILIA NEVILLANA.



Aronum Angliæ in specie ita dictorum chorum ducit *Abergavennensis*, stirpe *Nevillana* satus: ea vetustate ac fœcundæ nobilitatis splendore rerumque gestarum gloria nulli totius Britanniæ concedit, id præcipui habens quod uno eodemque fere tempore *septem* ex ea nati effloruerint, qui inter *Pares regni* numerabantur, videlicet *Comes Westmorlandiæ*, *Comes Sarisburiæ*, *Comes Warvvici*, & *Comes Cantii*, *Marchio Montisacuti*, *Baro Latimer*, nec non *Baro Abergavennæ*. Origo familiæ ab *Uchtredo* Northumbriæ Comite, quem Regis Edmundi *Ironside* ætate vixisse perhibent, derivatur, per filiam ejus *Algitham* Maldredo *Fitz*. *Crinan* nuptam: his enim natum fuisse *Dugdalius (d)* refert, Comitem *Gospatricum*, patrem *Dolfini*, quo genitus ROBERTUS FITZ. MALDRED Dominus de Raby in Diœcesi Dunelmensi, cum ISABELLAM, Galfridi *de Nevill* sive *de Nova villa*, Normanni, (cujus avus *Gilbertus Nevill* R. Wilhelmi Conquestoris Admirallus fuit) gnatam in matrimonium duxisset, autor extitit filio ex hoc conjugio genito GALFRIDO, ut *Nevillanum nomen* adscisceret, quod etiam omni ejus posteritati servatum est. *Galfrido* filii duo tribuuntur ROBERTUS & GALFRIDUS: ab hoc ejusque uxore *Margarita*, quæ Johannis *Longuillers de Hornby* gnata ac hæres fuit, *Nevilli de Hornby* in Lancastria provenere in THOMA, unicæ filiæ, quæ in Regiam familiam enupsit, genitore extincti. *Robertus Nevillus* à R. Henrico III copiarum & urbium præfecturis honestatus *filium* habuit *cognominem*, qui cum alienam sectaretur uxorem à mariti ejus propinquis deprehensus atque exsectis virilibus ita dimissus esse memoratur, ut è vulnere animam exhalaret, vivente ipsius patre, unde is nepotem ex illo RANULPHUM successorem nactus est, qui primus è gente sua ad Parlamenta *Baronis* instar evocatus fuisse reperitur, & filium post se reliquit RADULPHUM ad multa pacis & belli negotia à R. Eduardo III. in bellis Scoticis adhibitum, iisque cum laude defunctum. Ejus gnato JOHANNE idem Rex in Gallicis pariter & Scoticis bellis frequenter ad res maximi momenti conficiendas usus esse, eidemque custodiam limitum Scotiæ & præfecturam Aquitaniæ haud simplici vice demandasse legitur. Filii ei tres tribuuntur, qui singuli in Baronum Ordinem provenerunt; natu

Uu maximus

(a) *Descr. Brit.* (b) *Geneal. Hist. of. Engl. p. 399.* (c) *Camd. Annal. Elis. p. 206. & 499.* (d) *Baronag. I. 287.*

FAMILIÆ NEVILLANÆ

ROBERTUS FITZ-MALDRED Dn. de Raby 1195.

Galfridus Nevill de Raby

Robertus Nevill de Raby † 1282. *Ida, Rogeri Bertram vid.*

Robertus Nevill Junior † 6. Jun. 1271. *Maria, Radulphi Fitz-Randulph Dn. de Midleham fil. & coheres* † 1320.

Ranulphus BARO Nevill de Raby † 18. Apr. 1331. Uxor 1. *Eufemia, Joh. de Clavering. f. 2. Margarita, Johannis de Thwengf.*

Robertus de Nevill, dictus vulgo *the Peacok of the North* † ante patrem. — Radulphus Baro Nevill de Raby † 5. Aug. 1367. *Alicia, Hugonis Bar. Audley fil.*

Johannes B. Nevill de Raby † 17. Oct. 1388. 1. *Mathilda, Henrici B. Percy f. 2. Elisabetha Wilhelmi B. Latimer de Danby f. & har.* — Robertus de Nevill. — Wilhelmus de Nevill. — Margarita nupta *Henrico B. Percy C. Northumbr.*

1. Radulphus Baro Nevill de Raby COMES WESTMORLANDIÆ cr. m. Dec. 1397. *Eques Per.* † 21. Oct. 1425. Ux. 1. *Margarita, Hugonis C. Stafford fil.* † *9. Jun. 1370. 2. Johanna Beaufort, Johannis de Gaunt D. Lancastr. f. Roberti Ferrers de Oversley vid.* † *13. Nov. 1440.*
Liberos ex hac secunda uxore genitos vide TAB. SEQ.

1. Johannes Nevill † ante patrem 1423. *Elisabetha, Thomæ Holand Com. Cantii fil.* † *1423.* — Radulphus Nevill *Maria Roberti Ferrers de Oversley f. & coh.* — Mathilda ux. *Petri B. Mauley.* — Alicia nup. 1. *Thomæ Gray de Heton. 2. Gilberto de Lancaster.*

Radulphus Nevill II. Comes Westmorlandiæ † 3. Nov. 1484. Ux. 1. *Elisabetha, Henrici B. Percy cogn. Hotspur. f. Johannis B. Clifford vid. 2. Margarita, Reginaldi Cobham fil. & har.*

Johannes Nevill † 20. Marti 1451. improlis. *Anna Holand, Johannis Ducis Exoniæ filia.*

Radulphus Nevill † ante patrem. *Editha, Wilhelmi Sands filia.*

Radulphus Nevill IV. Comes Westmorlandiæ *Eques Perisc.* † 24. Apr. 1549.

Henricus Nevill C. Westm. *Eq. Per.* † 1563. Ux. 1. *Anna, Thomæ Mannours C. Rutland. f. 2. Margarita, Richardi Cholmley f. Henrici Gascoigne vid.* — Thomas Nevill. — Eduardus Nevill. — Christophorus Nevill. — Radulphus Nevill. — Georgius Nevill. — Cuthbertus Nevill. — Eleonora † innup.

1. Carolus Nevill C. Westmorlandiæ † extorris 1584. *Anna, Henrici Hevvard, C. Surriæ fil.* — Eleonora, nupta *Wilhelmo Pelham Equiti.*

Catharina, nupta *Thomæ Gray de Thillingham.* — Eleonora innupta.

SCHEMA I.

Uxor: **ISABELLA DE NEVILL**, *Galfridi filia ac hæres.*

Galfridus de Nevill † 1285. *Margarita Joh. Longvillers de Hornby fil. & hær.*

Johannes Nevill de Hornby.

Robertus Nevill de Hornby Eques.

Thomas Nevill de Hornby.

Margarita Nevill de Hornby nup. *Thomæ Beaufort Duci Exoniæ.*

Thomas Nevill Baro Furnivall † 1406. ux. 1. *Johanna Wilhelmi B. Furnivall f. ac hær.* 2. *Ankareta, Joh. le Strange de Blackmere f. Richardi Talbot vid.* | 2. Johannes Nevill Baro de Latimer † improlis 1431. *Mathilda Thomæ B. Clifford f. Richardi Plantag. C. de Cambridge vid.* † 1447. | Elisabetha ux. secunda *Roberti VVilloughby de Eresby.*

Mathilda uxor prima *Johannis*, Johanna *Talbot Com. Salop.*

Philippa uxor *Thomæ B. Dacres de Gilles-land.* | Margarita nupta *Richardo B. Scrope de Bolton.* | Anna ux. *Gilberti de Humfranville.* | Margarita *Abbatissa* Berkingæ. | Elisabetha *monialis.*

Johannes Nevill Eques occ. in prælio Toucon. 1461. *Anna Holland, Johannis Ducis Exoniæ fil. Johannis Nevill filii fratris illius vidua.*

Radulphus Nevill III. Comes Westmorlandiæ † . . . .
Margarita, Rogeri Booth de Barton f.

Anna, nup. *Wilhelmo Conyers Equiti.*

Catharina, Eduardi Stafford D. Buckingam. filia.

Dorothea ux. *Joh. Vere C. Oxon.* | Maria nup. *Thomæ Danby.* | Johanna. | Margarita ux. *Henr. Man-nours Com. Rutland.* | Elisabetha ux. *Thomæ B. Da-cres de Gilles-land.* | Eleonora ux. *Bryani Stapleton.* | Anna nupta *Fulconi Grevill de Beau-champs Court.* | Ursula.

Catharina ux. *Johannis Constable de Kirckby Knowle.* | Maria † cœlebs. | Adelina. † innup. | 2. Margarita, | Elisabetha.

Margarita ux. *Nicolai Pudsey.* | Anna, nup. *Davidi Engleby.*

FAMILIÆ NEVILLANÆ

COMITES DE SALISBURY, ET WARWYCK, MARCHIONES

RADULPHUS NEVILL, COMES WESTMORLANDIÆ I.

Richardus Nevill. C. SARISBUR. cr. 4. Maji 1442. *Eq. Per. decoll.* m. Jan. 1461. *Alicia, Thomæ de Montacute C. Sarisbur. f. & hær.*	Catharina nupta 1. *Joh. Moubray Duci Norfolc.* 2. *Johan. Widvile.*	Eleonora f. Elis. nup. 1. *Richardo B. Spenser,* 2. *Henrico Percy C. Northumbr.*	Wilhelmus Nevill B. FAUCONBRIDGE, COMES CANTII cr. 1461 *Eq. Perifcel. Johanna, Thomæ Fauconberge f.*	Anna nup. 1. *Humphredo Stafford D. Buckingam.* 2. *VValtero Blount Bar. Montjoy.*	Johanna *monialis.*

*

Richardus Nevill II. C. WARWIC. & Sarisb. *Eq. Per.* cogn. *Makeking.* occ. in pr. Barnet. 13. Apr. 1471. *Anna Richardi Beauchamp. C. Warvvic.*	Johanna ux. *Wilhelmi Fitz-Alan C. Arundel.*	Johannes Nevill MARCHIO MOUNTAGUE cr. 25. Mart. 1470. *Eq. Per.* occ. in pr. Barnet. 13. Apr. 1471. *Isabella, Edmundi Ingoldesthorp Eq. f.*	Thomas Nevill occ. in pr. Wakefeld 31. Dec. 1460. *Mathilda, Roberti Willoughby vid.* † 30. *Aug.* 1497.	Georgius Nevill *Episc.* Exon. Cancell. Angl. *Archiep.* Eborac.	Cecilia ux. 1. *Henr. Beauchamp D. Warvvic,* 2. *Joh. B. Tiptoft.* / Alicia nup. *Henrico B. Fitz-Hugh*

Isabella n. 5. Sept. 1451. nup. *Georgio Plantagen. D. Clarentiæ* 11. *Jul.* 1469. † 1476.	Anna nup. 1. *Eduardo de Lancastr. Pr. Walliæ,* 2. *Richardo Duci Glocestr. dein Regi.*	Georgius Nevill DUX BEDFORDIÆ cr. 1470. exautoratus 1477. † 4. Maji 1483.	Johannes Nevill † improlis.	Anna nup. *Wilhelmo Stoner.*	Elisabetha nup. 1. *Thomæ B. Scroope de Masham,* 2. *Henrico VVentvvorth.*	Margarita nup. 1. *Joh. Mortimer.* 2. *Roberto Horne.* / Lucia nup. 1. *Thomæ Fitz-Williams de Aldvvarke* 2. *Antonio Brovvne.* / Isabella, ux. *Wilhelmi Huddlesson de Salston.*

Johannes Nevill B. Latimer † 1543 ux. 1. *Dorothea, Georgii Veref.* 2. *Catharina, Thomæ Parr de Kendall f.*	Wilhelmus Nevill.	Thomas Nevill.	Marmadukus Nevill	Georgius Nevill,	Christophorus Nevill.	Margarita,	Dorothea.	Jana. Susanna. Catharina. Elisabetha uxor *Eduardi Willoughby de Broke.*

2. Johannes Nevill Baro Latimer † 22. Apr. 1577. æt. 61. Margarita.
Lucia, Henrici Somerset. C. Wigorn. f. † 23. *Febr.* 1582.

Catharina nup. *Henrico Percy C. Northumbr.*	Dorothea ux. *Thomæ Cecill C. Exon.* † 22. Maji 1608.	Lucia nup. *Wilhelmo Cornvvallis de Brome.*	N. nup. *Johanni Davers.*

Henricus Nevill B. Abergavenny † . . . 1. *Maria, Thomæ Sackvile C. Dorset f.* 2. *Cathar. Eduardi B. Vaux de Harovvden f.*	Eduardus Nevill † cœlebs.	Christophorus Nevill. *Maria Darcie de Tolston.*	Johannes Nevill.	Thomas Nevill.	Carolus Nevill.

1. Thomas Nevill † ante patrem improlis. *Elisabetha Mordant.*	Cecilia nup. *Wilhelmo Coninsby de Hamptoncourt.*	Elisabetha, † innup.	Maria *Abbat.* de Pontoise in Gallia.	Anna † innup.	Catharina uxor 1. *Roberti Hovvard* 2. *Roberti Berry.*

SCHEMA II.

MOUNTAGUE, BARONES LATIMER ET ABERGAVENNY.

JOHANNA BEAUFORT, *quæ secunda illi uxor fuit.* Vid. Tab. præcedentem.

- Cecilia ux. *Richardi Plantagenetæ D. Eboraci† 31. Maji 1495.*
- Georgius Nevill B. LATIMER† 30. Dec. 1469. *Elisabetha, Richardi Beauchamp C. Warvvici f.* ☾
- Eduardus Nevill B. ABERGAVENNY† 18. Oct. 1476 1. *Elisabetha, Richardi Beauchamp C. Wigorn. f.* 2. *Cathar. Roberti Hovvard f.* ⊙
- Robertus Nevill. *Episcop. Dunelmensis.*
- Cuthbertus Nevill im-
- Henricus Nevill. pro-
- Thomas Nevill. les.

- Eleonora ux. *Thomæ Stanley Com. Darbiæ.* ♂
- Catharina nup. *Wilhelmo Bonvile.* 2. *Wilhelmo B. Hastings.*
- Margarita nup. *Joh. Vere C. Oxon.*
- Johanna nupta *Eduar. de Bedborving.*
- * Elisabetha ux. *Richardi Strangvvays.*
- Alicia nup. *Joh. Conyers.*
- Henricus Nevill occ. in pr. Banbur. 1468. N. *Bourchier, Joh. B. Berners fil.* ☽
- Richard. Nevill † ante patrē.
- Georgius Nevill B. Abergavenny † 1491. *Elisabetha.* ⊙

- Richardus Nevill B. Latimer† 1530 *Anna, Humphredi Stafford de Grafton f.* ☽
- Thomas Nevill.
- Georgius Nevill II. B. Abergavenny *Eq. Per.* † 1535. 1. *Johanna, Thomæ Fitz-Alan Com. Arundel fil.* 2. *Maria, Eduardi Stafford D. Bucking. f.*
- Wilhelmus Nevill.
- Eduard[illegible] vill.
- Thomas Nevill.
- Richardus Nevill.
- Johanna nup. *Henrico Pole B. Montacute.*
- Elisabetha ux. *Eduardi Berkley.*

- 1. Elisabetha nup. *Henrico B. d'Aubeny.*
- 2. Henricus Nevill B. Abergavenny † 20. Febr. 1587. *Francisca, Thomæ Manners C. Rutland. f.*
- Eduardus Nevill. *Eleonora, Andreæ B. Windsor f.*
- Catharina nup. *Joh. S. Leger.*
- Margarita ux. *Joh. Cheney.*
- Dorothea nup. *Will. Broke.*
- Jana ux. *Henrici Pool.*
- Ursula ux. *Wilhelmi S. Leger.*

- Maria Baronissa Despenser cr. 1604. nup. *Thomæ Fane.*
- Eduardus Nevill B. Abergavenny † 158 . . *Catharina, Johannis Brome de Hatton f.*

- Eduardus Nevill III. B. Abergavenny † 1. Dec. 1622. *Rachel Joh. Leonard de Knoe f.*
- Franciscus Nevill.
- Georgius Nevill.
- Henricus Nevill.

- Elisabetha nup. *Johanni Grey* 2. *Joh. Bingley.*
- Maria, ux. *Georgii B. Goring C. de Norvvich.*
- Catharina nup. *Stephano Lesieur de Chesvvike.*
- Francisca.
- Margarita.

- 2. Johannes Nevill Baro Abergavenny† 12. Dec. 1660. *Elisabetha, Wilhelmi Chamberlaine de Sherburne f.*
- Georgius Nevill B. Abergavenny † m. Jun. 1666. *Maria, Henrici Gifford D. Medic. f.*
- Francisca.
- Elisabetha nup. *Thomæ Stonore.*

Georgius Nevill IV. Baro Abergavenny n. m. April. 1665. *Honora . . . .*

maximus RADULPHUS jure hæreditario, huic proximus THOMAS uxorio, tertius JOHANNES ex alio toro genitus materno. Hic quoniam prole carebat, curavit, ut se mortuo honos Baronis *Latimer*, cum regiuncula à matre accepta ad fratrem natu maximum devolveretur; iste autem titulum Baronis *Furnivall* ad generum *Johannem Talbotum* transmisit.

RADULPHUS *Nevillus* ad altiorem gradum provehi meruit, *Comes Westmorlandiæ* à R. Richardo II. anno regni ejus XXII. creatus, prætereaque munere Comestabilis arcis Londinensis ab ipso auctus, & in Sanctiorem Senatum adscitus; nec tamen in fide & obsequio bene de se meriti heri permansit, sed simul ac Henricus Lancastrius in Angliam cum armata manu ac infesto erga Regem animo venisset, ad ejus partes protinus se convertit, utque regnum à Richardo ad illum transferretur operam strenue contulit, cujus studii præmium *Richmondiæ* Comitatum & *Comitis Marescalli* Angliæ titulum ad dies vitæ accepit; eam vero usque ad regnum Henrici VI. prorogavit, demumque senecta ætate decessit, multorum liberorum, quos è duplici toro suscepit, & honoribus titulisque amplificatos vidit, pater. Filiorum natu maximus JOHANNES fatum genitoris antevertit, hinc nepos ejus RADULPHUS in honorem Comitis Westmorlandiæ successit, qui pari cum avo sorte, & turbato mortalitatis ordine gnatum unicum JOHANNEM extulit, eaque propter fratris sui, in prælio Toutonensi, cum pro Lancastrensium partibus dimicaret, cæsi, *filium* sibi *cognominem*, & è nuru sua natum, hæredem habuit. Huic iterum nepos è nato ipsi præmortuo successit, nempe RADULPHUS, *Quartus Westmorlandiæ Comes*; is pater fuit HENRICI, *Quinti Westmorlandiæ Comitis*, quo natus CAROLUS id honoris postremus è gente sua gessit, & inglorie, antequam naturæ concederet, amisit: regnante enim Elisabetha cum consiliorum Ducis Norfolciæ de ducenda Maria Scotorum Regina particeps fuisset, atque accepta delicti hujus venia, novam cum Northumbriæ Comite conspirationem iniisset, & denique a. 1569. præter fidem Sussexio Septentrionalis Plagæ Præsidi datam in apertam rebellionem proruisset, proditor patriæ voce præconis una [illegible] complicibus declaratus, moxque Sussexio signa movente trepida fuga in Scotiam se subducere coactus est, ubi latebras apud Carrum Fernihurstium Buckluium invenit, tandem vero in Belgium cum aliis Anglis elapsus, ibidem exili ab Hispano pensione vitam satis inopem ad senectutum traxit, & denique in misero exilio obscure finivit. (a)

Inter filios, quos Radulphus Nevillus, primus Westmorlandiæ Comes è secunda uxore, Johanna Bellofortia, R. Henrici IV. sorore consanguinea genuit, ætate & honore antecedebat RICHARDUS: hic post soceri sui *Thomæ de Montacute* mortem titulum *Comitis Sarisburiæ*, quem ille gesserat, sibi sumsit, utque is sibi corroboraretur à Rege Henrico VI. cui sanguine junctus erat, facile impetravit, ejusque auspiciis munere Custodis limitum occiduorum plus simplici vice sibi demandato, egregie functus est. Turbis deinde intestinis à Richardo Duce Eboracensi, qui Bellofortiorum, imprimis Ducis Somersettiæ præpotentiam obtentui sumebat, excitatis, ad illius utpote sororii sui partes se applicuit, atque arma adversus Regem tulit, victoriæ, quam Eboracenses apud Albani fanum de regiis anno 1455. reportarunt, magna pars. Captus post idem prælium Rex, cum ex victorum voluntate cuncta se acturum promisisset, Londinum cum Duce Eboracensi, Sarisburiæ Comes venit, eodemque die, quo ille Protector Regis salutatus est, ipse *Cancellarius Angliæ* creatus fuit: Postquam autem brevi dissidia recruduissent, arma iterum corripuit atque anno 1458. Jacobum Tuchetum Audlæum à Regina cum copiis sibi objectum fudit ac fugavit, denique vero versa belli alea in Wakefeldensi prælio, quo extrema anni 1460. die commisso Eboracenses magna clade affecti sunt, captus, & sine mora capite plexus, idque lancea fixum Eboracum delatum fuit. Filiorum ejus natu maximus RICHARDUS II. *Comes Warvvici* post affinis sui *Henrici Beauchamp* decessum à R. Henrico VI. creatus, belli civilis, de quo dictum jam est, maximum momentum extitit, & quoniam ad exautorandos non secus ac instituendos Reges Henricum VI. & Eduardum IV. autoritatis ac ponderis plurimum attulit, cognomentum *Makeking*, quasi dicas *Regificem* nactus est: nimirum ex quo ad exemplum genitoris sui factioni Ducis Eboracensis se adjunxit, omnibus magnis eventis ac periculis immixtus fuit; victoriæ apud Albani fanum præcipuam gloriam retulit; deinde in transactione Londinensi, qua parentem ejus supremum togæ munus accepisse diximus, Caleti præfectura auctus, insigni hoc & probe munito oppido ad restaurandas partium suarum res usus est, maxime cum redintegrato bello ex levi occasione litis, quæ inter ipsum & Regis famulos forte in regia orta, & ob quam Regina manum ei injicere conata erat, plerique datam à Rege impunitatem amplexi ab Eboracensi defecissent, adeo ut is derelictus fuga salutem quærere coactus esset; tunc enim Warwicensis

(a) *Camden. Annal. Elis. p. 170. & 190.*

censis Caleti possessionem sibi firmavit, & repulso Duce Somersettensi, qui præfecturæ huic intercessione Reginæ ei demandatæ se inferre nitebatur, Ducem Eboracensem ex Hibernia, quo se receperat, illuc deduxit, deinde cum classem regiam ejusque moderatorem Simonem Montfortium, nec non oppidum Sandevicum intercepisset, & magna nobilium & gregariorum manu auctus esset, signa cum Regis exercitu apud Northamtoniam contulit, & memorabili iterum victoria potitus est, denique post Toutonensem pugnam, qua iterum virtus ejus enituit, regnum Eduardo Eboracensi Richardi filio paravit. Abalienato autem deinde ipsius animo ob nuptias, quas Eduardus cum Elisabetha Widevilia contraxit, incommodare illi, regnumque auferre summa vicissim ope nisus, neque successu frustratus est, pulso Eduardo, & Henrico in regnum restituto; quod tamen è vindicta captum gaudium parum ei diuturnum fuit; cum enim intra vertentem annum Eduardus novis instructus copiis rediisset, atque apud Barnetum pugnandi copiam adversariis fecisset, Warwicensis post acre & pertinax certamen cæsus victoriam illi reliquit. Eodem in prælio frater etiam ejus JOHANNES mortem oppetiit: hunc Eduardus regno potitus *Comitem Northumbriæ* creavit, cum hoc titulo Henricum Percium, qui Lancastrensium partes sequebatur, exuisset, aliquot autem post annos, illo honore pristinis dominiis restituto, *Marchionis Mountague* axiomate ornavit, filioque ejus GEORGIO *Bedfordiæ Ducis* titulum contulit, & gnatam suam *Elisabetham* despondit, is vero perfidiam & defectionem genitoris luit, omnibusque honoribus mulctatus vitam in privato lare exegit. *(a)*

WILHELMUS NEVILL Radulphi primi Westmoriæ Comitis filius secundo genitus, *Baro Fauconberg* sive *Fauconbridge* jure uxorio dictus, Regi Henrico VI. strenuam in bello Gallico operam navasse, atque inprimis in obsidione Aurelianensi eximia fortitudinis documenta edidisse prædicatur. Eboracensium deinde partes una cum fratre majore natu amplexus Toutonensis victoriæ haud minima pars fuit, & hujus operæ præmium honores *Comitis Cantii* & Supremi Angliæ Admiralis, à R. Eduardo IV. tulit. Quo fato functus sit, non reperio: liberos legitimos sequioris tantum sexus post se reliquit; marem vero è concubina susceptum *Thomam Fauconberg* dictum, hominem *Polydori Virgilii (b)* verbis *summa audacia & factiosum*: is à Warwicensi Comite mari præfectus, postquam diu piraticam exercuisset, tandemque exscensionem in Cantio facere & Londinum usque prædas agere ausus esset, postremum captus & securi percussus est.

GEORGIUS NEVILL Comitis Westmorlandiæ primi filius tertio genitus, cum fundis Latimerensibus, in Eboracensi Comitatu sitis, atque ad patruum ejus *Johannem* jure materno, ceu paulo ante dictum est, devolutis, eo vero sine liberis mortuo genitori suo collatis, hoc procurante investitus fuisset, *Baro Latimer* appellari cœpit, hocque nomine ad Parlamentum anno X. regni Henrici VI. evocatus est: is honos in progenie ejus perseveravit usque ad JOHANNEM II. qui regnante Elisabetha extinctus, nulla prole mascula suscepta, opimam hæreditatem quatuor filiabus reliquit *(c)*: earum natu minima *Elisabetha*, Johanni *Danvers* nupta pronepotem habuit *Thomam Osburne*, cujus gratia Latimerensis titulus nostra demum ætate resuscitatus est, quemadmodum *superius (d)* memoravimus.

Abergavenna denique, à qua quartus sæpe dicti Comitis Westmorlandiæ filius, EDUARDUS NEVILL titulum accepit, & ad posteros transmisit, Monomuthiæ, quæ Walliæ sive Cambriæ partem constituit, oppidum est muris & castro munitum, atque ad *Isca* & *Geveny* confluentes situm, unde priscum *Gobannii* nomen, nec non hodiernum illo significantius indiruta ei fuisse *Camdenus (e)* tradit, primum ejus dominum *Hamelinum Balun* appellans, qui sobole destitutus *Brienum VVallengfordensem*, sive *Brientium de Insula, Filium Comitis* dictum, hæredem scripserit. Ab hoc leprosos habente liberos *Milonem Herefordiæ Comitem* in partem hæreditatis vocatum fuisse ait, perque hujus filiam ad *Breosos* & ab illis connubii jure ad *Cantelupos* & *Hastingios* devenisse.

Johannes Hastingus autem Abergavennam *VVilhelmo Beauchamp* affini suo donavit, à quo ad *Richardum Beauchamp* illius filium, eundemque Wigorniæ Comitem, & porro hujus cum gnata ad *Eduardum Nevillum* transiit, quem in comitiis anno XXIX. regni Henrici VI. habitis, honore *Baronis Abergavenna* affectum fuisse reperimus. Successit ei filius natu minor GEORGIUS NEVILL, majore præmatura morte abrepto; ille *gnatum Cognominem* hæredem habuit, qui R. Henrico VII. in bello adversus Cornubienses strenuam operam, *Polydoro Vergilio (f)* referente, navavit, cumque deinde in suspicionem, ac si Edmundi de la Pole Comitis Lincolniæ consiliorum consors esset, cecidisset, propterea que in vincula conjectus fuisset, insons mox repertus, in gratiam multo majorem cum illo rediit. Pari sorte sub Henrico VIII. usus esse memoratur: secundo enim regni ejus anno muneribus Comestabilis Dovercensis nec non Custodis

(a) *Dugdal. I. p. 302. & seqq.* (b) *Lib. XXIV. p. 530.* (c) *Camden. Annal. Elis. p. 286.* (d) *Cap. LXVII.*
(e) *Descr. Brit. p. 509.* (f) *Lib. XXVI. p. 601. & 614.*

Custodis quinque Portuum honestatus, non caruit postea suspicione conspirationis cum socero suo Buckingamiæ Duce, perduellionis postulato, & claudi carcere jussus, sed brevi liberatus & in majori dignatione habitus est. Pater idem fuit HENRICI, qui regnante Elisabetha è vita emigravit, unica filia MARIA, post se relicta, *Thomæ Fano* Equiti aurato nuptui data. Hæc eodem jure, quo abavus ejus titulum dominiumque Abergavennense obtinuerat, honorem Baronissæ Abergavennæ vendicavit, unde lis orta est memorabilis inter ipsam & EDUARDUM NEVILLUM proximum hæredem masculum, cui testamento, eodemque autoritate Parlamentaria confirmato, castrum Abergavennæ legatum erat; (a) ea anno demum 1604. Jacobo regnum tenente coram primatibus per integros septem dies summa contentione ventilata, & in *Eduardi Nevilli* favorem decisa, isque *Baro Abergavenna* salutatus & sollemni more à duobus Baronibus in Parlamentum introductus, *Maria* vero *Baronissa Despenser* creata fuit: Illius abnepos est GEORGIUS IV. qui honore illo in præsentia fruitur.

Insignia Nevillanæ familiæ *decussim argenteum in campo rubeo* repræsentant: ea Comites Sarisburiæ & Warwvici nec non Marchio Mountague *lambella trifida & tessellis variegata* distinxerunt; Wilhelmus Comes Cantii *stella nigra cordi decussis imposita* discerniculi loco usus est; istam Barones Latimer cum *annulo ejusdem coloris* commutarunt; Abergavennæ autem Barones *rosam rubeam decussi impressam* hodieque gerunt. Apicem *tauro argenteo* exornare consveverunt, quod animalis genus etiam telamonum vice adhibent.

CAPUT LXXXIII.

DE BARONIBUS AUDLEY ET FAMILIA TUCHETENSI.



Ecundum inter Barones Angliæ locum nunc tenet MERVINUS TUCHET *Baro Audley*, idemque *Comes de Castle-haven* in Hibernia. Genus ejus, referente *Dugdalio* (b) in *Wilhelmo Tuchet* illustrari cœpit, quippe qui Regi Eduardo I. in Gallicis Scoticisque bellis militavit, & fortitudine sua eum alios honores tum locum inter Pares regni promeruit: ei coævus atque agnatus fuit *Thomas Tuchet*, à quo continuam stemmatis seriem, sed uxorum nominibus magna ex parte carentem, dictus autor deduxit. Hujus *nepos cognominis* cum *Johannam*, Nicolai Baronis *Audley de Heleigh* gnatam, in matrimonium duxisset, nepoti suo JOHANNI luculentam conciliavit hæreditatem: is enim Nicolao Barone *Audley* avunculo ipsius magno, sine mascula prole defuncto, præcipuus ejus hæres repertus, eoque nomine cum opibus, tum imprimis titulo *Baronis Audley* auctus est: idem de R. Henrico IV. in defensione castri ac dominii Breghnocensis in Cambria adversus Ovvenum Glendour, qui rebellionem fecerat, bene meritus esse celebratur. Fato suo functus filium post se reliquit JACOBUM, qui sub auspiciis Regum Henricorum V. & VI. in bello Gallico stipendia fecit, & pro posteriore etiam in civili adversus Eboracenses pugnavit, donec in conflictu cum Richardo Nevillo Comite Sarisburiæ, cui viam in Salopiensi Comitatu intercludere jussus erat, vitam cum sanguine profunderet. (c) Hoc natus JOHANNES III. postquam in Galliam trajecturus Caleti ab Eboracensibus interceptus esset, ad partes eorum descivit, atque exinde Regi Eduardo IV. fidem ac fortitudinem suam adeo probavit, ut benevolentia ejus pariter ac munificentia affatim frueretur. JACOBUS TUCHETUS II. ejus filius famæ gentis suæ labem adspersit, cum pro turbido, quo erat, ingenio, ducem se præbuisset Cornubiensibus, qui adversus Regem Henricum VII. ob imperatam ad bellum Scoticum pecuniam, rebellionem fecerant; profligato enim & prope ad internecionem cæso grege seditiosorum in pugna cum regiis ad collem *Black-heath* prope Londinum d. 22. Jun. 1497. commissa, ille captus & quartum post diem in aream Turris Londinensis ductus, in tunica papyracea insignibus suis depicta; insignibus autem reversis & Tunica lacerata, ibique decapitatus est. (d)

GEORGIUS TUCHETUS hujus nominis secundus *Baro Audley*, gloria militari illustris fuit, enituitque ejus fortitudo in prælio Kinsaliano, quo Hiberni rebelles eorumque adjutores Hispani anno 1601. prope ad internecionem cæsi sunt. Eum Rex Jacobus in Comitum regni Hibernici Ordinem provexit & *Comitem de Castle-haven* creavit. Pater fuit MERVINI, qui atrocium & fœdorum criminum postulatus & reus actus capitale supplicium anno septimo regni

(a) *Camden. Annal. Elis. p. 512.* (b) *Baron. II. 28.* (c) *Polyd. Verg. Lib. XXIII. p. 507.* (d) *Ibid. L. XXVI. p. 599. & seq. Verulam. Hist. Henr. VII. p. 1080.*

regni Caroli I. subiit: filius tamen ejus natu maximus JACOBUS duodecimum post annum in honores avitos per diploma dicti Regis restitutus est. Is cum anno 1682. Historiam ultimorum Hiberniæ bellorum literis commendasset, & publici juris fecisset, neque satis ad ingenium aulæ calamum temperasset, die ei dicta, scriptum rigoroso examini subjectum, & instar seditiosi pleniquę injuriarum adversus Regem Carolum II. ejusque parentem Carolum I. prohibitum ac damnatum fuisse fama ad nos pertulit. Mortuo sine liberis frater MERVINUS successit.

Scutum, quo Barones *Audley* utuntur, *quadripartitum* est, cujus prima & ultima quadra *vellere maris Armenici farta cantherium rubeum*, secunda vero & tertia *rubea clathros aureos* repræsentant: prius *Tuchetensis* familiæ, posterius veteris *Audleianæ* gentis digma est. In apice clypei *caput virile collotenus* conspicitur *barbatum, crinitum & fascia candida redimitum*. Atlantum vicem utrinque *serpens alatus niger* implet.

Tab. CXI.

SCHEMA FAMILIÆ TUCHETENSIS,

BARONUM AUDLEY, COMITUM DE CASTELHAVEN.

THOMAS TUCHET, Roberti F. Thomæ N.
Johanna, Nicolai B. Audley de Heleigh fil.

Johannes Tuchet.

Johannes Tuchet II. Baro Audley † 19. Dec. 1408.

Jacobus Tuchet B. Audley occ. in pr. ap. Blore-heath 1459.
Eleonora, Edmundi Holland C. Cantii filia notha è Constantia de Torck.

Johannes Tuchet III. B. Audley † 26. Sept. 1491.
Margarita ux. *Richardi Gray de Powys.*

Jacobus Tuchet II. B. Audley *decoll.* 28. Jun. 1497.
Johanna, Fulconis Bourchier, B. Fitz-Warine f.

Johannes Tuchet IV. B. Audley. *Maria, Richardi Gryffyn de Braybroke f.*

Jacobus Tuchet II. B. Audley. *Margarita Richardi Darrel. Eq. f.*

Georgius Tuchet B. Audley. *Elisabetha Bryani Tuke f.*

Henricus Tuchet B. Audley. *Elisabetha, Wilhelmi Snede de Bradwall f.*

Georgius Tuchet II. B. Audley COMES de Castle-haven in Hibern. cr. 1616. *Lucia Jacobi Mervyn de Funtell f.*	Jacobus Tuchet.	Anna nup. *Thomæ Brooke de Norton.*	Elisabetha.

Mervinus Tuchet B. Audley, C. de Castle-haven, *decoll.* m. Majo 1631. Ux. 1. *Elisabetha, Benedicti Barnham f.* 2. *Anna Ferdinandi Stanley C. Darb. f.*	Ferdinandus Tuchet Eq. Balnei, cr. 1608.	Elisabetha nup. 1. *Joh. Stowel de Rotherston* 2. *Thomæ Griffin de Dingley.*	Eleonora nup. 1. *Joh. Davis*, 2. *Archibaldo Douglas.*	Anna nup. *Eduardo Blount de Arleston.*	Maria ux. *Thomæ Thyn de Long-Lete.*	Christiana nup. *Henrico Mervyn.*

1. Jacobus Tuchet IV. B. Audley C. de Castle-haven † 168. *Elisabetha, Greji Bruges, B. Chandos f.*	Georgius Tuchet. *Monachus Ordin. Benedict.*	Lucia nup. 1. *Joh. Antell.* 2. *Geraldo Fitz-Maurice.*	Dorothea, ux. *Edmundi Vicec. Mountgaret.*	Francisca nup. *Richardo Butler.*	Mervinus Tuchet B. Audley C. de Castle-haven. *Maria Talbot, Joh. C. Salop. f. Caroli Arundel vid.*

Warre anno 1426. fine prole mortui id nominis assumsit; subque eo ad Parlamenta evocari cœpit. Hoc satus RICHARDUS WEST *Baro la VVarre* Lancastricæ domui ea fide & constantia adhæsit, ut postquam Eboracenses superiores evasissent, mallet Anglia excedere, quam contra illam arma ferre. Pari affectu filius ejus THOMAS IV. Regi Henrico VII. utpote à Lancastrensibus orto, inserviit, in pretio non tantum ab eo habitus, sed etiam possessionibus amplissimis auctus. *(a)* Quæ amplius de hac familia referri possunt, Camdeni verbis expediam; *Anno 1597. ad Parlamentum* (inquit ille in Annalibus Elisabethæ *(b)*) THOMAS (is sextus hujus nominis erat) *Baro La-vvarus*, WILHELMO *patre defuncto, vocatus, Reginæ petitionem exhibuit, ut in antiquum & avitum Baronum La-VVare locum restitueretur. Pater enim, quia patruo Baroni La-VVare* (nempe THOMÆ) *cujus hæreditati inhiavit, venenum pararat, judicio Parlamentario, regnante Eduardo VI. omni hæreditate & honore, quæ à patruo obvenire poterant, exclusus erat. Idem regnante Maria læsæ Majestatis damnatus ac postea in integrum, perinde ac si damnatus non fuisset, restitutus. Verum cum illi ex priori judicio avito honore gaudere non liceret, R. Elisabethæ gratia codicillis honorariis de novo Baro La-Warre creatus fuit, locumque pro Creationis tempore, dum vixit, capessivit. Illa rem ad Proceres in Parlamento retulit: qui cum comperissent, judicium illud personale fuisse in Gulielmum, nec liberos eodem teneri: & proscriptionem Mariæ regnante nihil obstare, cum ille eo tempore dignitatem, quam non habuit, amittere non potuerit, & mox in integrum restitutus fuerit, nec antiquam dignitatem nova creatione fuisse extinctam, sed illo superstite quasi consopitam jacuisse, cum Creationis tempore in illo non inesset: locum ei avitum adjudicarunt inter Barones Willoughbejum de Eresby & Berclejum* (qui nunc inter Comites numerantur) *in quo rite locatus.*

Insignia Baronum La-Warre *fasciam undatam nigram in campo argenteo* exhibent. Galeæ impositum est *caput aquilinum cæruleum rostro & auribus aureis cum collo quod corona aurea ambit.* Sustinent clypeum à dextro latere *animal cani simile, sed dentibus prominentibus armatum, & anteriore corporis parte nigrum, posteriore album milloque aureo cinctum*, à sinistro vero *draco versicolor.*

CAPUT LXXXV.

DE BARONIBUS MORLEY ET MONTEGLE, FAMILIISQUE MORLENSI ET PARKERENSI.



THOMAS PARKER *Baro Morley & Baro Montegle* La Warrum excipit. Morleiensis titulus à veteri familia, *Morle* dicta, originem traxit; eam WILHELMUS MORLE regnante Eduardo I. illustravit, qui inter Pares ad Parlamenta ab anno regni illius XXVIII. usque ad annum XXXIV. evocatos enumeratur & genitor fuit ROBERTI Morle, Præfecti navium Anglicarum sub Rege Eduardo III. hocque munere præclarissime functi, in summam Anglicæ gentis gloriam & ingens hostium que ejus, imprimis Gallorum detrimentum: istos etenim plus simplici vice maxime vero memorabili illi prælio apud Slusas ipso Paschatis festo anni 1340. commisso vicit & profligavit. Eidem jure uxorio officium *Marescalli Hiberniæ* obtigit, quod posteris ejus proprium ac perpetuum fuit, usque ad *Robertum* secundum hujus nominis *Baronem Morle*, primi atnepotem, in quo mascula gentis hujus stirps exaruit, unicam enim tantum gnatam ille post se reliquit ALIENORAM, *Wilhelmo* Baroni *Lovel de Tichmersh*, veteris prosapiæ & multarum imaginum viro, nuptui locatam: is proin de Baronis Morley titulum gessit, eumque mortuus ad filium *Henricum* transmisit, cujus in Belgio, cum inter auxiliares copias Imp. Maximiliano à R. Henrico VII. transmissas militaret, occisi hæreditatem soror *Alicia* crevit, eundemque honorem marito suo WILHELMO PARKERO attulit. *(c)*

Primus, qui è Parkerorum familia in Baronis loco habitus & sub titulo *Lord Morley* ad comitia evocatus esse reperitur, HENRICUS fuit *Wilhelmi Parkeri* & *Aliciæ Lovellæ* filius, quippe qui epistolæ sive Declarationi à Parlamento ad Pontificem Romanum Clementem VII. propter Regis Henrici VIII. divortium anno 1530. missæ inter Pares subscripsit, & triennio abhinc cum Barone Dacres de Gillesland de proëdria disceptavit superiorque discessit. Pronepos ejus EDUARDUS *Parker* cum uxore sua *Elisabetha Stanlea* jus in honorem Baronis *Montegle* nactus est, quem etiam filius ex hoc matrimonio natus WILHELMUS II. sibi vindicavit, & cum avito conjunxit. Hic erat, ad quem literæ illæ scriptæ ac perlatæ sunt, quibus famosa & horrenda conjuratio pulveraria adversus R. Jacobum totamque ejus familiam anno seculi hujus quinto inita, detecta fuit; earum contenta ita *Thuanus (d)* recensuit: *Amicitia, quæ mihi*

Xx 2 *cum*

(a) Dugdal. Baron. II. 139. (b) pag. 700. (c) Dugdal. Baron. II. 26. & III. 307. (d) Hist. Lib. 135.

SCHEMA BARONUM DE MORLEY ET MONTEGLE.

ROBERTUS DE MORLE Wilhelmi F. BARO de Morle † 1360.
1. *Havvisia, Wilhelmi le Mareschall fil.* 2. *Johanna* . . . .

Wilhelmus Baro de Morle Marescallus Hiberniæ † 30. Apr. 1380. *Cecilia, Thomæ Baronis Bardolph fil.* — **Robertus de Morle.**

Thomas Baro Morle Maresc. Hib. † 24. Sept. 1416. *Anna, Eduardi Bar. Despenser fil. Hugonis Hastings vid.* — Robertus de Morle

Robertus Morle Eques † ante patrem. *Isabella, Wilhelmi B. Molines f.* — Thomas de Morle.

Thomas II. B. Morle Maresc. Hib. 1435. *Isabella, Michaelis dela Pole C. Suff. f.* — Margarita ux. *Galfridi Radcliff.*

Robertus III. B. Morle † 1443. *Elisabetha, Wilhelmi Bar. Roos f.*

Alienora Domina de Morle nup. *Wilhelmo Lovel* † 26. Jul. 1476. illa 10. Aug. ejusdem anni.

Henricus Lovel Baro de Morle occ. ap. Dixmevv 1488. — Alicia Lovel fratris hæres nupta WILHELMO PARKER, Equiti.

Henricus Parker Baro de Morley. *Alicia, Joh. St. John de Bletso fil.*

Henricus Parker II. B. de Morley. *Gratia, N. Nevvport f.*

Henricus Parker III. B. de Morley *Elisabetha, Eduardi Stanley C. Darbiæ f.* — Jana, nup. *Georgio Bullen Bar. Rochford.* — N. Uxor *Johannis Shelton.*

Eduardus Parker B. Morley † 1. April. 1618. *Elisabetha, Wilhelmi Stanley B. Montegle fil. & hær.* — Alicia, nup. *Thomæ Barington.* — Maria ux. *Eduardi Leventhorpe.*

Wilhelmus Parker Baro Morley & Montegle † 1. Jul. 1622. *Elisabetha Thomæ Tresham Eq. f.* — Henricus Parker. — Carolus Parker. — Maria nupta *Thomæ Abington de Hinlip.* — Elisabetha ux. *Alexandri Barlevv.* — Francisca nupta *Christophoro Danby de Leighton.*

Henricus Parker IV. B. Morley & Montegle † m. Jun. 1655. *Philippa, Thomæ Carrel de Shipley f.* — Wilhelmus Parker. — Carolus Parker — Francisca *monialis.* — Catharina nupta *Johanni Savage Com. Rivers.* — Elisabetha ux. *Eduardi Cranfeild.*

Thomas Parker Baro Morley & Montegle. *Maria, Henrici Martin de Langvvorth f.*

cum aliquot tuis necessariis intercedit, facit, ut de tua incolumitate sim sollicitus. Monitum proinde te volo quantum vitam tuam diligis, ut excusationem comminiscaris absentiæ ab Ordinum conventu. Deus enim & homines concursu facto ad puniendam hujus seculi impuritatem festinant. Noli hanc monitionem parvi facere, sed discede quam primum in provinciam tuam, ubi rei exitum securus exspectes. Licet enim nulla se motuum indicia præbeant, moneo tamen. Terribilem conventus iste ictum sentiet, nec videbit percutientem. Non est quod spernas hoc indicium: prodesse potest, nocere non potest; quippe præterierit periculum haud ocyus quam literas has exusseris. Spero te Dei beneficio hoc consilio recte usurum, cujus te tutelæ commendo. Has literas cum Baro Montaquilinus Regi exhibuisset neque is indicium negligendum statuisset, sed hæc inprimis epistolæ verba, quæ *terribilem fore ictum, nec visum iri percutientem* dicebant, ruminatus suspicari cœpisset, subitum à pulveris tormentarii ictu exitium iis designari, ea propter curiam & vicina loca diligenter perlustrari curasset, insidiæ manifesto compertæ, ejusque instrumenta, nempe præter ligna & carbones XXXVI. dolia pulvere nitrato repleta in cella subterranea deprehensa sunt, atque adeo hoc conspirationis nefandæ monstrum, quale nulla unquam tellus, nulla ætas aluit, antequam in lucem exiret, ipso partu est suffocatum.

Insignia, quibus Barones *Morley*, è prisca ejusdem nominis familia orti, usi sunt, *leonem nigrum auro coronatum & falculis rubeis armatum in campo argenteo* exhibebant. *Parkerorum* vero *digma* constat *scuto itidem argenteo, sed fasciis duabus nigris distincto, cujus regio superior capita cervina tria nigra, media leonem rubeum gradientem continet.* E galea Parkerensis clypei *caput ursinum capistro aureo vinctum* prospicit, telamonum vero vices implentà dextris *fera*, quam Angli *Antilope* vocant, *capro sylvestri similis, superiore corporis parte nigra, inferiore alba*, à sinistris autem *leo niger auro coronatus*.

CAPUT LXXXVI.

DE BARONIBUS DUDLEY, WARD ET LEXINTON FAMILIAQUE SUTTONIO-DUDLEIANA.



BAronem Morley proxime sequuntur ROBERTUS *Shirley* BARO FERRERS, CAROLUS *Mildmay* BARO FITZ-WALTER, HENRICUS *Telverton* BARO GREY, de quibus singulis occasione superius *(a)* enata, quantum referri potuit, dictum est. Post illos Barones *Dudley* locum obtinebant, quo honore nunc fœmina gaudet, nempe FRANCISCA SUTTON, *Baronissa Dudley, Eduardi Sutton Baronis Dudley* neptis ac hæres unica, eademque HUMILIS BARONIS WARD vidua. Quanta familiæ Dudlejanæ superiore seculo fuerit celebritas, nulli, qui vel primis labiis Anglicam tetigit historiam, ignotum esse potest, neutiquam itaque negligenda visa est hæc opportunitas, vix æque commode reditura, claræ adeo familiæ seriem & res gestas recensendi. Originem ejus quod attinet, gnaviter in ea eruenda atque ab augusto aliquo loco derivanda se occupasse feciales, qui Roberti Dudleji C. Leicestriæ ætate vixerunt, *Dugdalius (b)* refert, quorum tamen plerisque ea denique probata sit, quæ ab HUGONE DE SUTTON dimanat. Is Regi Eduardo I. coævus, avus extitit JOHANNIS *de Sutton*, qui in instrumento matrimoniali, quo *Johannis de Somerie, Baronis de Dudley* sororem & cohæredem *Margaritam* in uxorem duxit, quodque anno regni Eduardi II. decimo & sexto scriptum fuit, semet *Dominum de Shokelache & de Malo-passu* nominavit, & in sigillo *cruce florida* usus est, pater JOHANNIS Baronis *de Dudley*, de quo etiam tabula donationem inter vivos continens, à dicto autore recensita, superest, *leonibus duobus gradientibus* in honorem matris ab illo adscitis, signata. Ejusdem *pronepos cognominis* multis magnisque de Regibus Henricis V. & VI. insignis, à posteriore ad Parlamentum anno XVIII. regni ipsius indictum, vocatus, diversis sagi ac togæ muniis admotus, & denique Ordinis *Georgiani* insignibus decoratus est; & licet à Lancastrensium partibus constanti fide perstiterit; Eduardo tamen Eboracensi, postquam is rerum potitus est, ob integritatem ac assiduitatem in pretio fuit. Ab ejus filiis EDMUNDO & JOHANNE, lineæ duæ ortæ sunt, quarum prior *Suttonense* cognomentum retinuit, altera solo *Dudleiano* usa est. Ex illa EDUARDUS *Edmundi* N. in catalogis Submonitionum ad Parlamenta inde ab anno septimo R. Henrici VII. usque ad vigesimum primum R. Henrici VIII. legitur, ab hoc Rege initio statim regni ipsius inter Equites *aureæ Periscelidis* allectus. Ejus gnatus JOHANNES, hujus nominis VIII. cum mente parum esset validus, inepta œconomia ad inopiam delapsus

(a) Cap 76. Tab. 105. Cap. 68. Tab. 95. & Cap. 12. Tab. 47. (b) Baronag. P. II. pag. 214.

SCHEMA FAMILIÆ
BARONES DE DUDLEY, COMITES DE WARWYCK
HUGO DE SUTTON.

Richardus de Sutton.

Johannes de Sutton. - *Margarita Rogeri*

Johannes de Sutton II. BARO DE DUDLEY † a. *1359.*

Johannes de Sutton III.

Johannes de Sutton IV.

Johannes de Sutton V. B. de Dudley *Eques Perifcel.*

Edmundus Sutton de Dudley † ante patrem. Ux. 1. *Joicia Joh. Tiptoft C. de Worchester for. & cohar.* 2. *Mathilda Thomæ B. Clifford f.* — Margarita nup. *Georgio Longvile de Little-Billing.*

1. Johannes de Sutton IV. B. de Dudley † 1487. *Cæcilia, VVilhelmi Wiloughby Eq. f.* — Arturus de Sutton. — Godofredus de Sutton. — Thomas de Sutton. — Georgius de Sutton. — Eleonora nup. *Carolo Somerset C. VVigorn.*

Eduardus de Sutton, B. de Dudley *Eques Perisc.* † 1529. Ux. . . . . — N. nupta *VVilhelmo B. Stourton.*

Johannes de Sutton VII. B. de Dudley; *Cæcilia Grey, Thomæ M. Dorset f.* — Henricus Dudley † in obsid. Boloniæ. — Johannes Dudley C. Warvvic. *Eq. Perisc.* † improlis. *Anna Seymour, Eduardi D. Somerset f.* — Ambrosius Dudley B. L'Isle C. Warvvic: *Eq. Per.* † 21. Febr. 1589. Ux. 1. *Anna VVilhelmi VVhorvvood f.* 2. *Elisabetha Gilberti Failbois f.* 3. *Anna Russel, Francisci C. Bedf. f.* — Maria nup. *Henrico Sidney.*

Eduardus de Sutton II. Baro de Dudley † . . . . 1. *Catharina Brugges, Johannis B. Chandoys de Sudeley f.* 2. *Johanna Stanley Eduardi C. Derbiæ f.* 3. *Maria Hovvard VVilhelmi B. Effingham f.*

1. Anna nup. *Thomæ VVilmer.* — 2. Eduardus de Sutton III. de Dudley † 23. Jun. 1643. *Theodosia, Jacobi Harington Eq. f.* — Johannes de Sutton.

Ferdinandus de Sutton Dudley Eq. Baln. † 22. Nov. 1621. *Honora, Eduardi B. Beauchamp. f.* — Maria nup. *Jacobo C. de Hume in Scot.* — Anna ux. *Joh. Mainardi de Schonberg Equitis Rhenani in Germania.* — Margarita nup. *Milesio Hobart Eq. Baln.*

Francisca Baronissa Dudley nupta *Humili* B. WARD.
Vid. Tab. seq. B.

FRIDERICUS DUX DE SCHONBERG
Vid. Tab. seq. A.

SUTTONICO-DUDLEJANÆ.

LEYCESTER, DUCES DE NORTHUMBERLAND.

Ux. *Elisabetha, Wilhelmi Patric, Condom. de Malpas f. & hær.*

Ux. *Isabella Roderici Gryffini neptis.*

de Somerie Baronis de Dudley soror & cohær.

Ux. *Isabella, Johannis de Cherleton B. de Povvys f.*

Baro de Dudley.

Ux. *Johanna de Clinton, Joh. de Montford vid.*

Ux. *Elisabetha, Joh. Berkley de Beverstan f. Eduardi Cherleton B. Povvys vid.*

Johannes Sutton de Dudley. *Elisabetha, Johannis Bramshot B. de Gatton f. & cohær.* | Wilhelmus Sutton *Episc.* Durham. † circa a. 1482.

2. Thomas maritus *filiæ Lanceloti Threlkeld.* | Richardus Clericus. | Joicia nupta *Wilh. Middleton.* | Margarita ux. *Eduardi B. Powys.* | Alicia ux. *Joh. Radcliffe de Orsdale.* | Dorothea. nup. *Joh. Musgrave* | Edmundus Dudley, Vicec. L'Isle *decoll.* 28. Aug. 1510. *Elisabetha, Eduardi Grey, Vicec. l'Isle f. & coh.*

Johannes Dudley Vicec. L'Isle COMES DE WARWYCK DUX de NORTHUMBERLAND, C. Maresc. *Eq. Per. decoll.* 22. Aug. 1553. *Johanna, Eduardi Guilford f. ac h.* † 22. *Jan.* 1555. | Andreas Dudley *Eq. Perisc.* | Hieronymus Dudley.

Guilford Dudley *decoll.* 1553. *Johanna Grey Henrici D. Suffolc. f. decoll.* 1553. | Robertus Dudley B. de DENBIGH C. LEICESTRIÆ *Eq. Per.* † 4. Sept. 1588. ux. 1. *Anna Joh. Robsart f. a. Duglassia Howard, Wilhelmi B. d' Effingham f. Joh. B. Sheffeild vid.* 3. *Lætitia Francisci Knolles f. Walteri d' Evereux C. Essex. vid.* 1576. | Henricus Dudley occ. in pr. San-Quintin 1557. *Margarita, Thomæ B. Audley de Walden f.* | Carolus † inf. | Cathar. nup. *Henr Hastings C. Huntingdon* | Margarita. | Temperantia. | Catharina. † in juv.

2. Robertus Dudley n. 1574. Dux à Cæsare Ferdinando II. a. 1620. creatus † Florentiæ a. 1650. 1. N. *Cavendish, Thomæ soror.* 2. *Alicia, Ducissa Dudley, Thomæ Leigh de Stonelay f.* † 22. *Jan.* 1670. 3. *Elisabetha Roberti Southwell f.* | 3. Robertus Dudley † infans.

2. Alicia † cœlebs. | 1. Duglassia † innupta. | 1. Catharina nupta *Richardo Leveson.* | 2. Francisca, ux. *Gilberti Kniveton.* | 2. Anna, nupta, *Roberto Holborne.* | 3. Antonius Dudley occ. in duello Lutetiæ Paris. | 3. Carolus Dudley, dictus DUX NORTHUMBRIÆ, † Florentiæ circa a. 1687. *Maria Magdalena Gouffier.* | 3. Ferdinandus Dudley, Monach. Dom. † | 3. Henricus Dudley † Romæ. | 3. N. nup. *Principi Plombini.* | 3. N. Ux. *March. Malaspina d' Olivola.* | 3. Theresia nupta 1. N. *Duci della Carniola,* 2. *Mariæ C. Carpegna.*

Robertus Dudley Dux Northumbr. dictus. | Guffierius Dudley † Florentiæ. | Antonius Dudley *Canonicus* ad S. Petri Romæ. | Catharina nupta Carolo N. *Marchioni Paliotti in Bononia.*

A.

FRIDERICUS DE SCHOENBERG Joh. Mainardi & Annæ Sutton de Dudley F. Comes S. R. Imperii & Mertolæ in Lusitania, Marescallus Galliæ, PAR ET DUX ANGLIÆ *Eques Periscelidis* cr. 13. April. 1689.
Uxor 1. *Johanna, Elisabetha, Henrici Dieterici de Schönberg de Wesel patrui ipsius filia.* 2. *Susanna de Aumale, Danielis Comitis de Aumale - Haucourt f.*

1. Fridericus Comes de Schönberg in Wesel *Catharina Ernestina, Joh. Christophori B. de Bucholz f.*	Otto Comes de Schönberg occ. in obsid. Valentiani 1656.	Mainardus Comes de Schönberg *Carola Raugravia, Caroli Ludovici Elect. Palat. f. 4. Jan. 1683.*	Henricus Comes de Schönberg † Brussellis è vuln. in conflictu contra Hispanos accepto.	Carolus C. de Schönberg.

Carolus C. de Schönberg n. 15 Dec. 1683.

B.

HUMILIS WARD, Wilhelmi F. creatus BARO WARD de Bermingham 23. Mart. 1644. † 4. Oct. 1670.
Francisca de Sutton Baronissa Dudley.

Eduardus Baro Ward de Bermingham. *Francisca, Wilhelmi Brereton fil.*	Wilhelmus Ward.	Honora nup. *Wilhelmo Dilke de Marstoke-Castle.*	Francisca ux. *Wilh. Noel de Kirby.*	Theodosia nup. *Thomæ Brereton de Hanford.*

Johannes Ward. Wilhelmus Ward. Ferdinandus Ward. Catharina. Humbletta.

æs alienum fecit, quod cumulatum usuris, eum castris agrisque paternis exuit (stimulante fœneratores *Johanne Dudlejo* tunc Comite Warvvici castro Dudlejano inhiante) & denique ad extremam egestatem & mendicitatem redegit, ita ut inter cognatos, quos per vices visitando victum quærere solebat, *Lord quondam* appellaretur. Filius tamen ejus EDUARDUS II. ad lautiorem rediit fortunam beneficiis Reginæ Mariæ, quæ ipsum in maximam Dudlejani patrimonii, post dicti *Joh. Dudleji* Ducis Northumbriæ supplicium fisco addicti, partem restituit, & castro *Hampnes* in Picardia præfecit; hoc autem natus EDUARDUS III. cum uxore sua filioque FERDINANDO defunctis concubinam penatibus suis induxisset, multosque ex ea nothos sustulisset, liberalius imo profusius illis indulgendo rem omnem absumsit, & patrimonium tanto ære alieno oneravit, ut ei dissolvendo neptem suam è dicto filio eamque hæredem suam legitimam unicam FRANCISCAM, HUMILI WARD, *Wilhelmi Ward* aurificis & gemmarii Londinensis prædivitis gnato, nuptui locaret. Hunc Rex Carolus I. tum ob illustre, quod contraxit matrimonium, tum ob privata de se merita, *Baronem Ward de Bermingham* per diploma die 23. Martii anno regni sui XX. Oxonii scriptum creavit, quem honorem is fato functus ad gnatum è *Francisca Dudleja* genitum, EDUARDUM transmisit; illa autem aviti honoris gradum titulumque nihil obstante sexu, retinuit, in Catalogis Angliæ Nobilitatis, quos *Dugdalius* peculiari libello & *Sandfordius* in *Historia Coronationis Jacobi* II. exhibuere, inter Barones Angliæ, illo, quem initio designavimus, loco enumerata.

Ab eadem stirpe genus ducit maternum verus ille Mavortis pullus nulli bellatorum nostræ ætatis secundus FRIDERICUS SCHONBERGIUS, quem rebus in Lusitania & Gallia fortiter excellenterque gestis illustratum Anglia denique felici sibi vinculo adjunxit, & primoribus suis associavit, à Rege Wilhelmo III. sincero magnorum & vera virtute præditorum virorum æstimatore, è Comite ad *Ducis* dignitatem nuper provectum, & *aurea San-Georgiani Ordinis Periscelide* decoratum; cujus progeniem quin occasione ita ferente schemati Dudlejano subjungerem, haud mihi temperavi, eoque minus quod eum inter Duces Angliæ stylus versaretur, nondum appareret ingens illa mutatio, quæ Schönbergium Angliæ indigenam reddidit, neque integrum amplius nobis sit competenti eum loco inserere. Paternam originem à Germanis trahit, ab equestri scilicet ad inferiorem Rheni tractum familia, quæ à priscis Cliviæ Ducibus derivari amat, eademque insignia, quæ Clivensi Ducatui tribuuntur, gerere consuevit, nempe carbunculum octo radiis liliatis aureis in crucem & decussim trajectis fulgentem. Parens Ducis Schönbergici *Johannes Mainardus* è supremis Aulæ Electoris Palatini Friderici V. Ministris fuit, eumque in Angliam ad peragendas cum Regis Jacobi I. filia nuptias profectum comitatus est, qua occasione *Annam Dudlejam* uxorem accepisse videtur: is filius fuit *Mainardi de Schönberg in VVesel* & *Dorotheæ Riedeselia de Bellersheim*, qui genitores habuit *Fridericum de Schönberg* & *Elisabetham de Langlen*, fratremque patri *cognominem*, qui è *Clara de Frankenstein* suscepit *Simonem Rudolphum* satorem è *Magdalena de Naves Johannis Caroli* & *Ottonis Friderici Baronum de Schönberg*. Horum posterior Imp. Ferdinando II. stipendia fecit, & in prælio apud Lipsiam die 7. Septemb. anno 1631. commisso mortem oppetiit, Generalis Vigiliarum præfecti munere apud Equitatum functus. Prior eidem Imperatori nec non Electori Moguntino à consiliis fuit, atque ex uxore sua *Margarita Catharina Poppelia de Lobkovvitz* genuit *Emanuelem Maximilianum VVilhelmum Comitem de Schönberg*, qui anno 1681. vitam cum morte commutavit, nullis è *Magdalena Isabella*, è Comitum *de Cronberg* stirpe oriunda, liberis susceptis.

Redeundum jam ex hoc diverticulo in viam, atque ad alteram *Suttonensis* familiæ lineam progrediendum: ex ea prognatos altius quidem fortuna quam è priore ortos extulit, sed nobilitate sua gravius etiam affixit ac demersit. Videlicet filius statim *Johannis*, qui sator rami hujus extitit, EDMUNDUS, cum ab ineunte pueritia legum imprimis ac juris civilis scientia animum imbuisset, atque adultior factus inferioribus togæ muniis, quibus admotus fuit, haud male functus esset, denique à R. Henrico VII. *propter prudentiam singularem (Polydori* (a) verbis utor) *fidem & gravitatem*, inter præcipuos arcanorum arbitros cooptatus, & titulo soceri sui nempe *Vicecomitis L'Isle* auctus est. Capto autem deinde à Rege consilio locupletiores Anglos attenuandi vel saltem superflua levandi pecunia, latisque olim legibus ad id abutendi, *Edmundus Dudlejus* una cum *Richardo Empsono* fiscalis judex constitutus fuit, ambo, *Verulamii* (b) verbis, *audaces & famæ contemptores: ille vero eloquens etiam & qui negotia aspera bonis verbis condire poterat.* Hi dum id officii ex heri sententia gerendo *legem & justitiam*, ut iterum cum modo citato autore loquar, *in absynthium & rapinam verterent, atque ex Domini sui mulctura haud parum ad se ipsi traherent*, plurimorum offensionem contraxerunt; hinc post dicti Regis excessum cum novus Princeps benignitatis famam aucupatus edictum de pecuniis repetundis promulgasset, tanto numero & impetu ad accusandos judices fiscales undique con-

Yy cursum

(a) *Hist. Angl. Lib. XXVI.* (b) *Hist. regni Henr. VII.*

cursum fuit, ut Rex sedandæ multitudini judicio eos permittere cogeretur, à quo capitis damnati & securi percussi sunt.(a) Reliquit *Edmundus Dudlejus* posteritati librum à se scriptum, cui titulus: *Arbor Reipublicæ.*

JOHANNES DUDLEIUS natalibus, intercedente *Eduardo Guilford*, tutore suo & deinde socero, restitutus, ab ineunte juventa multa excelsi animi, fervidæque generosæ & gnavæ indolis signa edidit, magnasque sub Henrico VIII. res gessit, à quo etiam titulum *Vicecomitis l' Isle* recepit & *Thalassiarcha* munere ornatus est. Ad majores postea sub Eduardo VI. honores, nempe ad dignitatem *Comitis Warvvici* & officium *Supremi Angliæ Camerarii*, evectus & nova oppressæ in Norfolcia rebellionis captique ejus autoris gloria mactus majores spiritus sumsit, atque immoderata & nimis alta concupiscere cœpit, neque licet ad *Comitis Marescalli* & *Ducis Northumbriæ* fastigium elatus fuisset (id quod anno 1551. factum) animum temperavit, quin Seymoros Regis avunculos, quorum auctoritati invidebat, improbis artibus è medio tolleret, eoque postremo dementiæ veniret, ut etiam de regno invadendo vel saltem in suos transferendo cogitaret. Eum in finem filio GUILFORDO nuptias *Johannæ Grejæ Suffolciæ*, quæ maternum genus à R. Henrico VII. ducebat, conciliavit & Regi Eduardo, lethali morbo decumbenti autor extitit, ut exhæredatis Maria & Elisabetha sororibus dictam Johannam Grejam, nurum suam regni hæredem testamento constitueret. Verum post Eduardi mortem prævalente Mariæ fortuna, quamvis & ipse tempori assensurus illam Reginam Cantabrigiæ proclamasset, à Comite Arundeliæ, cui se commisit, in vincula conjectus, Londinumque ductus capite plexus est, cunctis ejus filiis nec non fratre ANDREA ob eandem causam damnatis, ex quibus tamen *Guilfordus* tantum cum uxore *Johanna* capite luit, postquam à Duce Suffolciæ nova excitata fuisset rebellio; cæteri in carcere asservati sunt, è quibus JOHANNES Ducis Northumbriæ filius natu grandior *Warvvici Comes* spiritum illic deposuit, AMBROSIUS autem, ROBERTUS & HENRICUS postea à dicta Regina libertati & natalibus restituti sub Wilhelmo Penbrociæ Comite Philippo II. R. Hisp. egregiam operam ad Quintini fanum navarunt, ubi etiam *Henricus* interfectus est. Ambrosio Elisabetha, anno regni sui II. titulum *Baronis L'Isle* & *Comitis Warvvici* reddidit, variaque belli munia contulit, eisque egregie perfunctum aurea periscelide decoravit. Robertum eadem Regina, quod fortunæ ejus seu consiliorum, cum à sorore Maria in custodiam data esset, particeps fuisset, maximos ad honores ac dignitates, constanti ad mortem usque gratia provexit, *Hippocomum* suum fecit, *Equitem Ordinis Georgiani*, *Consiliarium intimiorem*, *Regiæ Seneschallum*, *Academiæ Oxoniensis Cancellarium*, *Forestarum citra Trentam fl. Justitiarium*, & denique *Generalem Exercitus Anglorum* contra Hispanos; (b) præterea cum maritum Reginæ Scotorum tacito consilio illum destinaret, ut ad tantas nuptias commendatior esset, d. 28. Sept. 1564. *Baronem Denbighiæ* (data illi Denbighia cum latifundiis) & postridie *Leycestriæ Comitem* creavit. Ille vero spe potiundæ Elisabethæ repletus occulte Henrico Darlæo in nuptias Scotæ favit, quæ etiam suspicari cœperat, non alio consilio conjugium cum Leicestrio sibi ab Elisabetha propositum fuisse, quam ut illa excusatius ei nuberet, si ipsa Regina absoluta in Leicestrii nuptias prius consentiret, quemadmodum *Camdenus (d)* memoriæ prodidit. Illam etiam ob spem nuptiis Elisabethæ cum Andino Duce ex animo adversatus esse & sinistros de Simiero, Ducis internuncio, sermones sparsisse fertur, quos iste ulturus, Reginæ clandestinas ejus cum Essexii vidua nuptias detexit: Unde referente modo dicto autore, (c) Regina ita iracundia efferbuit, ut Leicestrium in castellulo Grænvvici se continere juberet & in arcem Londinensem conjicere cogitaret. Nihilo tamen secius pristina redeunte propensione ab illa inter delegatos, qui de ipsius cum Andino nuptiis conferrent, posteà deputatus, huncque in Belgium abeuntem cum aliis non nullis ex equestri ordine clarissimis Antverpiam usque comitari jussus est. Exeunte anno 1585. titillante imperii & gloriæ cupiditate (e) impulsus titulo *Generalis Auxiliarium Reginæ Angliæ* in Hollandiam, cum quodam quasi imperio in Angliæ Admiralium & universam classem Regiam magno apparatu & splendore trajecit, verum cum rem non ex Ordinum fœderatorum sententia, sed ex suo sensu ac arbitrio gereret, & denique ad fraudes conversus factiones in populo aleret, gravissima offensione concitata biennio prope exacto in Angliam à Regina revocatus est; quo reversus acerrimas tum Ordinum tum adversariorum accusationes vel criminationes privatim Reginæ pedibus advolutus, & in preces lacrymasque effusus elusit; (f) sequenti autem anno in itinere ad secessus amœnos *Killingvvorthæ* febre continua correptus fato cessit; cum jam in vitæ exitu novam honoris & potentiæ spem inchoasset, de summo

(a) *Pol. Virg. L. XXVII.* (b) *Camden. P. III. p. 537.* (c) *P I. p. 88.* (d) *P. II. p. 197. 198.* (e) *Camden. P. III. p. 418.* (f) *Ib. p. 510.*

ſummo in Angliæ & Hiberniæ imperio vicaria ſub Regina poteſtate. Quod quidem diplomate jam ſcripto conſecutus erat, niſi Burghleius & Hattonus interceſſiſſent, & Regina periculum nimiæ in uno potentiæ tempeſtivè prævidiſſet. Mortem tamen ejus illa haud prorſus indifferenter tulit, utpote *ob animorum conjunctionem, eamque ex occulta ſiderum conſpiratione*, ceu *Camdeno (a)* videtur, longe chariſſimi. *Aulicus* habebatur (ut ſæpe citati Autoris *eulogium* addam) *omnibus numeris abſolutus, lautus & largus, viris militaribus & ſtudioſis beneficus, tempori & ſuo commodo inſervire gnarus; ingenio obſequioſo, in æmulos inſidioſo, aliquandiu mulieroſus, demum ſupra modum uxorius. Duglaſſiam Hovvardum*, Johannis B. Sheiſeildii viduam fallaci nuptiarum pollicitatione in ſui amorem pellexerat, ſuſcepto autem ex ea furtim filio, quem extremis tabulis illegitimum pronunciavit, impotenti amore *Lætitiæ Knolliæ*, viduæ Comitis Eſſexiæ, cujus mortem procuraſſe in ſuſpicionem venit, inflammatus, eam, Hovvarda pecunia, & ingentibus promiſſis amota, iteratis nuptiis ſibi junxit, præſente Franciſco Knolles, Lætitiæ patre, cum Notario publico & teſtibus, quos ille Leyceſtrio ob vagos ejus amores diffiſus & veritus ne filiæ, æque ac Hovvardæ, illuderet, adhibuit. *(b)*

De ROBERDO DUDLEIO, quem parens Leiceſtriæ Comes unicum tantæ familiæ ac fortunarum hæredem in gratiam Lætitiæ Knolliæ illegitimum declaraſſe dictus eſt, refert *Dugdalius (c)*, quod ab ineunte adoleſentia Matheſeos & rei nauticæ ſtudio flagrans, primo & vigeſimo anno præfectura trium navium à Regina Eliſabetha ornatus fuerit, iiſque ad inſulam Trinitatis novem Hiſpanicas naves vino onuſtas adortus partem earum ceperit, partem fugaverit, necita multo poſt ad oram Americæ, quà fluvius *Oxinoque* maria ſubit, appulſus, inſulam in ejus oſtio detectam, *Dudlejanam* à ſuo nomine appellaverit, porro ſequenti anno, qui ſeculi ſuperioris ſextus ſupra nonageſimum fuit, ſub Eſſexio in expeditione adverſus Gades militaverit, ea fortitudine, ut Equeſtri dignitate ab illo decoraretur. Hoc pacto famam aliquam conſecutus omnem movit lapidem, ut ſpurii probrum à ſe amoliretur, viamque ſibi ad avitos ſterneret honores: verum fruſtra niſus & adverſa perculſus ſententia diſcedere ex Anglia conſtituit, acceptaque facultate per triennium peregrinandi in Italiam abiit, ſed brevi ſub Privato Regis ſigillo adverſatiorum impulſu revocatus neque obſecutus prædiis agriſque, quos in Anglia habuit, mulctatus eſt. Abduxerat ſecum *Eliſabetham* filiam Roberti *Soutvvell*, formoſam fœminam famuli veſte indutam, relicta uxore ſua *Alicia* (quam deinde R. Carolus I. d. 22. Maji anno 1644. *Duciſſam Dudley* creavit) illamque matrimonio ſibi ſociavit; domicilium vero in Etruria fixit, cujus Ducem ſingulari ſua Architecturæ tam civilis quam militaris & maritimæ peritia ſibi conciliavit, autorque ei extitit, ex Liburnenſi ignobili vico inſignem urbem & portum pulchre munitum ædificandi. Hinc annua penſione à dicto M. Duce Etruriæ locupletatus, ædes ſibi Florentiæ exſtruxit, famaque nominis ſui latius ſparſa ab Imperatore Ferdinando II. per diploma Viennæ d. 9. Mart. anno 1620. datum, titulo *Ducis* auctus, ut eo ipſe hæredeſque ejus per omnes S. R. Imperii regiones uterentur, & *Dux Northumbriæ* exinde quaſi poſtlimio appellatus eſt. Provectus ætate librum edidit *de Arcanis maris* Florentiæ anno 1646. impreſſum, & deinde Venetiis recuſum. Scripſit & alium Phyſici argumenti, *Catholicum* dictum, & denique inventione *Pulveris Cornachini*, à *Marco Cornachino* Piſano, qui de virtutibus ejus commentatus eſt, ita nominati, atque ad omnes corporis affectus morboſque ſanandos efficacis, majorem in modum inclaruit. Vitam ad ſummam ſenectutem prorogavit, eamque tandem in prædio ab Etruriæ Ducibus ipſi donato finivit, & Florentiæ in æde S. Pancratii ſepultus eſt. Inter liberos, quos cum *Eliſabetha Southvvella* genuit, præcipuam hæreditatis ejus partem crevit CAROLUS *Dudlejus*, qui *Ducis Northumbriæ* titulum ad patris exemplum geſſit, uxoremque è nobiliſſima apud Picardos familia *Gufferorum* duxit, è qua aliquot utriuſque ſexus liberorum parens factus, Florentiæ mortalitatem explevit, ſuccedente ei in Ducis Northumbriæ axiomate filio natu maximo ROBERTO, quem Chriſtinæ Reginæ Sveciæ aulam Romæ frequentaſſe, ejuſque cubiculo non ita multo ante quam è vivis exceſſiſſet, præfectum fuiſſe nunciatum eſt.

Dantur cæterum plures in Suttonenſi familia lineæ, neque poſtrema earum *Aramenſis* eſt, è qua ROBERTUS SUTTON *de Aram* in Nottinghamia originem traxit: hunc R. Carolus I. ob fidem & operam ſibi præſtitam in Baronum Ordinem d. 21. Nov. anno 1645. extulit, & titulo *Lord Lexinton of Arram* inſignivit, eo quod à ſtirpe *Lexintoniorum*, qui regnantibus Henrico III. floruerunt, maternum ſanguinem hauſiſſet: *Uxorem* ter duxit, primo *Eliſabetham*, Georgii *Mannours de Haddon* gnatam, dein Guidonis *Palmes de Ashvvel filiam*, eandemque *Thomæ Brovvne viduam*, & poſtremo *Mariam* Antonio *St. Leger* natam, è qua *filias duas* (videlicet *Brigitam*, Johanni *Darcie*, Comitis Holderneſſiæ nepoti elocatam, necnon *Annam* intra infantiæ an-

(a) *Ib. p. 537.* (b) *Id. P. II. p. 278.* (c) *Tom. III. p. 222. & ſeqq.*

riæ annos extinctam) & gnatum unicum suscepit, nempe ROBERTUM II. qui patri an. 1668. d. 18. Oct. in honorem *Baronis Lexington* successit.

Insignia familiæ *Suttonio-Dudlejanæ leonem viridem lingua & falculis rubeis*, scuto *aureo* inscriptum, referunt: ei linea Ducum Northumbriæ *lunulam rubeam, dextro angulo impressam*, discerniculi loco addidit, apiei *ursum argenteum erectum & trunco innixum, capistro & catena vinctum in pectore lunula miniata notatum* imposuit, cum altera linea, quæ Barones Dudlejos edidit, *capite leonino cæruleo, è galea auro coronato se se efferente* uteretur. *Telamonum* loco *leones* adhibent eodem colore, quem in scuto habent, tinctos.

CAPUT LXXXVII.

DE BARONIBUS STOURTON.



ILHELMUM BARONEM STOURTON ordo jam tangit, ex antiqua Wiltoniæ familia oriundum, quæ ab oppido *Stourton* ad amnem *Stoure* sito, appellationem nacta est, & regnante Richardo II. inclarescere cœpit in *Johanne Stourtono*, Sheriffo Comitatuum Somersettiæ & Dorsettiæ: hoc natus est WILHELMUS *Stourton*, cui amplissimæ obvenere possessiones, postquam *Elisabetham*, Johannis *Moigne* sive *Monachi* filiam, & gentis suæ hæredem in uxorem duxisset; indeque est, quod Sturtonii apicem clypei sui figura *monachi emergentis & scuticam manu tenentis* insignire consueverunt. *Wilhelmus* pater JOHANNIS fuit, qui *Pariatus* honorem genti suæ peperit, virtute & fide, cujus eximia documenta Regibus Henricis V. & VI. dederat, quorum ergo à posteriore *Baro Stourton de Stourton* anno regni ejus XXVI. creatus fuit. Hunc honorem posteri ejus continuo ordine sibi invicem per manus tradiderunt usque ad CAROLUM, illustri nepotem, cujus flagitio factum est, ut non longe abessent quin avita dignitate exuerentur. Is enim cum quendam, cui *Argah* nomen erat, ejusque filium, cum quibus longam exercuerat simultatem, ope servorum suorum per insidias vectibus prostratos immaniter jugulasset, ac, ne scelus emanaret, cadavera eorum in profundam defodisset scrobem; detecto nihilo minus facinore comprehensus atque à Regina Maria, quæ justitiæ suæ exemplum in homine insigni genere & Romanis sacris addicto statuere gestiebat, judicio permissus est, à quo ad furcam una cum quatuor domesticis, flagitii administris, condemnatus, ille serico fune, hi laqueo Sarisburiæ suspensi sunt (a) Filius ejus JOHANNES III. postquam vicennii prope spatio exsors aviti honoris vixisset, denique à Regina Elisabetha anno regni ejus XVIII. in integrum restitutus, cumque prole careret, fratrem EDUARDUM successorem nactus est, cujus propago hodieque floret.

Scutum Stourtonensis familiæ *nigrum* est *baltheo aureo* insignitum, quem utrinque *tres globi argentei tæniis undatis cæruleis distincti* stipant. E galea *monachus* exsurgit *Franciscana veste indutus*, & *scuticam dextra tenens*. Animalia, quæ atlantum loco adhibent, non dignosco, è genere amphibiorum tamen esse videntur ob tergum spinosum & caudam squameam.

(a) Dugdal. Baronag. III. 231. Burnet. Hist. Reform. Angl. L. II. p. 328.

CAPUT

SCHEMA BARONUM STOURTON.

WILHELMUS DE STOURTON Johannis F. † m. Aug. 1413.
Elisabetha Johannis Moigne Eq. filia.

Johannes Stourton, BARO Stourton cr. 13. Maji 1448. † 25. Nov. 1462.

Wilhelmus Baro Stourton de Stourton † 18. Febr. 1478.
Margarita Johannis Chidiok Eq. fil.

Johannes II. Baro Stourton † 1484. *Catharina* . . .

Wilhelmus III. Baro Stourton de Stourton † 1523. N.
Edmundi Bar. Dudley f.

VVilhelmus IV. Baro Stourton † paulo ante patrem. *Catharina de la Pole, Joh. D. Suffolc. f.*	Eduardus Baro Stourton † 1535.

VVilhelmus V. Baro Stourton. † 1548.	Rogerus Stourton.	Christophorus Stourton.

Carolus Baro Stourton, *susp.* 6. Mart. 1558. *Anna, Eduardi Stanley Com. Darbiæ f.*	N. nupta N. *Clinton.*	N. uxor N. *Brent.*

Johannes III. Baro Stourton † 13. Oct. 1588. improlis.	Eduardus II. Baro Stourton † 7. Maji 1632. *Francisca, Thomæ Tresham de Livedenf.*	Carolus Stourton.

VVilhelmus VI. Baro Stourton † . . . *Francisca Eduardi More de Odyham f.*	Thomas Stourton.	Franciscus Stourton.	Eduardus Stourton.	Margarita ux. *Thomæ Sulyard de VVetherden.*	Maria nup. *VValtero Norton.*

Eduardus III. Baro Stourton † m. Januar. 1645. *Maria, Roberti Bar. Petre f.*	VVilhelmus Stourton.	Thomas Stourton. monachus	Maria nup. *Johanni Weld de Lulvvorth-castle.*	Francisca *monialis.*

VVilhelmus VII. Baro Stourton.
Maria Johannis Preston de Furnesse-Abby fil.

CAPUT LXXXVIII.

DE BARONIBUS CROMWELL.



Uas Dugdalius in Baronagio suo recensuit familias, quæ Cromwellanum nomen gessere; prior inde ab ætate Regis Johannis usq; ad regnum Henrici VI. floruit, & prædium ejusdem appellationis in Nottinghamia tenuit, à *Radulpho Cromvvello*, Angliæ Thesaurario, in quo defecit, præcipue illustrata. (*a*) Posteriorem eamque superstitem THOMAS CROMWELLUS inchoavit pariter & nobilitavit; hunc ludibrium fortunæ Camdenus (*b*) haud absurde dixit, utpote ab infima pæne conditione ad summam dignationem atque autoritatem extractum, sed brevi gravissimo viceversa lapsu demersum. Pater ejus faber ferrarius in pago *Putney*, qui quarto à Londino lapide distat, fuisse memoratur: ipse postquam adolevit, peregrinandi & multorum mores linguasque addiscendi occasionem nactus, militiam etiam aliquantisper secutus est, & Duci Borbonio Romam oppugnanti, meruit. Reversus in

(*a*) *Dugdal. Baron. II. 44.* (*b*) *Annal. Elis. p. 614.*

Tab.CXVII.

SCHEMA PRISCÆ CROMWELLANÆ FAMILIÆ.

RADULPHUS DE CROMWELL, Justitiarius Lincolniæ 1219.

Radulphus de Cromvvell II. *Margarita, Rogeri de Somery B. de Dudley f.*

Johannes de Cromvvell Comestabilis Turris Londinensis † circa a. 1335. *Idonea de Leyburne, Rogeri de Vipount f.*

Radulphus III. Baro Cromvvell 27. Aug. 1398. *Mathilda, Joh. Bernack fil.* † *10. Apr. 1419.*

Havvisia nupta *Thomæ B. Bardolf.*

Radulphus Cromvvell V. † ante patrem.

Mathilda ux. *Wilhelmi Fitz-Williams.*

Elisabetha nup. 1. *Joh. Clifton.* 2. *Eduardo Bensted.*

Radulphus VI. Baro Cromvvell, Thesaurarius Angliæ † 4. Januar. 1455. improlis. *Margarita, Wilhelmi B. Deincourt soror & hæres, Johannis filia.*

Thomas Baro Cromvvell VICECOMES de Lecale COMES de Ardglas in Hibern. † m. Febr. 1653. *Elisabetha, Roberti Meverell de Throvvley fil. & hær.*

Elisabetha nup. *Joh. Skelton Equiti.*

Wingfeild B. Cromwell C. de Ardglas † 3. Oct. 1688. *Maria, Wilh. Russel de Strensham f.*

Verus Essexius Baro Cromvvell C. de Ardglas. *Catharina*

Oliverius Cromvvell.

Francisca † juv.

Jana † juv.

Maria nup. *Wilhelmo Fitz-Herbert de Tissington.*

Thomas B. Cromvvell C. de Ardglas † . . . . . . N. *Michaelis Boile Archiep. Dublin. fil.*

SCHEMA FAMILIÆ CROMWELLANÆ SUPERSTITIS, BARONUM CROMWELL, COMITUM DE ARDGLAS.

THOMAS CROMWELL, BARO Cromwell de Okeham cr. 15. Jul. 1536. COMES ESSEXIÆ 17. April 1540. *Eques Periscel.* Vicarius Generalis, *decoll.* 28. Jul. 1540. Uxor *incomperta.*	Soror Thomæ Cromwelli nupta erat N. *Williams.*

Georgius BARO Cromvvell cr. 18. Dec. 1540. † 1551. *Elisabetha, Johannis Seamour de Wolfhall fil. Antonii Ougthred vid.*	Richardus Williams dictus Cromvvell.

Henricus Baro Cromwell † 1593. *Maria Joh. Paulet M. Vinton. f.*	Eduardus Cromvvell.	Thomas Cromvvell.	Francisca ux. *Eduardi Stroude.*	Catharina nup. *Joh. Stroude.*	Henricus Cromwell Eques.

Eduardus Baro Cromvvell † . . . *Francisca, VVilhelmi Ruggef.*	Gregorius Cromvvell.	Catharina, nup. *Leonello Talmache.*	Oliverius Cromvvell Eques Balnei cr. 1603.	Robertus Cromvvell. Ux. N. *Stuart.*

Francisca uxor *Joh. Wingfeild de Tickencourt.*	Anna, nup. *Eduardo Wingfeild de Poorescourt.*	Oliverius Cromvvell Protector Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ † 3. Sept. 1658. Ux. . . . . *Bourchier.*

Richardus Cromvvell Protector Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ proclamat' 4. Sept. 1658. exauctoratus 27. Maji 1659.	Henricus Cromvvell Hiberniæ Præses.	Brigitta nup. 1. N. *Ireton.* 2. *Carolo Fleedwood.*	Elisabetha ux. *Johan. Cleypole Armigeri* † 11. Aug. 1658.	Maria ux. *Thomæ Bellasyse Vicecom. Fauconberg.*	Francisca nup. *Roberto Bar. Rich.*

Angliam Cardinali Volsæo operam suam mancipavit, officiaque ab eo, qui plurima tunc potestate pollebat, sibi demandata liberaliter dextreque obeundo, Regi Henrico VIII. innotuit seque insinuavit, ita ut statim ab occasu Cardinalis intimioribus Consiliariis adderetur, triennii autem spatio interjecto, anno scilicet 1534. *Principalis Secretarius Status & Scriniorum, sive Rotulorum Magister* constitueretur: cumque Rex ipsius præcipue consilio ac opera in ancipiti negotio supprimendorum monasteriorum & abolendi Papatus satis prosperè usus esset, a. 1536. *Custodem Privati Sigilli* nec non *Baronem de Okeham* in Comitatu Rutlandiæ creavit, prætereaque titulo & autoritate *Vicarii Generalis in rebus Ecclesiasticis* auxit ac munivit, in Parlamento denique a. 1540. habito, cujus initium ille ex officio novæ dignitatis gravi fecerat concione, ad honores *Comitis Essexiæ*, *Equitis Ordinis San-Georgiani* nec non *supremi Angliæ Camerarii* evexit. Hæc verò tam prospera tamque inopinata incrementa consecuta est subita commutatio, neque facile reperies, quem aut pronior fortuna comitata sit, aut veluti fatigata, maturius destituerit. Nimirum pertæsus Rex magis magisque matrimonii, quod ineunte anno postremum memorato cum Anna Clivensi contraxerat, ita ut ab ea prorsus abhorreret, Cromwellium etiam, nuptiarum istarum autorem ac impulsorem, fastidire, ac odio habere, eaque alienatæ ab illo mentis signa edere cœpit, ut inimici ejus, quorum agmen Dux Norfolciæ & Episcopus Vintoniensis *Stephanus Gardiner* ducebant, quam diu in pectore aluerant simultatem evomere & criminis læsæ Majestatis illum accusare non dubitarent, id quod die XIII. Junii dicti anni 1540. factum eo successu, ut Cromwellius jussu Regis in Turrim Londinensem conjiceretur, auctis exinde, uti magnorum fortuna virorum inclinante fieri amat, malevolorum criminationibus, hæreseos ac perduellionis damnatus, sextaque abhinc septimana, licet tum ipse Regis misericordiam, literis submisse & ad movendam mentem accommodate scriptis, imploraffet, cum Thomas Cranmerus Archiepiscopus Cantuariensis, Regis gratia tunc pollens, ejus defensionem suscepisset, securi subjectus, & miserandum in modum repetitis ictibus capite truncatus fuit. Talis erat finis tanti viri ac ministri, *quem*, dicente *Burneto*, (a) *sola ingenii vis extulit: natus enim in conditione infimi generis hominum exigua educatus est industria, omnisque ejus scientia in eo consistebat, quod novum Testamentum Latino idiomate memoriter complexus esset.* Ferunt mortem ejus serius à Rege deploratam fuisse; filium certe ejus GREGORIUM CROMWELLUM ignobilem ducere vitam non est passus, sed post quintum à parentis casu mensem natalibus restitutum Baronem creavit; ei hoc in honore successit HENRICUS pater EDUARDI, qui Roberto Devereux Comiti Essexio amicus parum abfuit, quin ejus infortunio involveretur. Hoc satus est THOMAS honoribus *Vicecomitis Lecale & Comitis de Ardglas* in Hibernia auctus & WINGFEILDI nec non VERI ESSEXII genitor, quorum posterior filio fratris sui in avitos honores successisse videtur, ejus etenim nomen *Sandfordius* inter Barones, qui Jacobo II. regnum auspicante vixerunt, recensuit.

Sororem de cætero Thomæ Cromwello Comiti Essexiæ fuisse *Dugdalius* perhibet in *Wilhelmidarum* enuptam familiam, quæ è Wallia oriunda est, & *Johannem Williams, Baronem à Thame* à Regina Maria creatum, atque anno 1559. sine prole mascula mortuum, edidit. Ex illo matrimonio natus est Richardus *Williams*, qui postquam patrio avunculo suo haud exiguum in R. Henrici VIII. gratia locum indeptus, atque inter potiores ejus cubicularios cooptatus esset, paternum cognomen cum materno commutavit: id pronepos ejus OLIVERIUS CROMWELLUS magis ac quisquam è genuina Cromwellorum stirpe satus illustravit, de quo vito multa in utramque partem dicta & scripta sunt, adeò ut inter tot ejus laudes ac vituperationes partibus infectas haud facile sit vera dignoscere à falsis. In pauca conferam quod in confesso est: natus erat in agro Huntingdonensi parentibus honestis, loco mediocri, sed tanta vi animi ingeniique præditus, ut ab ineunte adolescentia sibi ipsi fortunam videretur facturus. Prima equidem juventa liberius vixit, & rem familiarem neglexit, patruo suo honesto Equiti minus ideo probatus. Mutatis deinde moribus agriculturæ & Zythopœiæ operam dedit, *velut rem familiarem, quam ante decoxerat, recocturus*, ut *Georgii Batei* (b) verba mea faciam, pietatis etiam speciem ostentavit, conciones sacras frequentando & libros de vera vitæ Christianæ ratione versando, quibus technis cum hæreditatem divitis avunculi & probi Equitis Roberti Stuarti indeptus esset, ad ingenium rediit; post dilapidatam vero iterum pecuniam impatiens egestatis statuit solum vertere, & in novam Angliam proficisci, eumque in finem sectam Non-conformistarum, quo hominum genere illa Americæ regio incolebatur, Cantabrigiæ amplexus est. Interea dum navigationem operitur idoneam, accidit, ut inter membra Parlamenti, quod a. 1640. convocatum à diuturnitate longum dictum est, cooptaretur: hunc nactus campum quo naturalem ingenii sui dexteritatem ac calliditatem nonnullis literarum ac legum studiis limatam exerceret & ostenderet, mox conditione temporum suaque propensione ad arma stimulatus fuit, ita ut se equitumque legionem, quam ex omnibus ubivis provinciarum militibus, vel scriptis literis

(a) *Hist. Reform. Angl. L. III. p. 661. Vers. Gall.* (b) *Elench. motuum in Angl. p. 274.*

literis vel per nuncios corrogaverat, Parlamento offerret ac manciparet. Postquam initia statim militiæ suæ urbem Cantabrigiensem intercipiendo nobilitasset, & deinde aliis prosperis eventis clarus, collectoq; Independentium favore potens factus esset, universo Parlamenti equitatui a. 1647. Legati titulo præpositus fuit, post triennium vero supremam militum Præfecturam abrogato Thoma Fairfaxio, obtinuit. Post cædem Regis expeditiones in Hiberniam Scotiamque á Parlamento summo cum imperio ipsi demandatas suscepit, ibidemque reliquias regiarum partium debellavit. Victor itaque Londinum reversus eoque jam provectus, ut unus omnia ipse posset, novum Parlamentum ex amicis obnoxiisque sibi hominibus, veteri dissoluto, constituit, qui summam Reipublicæ ipsi detulerunt, & *Protectorem trium Regnorum* proclamarunt, condito hunc in finem Instrumento Protectorio Londini anno 1653. d. 16. Decemb. Id anno 1657. Statuto Parlamentario confirmatum fuit, ea cum clausula, ut Protectoris titulus nomen Summi capitis in Anglia esset, & Cromvvellus hoc nomine omnia plenissimè dirigeret. Sed absolutæ adeo potestatis diuturnam usuram mors ei invidit, quæ sequenti mox anno ex filiæ *Elisabethæ* obitu afflictum, & febri tertiana subito debilitatum, naturæ debitum solvere coegit die III. Septembris, fausta ipsi quondam & victoriosa, qua Scotos bis profligaverat, semel prælio Dumbaracensi anno 1650. deinde VVigornensi in Anglia anno 1651. Filios duos ex uxore gentis nobilissimæ *Burchieria*, quam suas quoque partes in mariti fabula egregie egisse ferunt, post se reliquit, RICHARDUM nempe & HENRICUM, quorum priorem successorem in Protectoratu, alterum Hiberniæ Gubernatorem constituit, utrumque vero tantæ fortunæ conservandæ inhabilem. *Richardus* inprimis ingens pusilli animi documentum dedit, cum se persvaderi facile pateretur, ut summam rei militaris abdicatam in sororium *Carolum Fleedvvodum* transferret; exercitu enim, in quo præsidium dominationis situm erat, privatus, brevi suprema quoque in republica potestate exutus, atque una cum fratre pariter exauctorato ad privatam conditionem redactus est, quam equidem uterque æquo tulere animo, & palatio Londinensi relicto, gentilitia in Northantonia & Cantabrigiensi provincia prædia repetiere, hunc denique ex humilitate sua fructum consecuti, ut mutata in pristinam formam Anglia, à restaurato Rege Carolo II. veniam & impunitatem acciperent; *Richardus* tamen clam ex Anglia excessit, atque in Africam, ceu creditum est, se recepit, *Henrico* vero in Northantonia subsistendi facultas data, ea lege ut VVilhelmidæ antiquo familiæ suæ nomine resumto, Cromwellii vocabulo in posterum abstineret.

Insignia Baronum *Cromvvellorum* quod attinet, constant ea *scuto in quadras dentibus asperatas, & auro cyanoque alternatim tinctas diviso, quarum singulas leo gradiens, aureas caruleus, caruleas vero aureus implet. Galeam vitta tegunt, cui Pelicanus aureus rostro pectus sibi fodicans & sanguinem eliciens imponitur*, *telamonum* loco *boves rubeos, alis auratis instructos*, adhibent.

CAPUT LXXXIX.

DE BARONIBUS EVRE
ET
WHARTON.



RADULPHUS BARO EVRE sive EVERS Cromwellum sequitur: is fratri suo *Georgio* in honore illo successit, vetusta stirpe editus, quæ à Dynastia *Evre* in Buckingamia nomen accepit atque Eduardis regnantibus jam floruit. Primus vero qui in Parium Angliæ Ordinem pervenit, erat VVILHELMUS EVRE à R. Henrico VIII. anno regni ejus XXXV. Baro creatus, atque ab eo nec non Eduardo VI. Maria & Elisabetha ad multa pacis ac belli negotia in Boreali regione adhibitus; quibus in oris filii quoque ejus natu majoris RADULPHI virtus atque opera enitue, sanguine signata: Scotis enim aliquotie victis, denique à Comite Arranio oppressus ac cæsus est, superstite patre, qui ultra duodecimum regni Elisabethæ annum duravit, nepotemque cognominem in honore acquisito successorem habuit. Hujus propago è filio natu maximo orta cum emarcuisset, vindicavit sibi avitum titulum GEORGIUS EVRE à secundo illius gnato prognatus, eundemque immaturo abreptus fato ad fratrem initio nominatum transmisit.

Scutum Evreanæ gentis *ex auro & minio quadripartitum* est, incumbente *baltheo nigro, cui conchæ tres argenteæ impressæ sunt.* In *apice felis ex auro & cyano quadrifariam variegata* conspicitur, quo animantis genere scutum etiam sustentatur.

PHILIPPUS WHARTON BARO VVHARTON, qui proximus ab Evrensi est, genus ducit à THOMA VVHARTON: is bellis Scoticis auspiciis Regum Henrici VIII. & Eduardi VI. gestis illustratus, atque ab hoc, citatione ad Parlamentum primo regni ejus anno habitum, honestatus est. Ab eo tempore in Baronum numero reputatus, postquam fatis concessisset, filio primogenito THOMÆ id honoris reliquit; successit ei PHILIPPUS duorum pater filiorum, quorum funera turbato mortalitatis ordine extulit: majorem natu GEORGIUM Jacobus Stuartus miles in duello vita privavit, alterum, cui THOMÆ nomen erat, morbus extinxit; hinc *Philippo* mortuo ad nepotem ejus cognominem è *Thoma* natum, avitus honos transiit, qui eo in præsentia gaudet.

Insignia Baronum *Wharton manicam argenteam vetusti moris* repræsentant, *in scuto nigro, quod limbo aureo octo leoninis pedibus rubris in decussim trajectis ornato cingitur. Galeæ caput bovinum avulsum argento tinctum & corona ex minio auroque conflata vinctum* imponunt, *telamonum* loco à dextris *bove ejusdem coloris*, à sinistris *leone rubeo clathris aureis variegato* utuntur.

SCHEMA BARONUM EVRE.

WILHELMUS EVRE BARO EVRE de Wilton cr. 24. Febr. 1544.
Elisabetha, Christophori Bar. Willougby de Eresby f.

Radulphus Evre, occ. à Scotis 1545. *Margarita, Radulphi Bovves de Stretlam f.*	Henricus Evre.	Anna nup. *Antonio Thorpe de Conye-Thorpe.*	Muriel ux. 1. *Georgii Bovves*, 2. *VVilhelmi VVicliff.*	Margarita nup. *VVilhelmo Buckton.*

VVilhelmus II. Baro Evre † 12. Febr. 1594. *Margarita, Roberti Dimock f.*	Radulphus Evre.	Thomas Evre.	Francisca nup. *Roberto Lambton.*	Anna ux. *Lanceloti Merfeild.*

Radulphus B. Evre *Maria, Johannis Dauney de Cessay f.*	Franciscus Evre. *Elisabetha, Joh. Leonard de Knoll f.* ☾	Wilhelmus Evre.	Carolus Evre.	Anna nup. *Joh. Malory.*	Maria ux. *Richardi Goodrick de Ribstan.*	Martha, nup. *Wilhelmo Ayrmin.*

VVilhelmus III. Baro Evre. *Lucia, Andreæ Noell de Dalby f.*	☽ Horatius Evre. *Debora Bret.*

Radulphus Evre, † ante patrem. *Catharina Thomæ B. Arundel de Wardour f.*	Wilhelmus V. Baro Evre, occ. in pr. ad Marston-moore 1645. N. *Thomæ Denton de Hilsden f.*	Maria nup. *Wilhelmo Hovvard de Navvorth-castle.*	Georgius Baro Evre † m. Oct. 1672.	Radulphus Baro Evre.

Wilhelmus IV. Baro Evre † cælebs.	Margarita ux. *Thomæ Danby de Thorpe.*	Maria nup. *Wilhelmo Palmes de Linley.*

SCHEMA BARONUM DE WHARTON.

THOMAS WHARTON BARO de Wharton cr. 1547. † 23. Aug. 1568. Ux. 1. *Eleonora, Bryani Stapleton de Wighill f.* 2. *Anna, Georgii Talbot C. Salop. f.*

1. Thomas Wharton II. B. Wharton † 1571. *Anna, Roberti C. Essex. f.*	Henricus Wharton.	Johanna nup. *Wilhelmo Penington de Moncaster.*	Anna ux. *Richardi Musgrave de Harcla-Castle.*

Philippus Wharton B. Wharton † 26. Mart. 1625. *Francisca, Henrici Clifford C. Cumbriae f.*	Maria nup. N. *Gowver.*	Anna, ux. *Wilhelmi Wolrich.*

Georgius Wharton Eq. Baln. occ. 1609. *Anna Joh. Mannours C. Rutl. fil.*	Thomas Wharton Eq. † 17. Apr. 1622. *Philadelphia, Roberti Carew C. de Monmouth f.*	Margarita ux. *Eduardi Bar. Wolton.*	Eleonora nup. *Wilhelmo Thwaytes de Long-Marston.*	Francisca ux. *Richardi Musgrave de Edenhale*

Philippus VVharton II. Baro VVharton.	Thomas VVharton.

1. Elisabetha, Rulandi Wandesford de Pickhay f. 2. Jana, Arturi Goodwyn de Upper-wvinchendon f. 3. Anna Wilhelmi Carr f. Edmundi Popham vid.

1. Elisabetha nup. *Roberto Bartu C. de Lindsey.*	2. Thomas Wharton. *Anna, Henrici Lee de Dichley fil.*	Goodwyn Wharton.	Anna nupta *Wilhelmo Carr.*	Margarita uxor N. *Dunch de Pusey.*	Maria uxor *Wilhelmi Thomas.*	3. Wilhelmus VVharton Philadelphia.

CAPUT XC.

DE BARONIBUS WILLOUGBEIIS.



THOMAS WILLOUGHBY DE PARHAM Whartonensis latus occupat. Hujus familia nobilis est & perantiqua è Lincolniæ Comitatu oriunda, in quo agris ac possessionibus abundavit: neque enim tantum gentilitium ibi tenuit prædium, *Wileghby* dictum, sed etiam dotalibus patrimoniis amplissimis per uxores aucta fuit. Primum ex ea Dugdalius (a) RADULPHUM *de Wileghby* (quod vocabulum sequenti ævo mutata litera *Willoughby* cœpit enunciari) notavit, Regi Henrico III. coævum & duorum patrem filiorum, à quibus in ramos stirps abiit, quorum alter cito emarcuit, alter ad hanc usque ætatem perpetua germinatione viruit, & multis semper auctibus crevit. ROBERTUS *de Willoughby*, *Roberti*, qui sator rami illius erat, nepos, magnas facultates, ex avi sui materni *Joh. Bec* Baronis *ab Eresby*, necnon Antonii *Bec*, Episcopi Durhamensis fratris illius hæreditate adeptus, prætereaque opera Regibus Eduardis I. & II. in Gallico & Scotico bello navata clarus factus ad comitia sollemnia evocari atque adeo in Batonum Angliæ numerum referri promeruit. Hujus nepos JOHANNES *de Willoughby Baro de Eresby*, *Junior* dictus, affinitate, quam cum Uffordis Suffolciæ Comitibus contraxit, nova domui suæ incrementa peperit: filio enim ejus ROBERTO ex amplis opibus, quas Wilhelmus Ufford Comes Suffolciæ Ceciliæ frater sine prole mortuus, post se reliquit, triens obtigit, affinis quoque sui Johannis Nevill Baronis Latimer hæreditate partim locupletato. Ab hujus natis WILHELMO & THOMA novæ ortæ sunt lineæ: ille *Barones ab Eresby* propagavit, hic *Barones Brooke* prosevit. Id castrum in Wiltonia situm JOHANNES *de VVilloughby*, *Thomæ* filius, in familiam suam uxorio intulit jure, ROBERTUS vero ejus gnatus illustravit, quem in Baronis dignitatem evexit Rex Henricus VII. cui *Camdeno* (b) referente *longe carissimus erat*, & classis præfectus sive Admirallus constitutus: unde *navis Gubernaculo* in insignibus, ut prora Pompejus Romanæ olim classis præfectus in nummis, est usus. Reliquit post se filium *cognominem*, qui inter duces copiarum auxiliarium ab Henrico VIII. Ferdinando R. Arragoniæ adversus Gallos submissarum memoratur & filias neptesque gnato sibi præmortuo ortas hæredes habuit; harum natu maxima Brookense nomen ad *Grevillos* transtulit.

VVILHELMUS *de Willoughby* Baronum *ab Eresby* propagator pater extitit ROBERTI, qui belli gloria & virtute nulli secundus inprimis in Gallia, ubi R. Henrici V. nec non Johannis Ducis Bedfordiæ auspiciis ordines duxit, fortitudinis suæ documenta edidit, titulis *Comitis de Vendosme & Beaumont*, *Baronis VVilloughby de Monblay & Beaumesgvil* usus, quemadmodum è literis salvi conductus, quæ à Duce modo dicto datæ ipsi fuere, autor noster refert. *Aureæ* quoque *periscelidis* decore primus è gente suæ insigniri meruit, ob solam masculæ prolis orbitatem infelix: filiam, quam unicam genuit, *Johannam* Richardo *VVelles* elocavit, qui titulum *Baronis VVilloughby* gessit; & frater fuit *Ceciliæ* uxoris ROBERTI *VVilloughby*, Johannæ patruelis, cujus progenies haud minimam partem ex hæreditate Batonum de VVelles percepit, maxime *quicquid ex magnis hærediis* (*Camdeni* (c) verbis utor) *Dominorum de Engain antiquæ nobilitatis & magna potentia in Lincolnia jam inde à Normannicis temporibus ad illos pervenerat*. Nepos *Roberti Willoughbii* postremo memorati, VVILHELMUS avitum sibi honorem postliminio vindicavit ad Parlamenta sub titulo *Baronis Willoughby de Eresby* primis regni Henrici VIII. annis citatus. In hoc linea Baronum *ab Eresby* defecit, atque ad colum delapsa est: unicam quippe gnatam ille post se reliquit CATHARINAM, fœminam præstantissimam, at malis vexatam fatis, cum in secundo cum *Richardo Bartu* viveret conjugio, è quo tamen filium suscepit *Peregrinum Bartu*; titulo *Baronis VVilloughby ab Eresby* à R. Elisabetha honestatum, quemadmodum superius dictum est.

Cæterum à *VVilhelmi* Baronis *VVilloughby ab Eresby*, de quo modo verba fecimus, fratre natu minore CHRISTOPHORO *Parhamensis* prosatus est ramus, qui adhuc floret. Hujus gnato VVILHELMO R. Eduardus VI. primo statim regni sui anno honorem *Baronis VVilloughby de Parham* (qui locus in Suffolcia situs in patrimonio familiæ hujus diu fuerat) contulit, ab Henrico VIII. jam illi destinatum, prætereaque munus Legati in Caleto ejusque confiniis dedit. Successit ei filius CAROLUS, huic nepos è filio, qui fatum illius anteverterat, VVILHELMUS.

(a) Baronag. II. 82. (b) Descr. Brit. p. 177. (c) Descr. Brit. p. 431.

SCHEMA FAMILIÆ
BARONUM WILLOUGHBY AB-

RADULPHUS DE WILEGHBY 1217.

Hugo de Wileghby. *Frethesenda, Wilhelmi de Cokerintonfil.*

Wilhelmus de Wileghby † improlis.

Robertus de Willoughby BARO DE ERESBY 1313. † 1316.

Johannes de Willoughby Baro de Eresby † 1349.

Johannes de Willoughby Junior Baro de Eresby † 1372.

Robertus de Willoughby Baro de Eresby † 9. Aug. 1396.

1. Wilhelmus de Willoughby Baro de Eresby † m. Dec. 1409. 1. *Lucia, Aliva Strange de Knokynfil.* 2. *Johanna Thomæ Holand C. Cantii f. Edmundi D. Eborac. vidua.*

1. Robertus Baro Willoughby Comes de Vendosme & Beaumont *Eques Perisc.* † 25. Jul. 1452. 1. *Elisabetha Montacute Joh. C. Salisbur. f.* 2. *Mathilda Radulphi B. Cromvvell neptis & cohæres.*

Thomas de Willoughby. *Johanna, Richardi Arundell f.*

Johanna nup. *Richardo Baroni Welles & Willoughby.*

Robertus Willougby † 30. Marr. 1465. *Cecilia, Leonis Bar. Welles f.*

Robertus Willoughby † 24. Marr. 1467.

Christophorus Willoughby † 1499.

Wilhelmus Baro Willoughby de Eresby † 17. Oct. 1527. *Maria Salines, Hispana.*

Carolus Willoughby.

Thomas Willoughby.

Christophorus Willoughby. *Elisabetha, Georgii Talbois f.*

Johannes Willoughbi.

Catharina nup. 1. *Carolo Brandon D. de Suffolk.* 2. *Richardo Bartu.*

Wilhelmus BARO Willoughby de Parham cr. 20. Febr. 1547. † 1574. Uxor 1. *Elisabetha, Thomæ Heneage fil.* 2. *Margarita Garnish, Walteri Devereux Vicecom. Hereford vid.*

1. Carolus Baro Willoughby de Parham. *Margarita, Eduardi Clinton C. Lincoln. f.*

Wilhelmus Willoughby † ante patrem. *Elisabetha, Christophori Hibliard f.*

Wilhelmus Baro Willoughby de Parham. *Francisca Joh. Mannours C. Rutland f.*

Franciscus B. Willoughby de Parham. *Elisabetha, Eduardi Cecill Vicec. Wimbleton f.*

Francisca nupta *Bulstrodo Whitloke de Chilton.*

Wilhelmus † juv.

Diana nup. *Heneagio C. de Winchelsey.*

Francisca ux. *Wilhelmi B. Brereton.*

Elisabetha nup. *Rogero Jones Vic. Ranellagh.*

Georgius B. Willoughby de Parham † 1674. *Elisabetha, Henrici Fienes f.*

Henricus † cœl.

Johannes. Wilhelmus † cœlebs.

Johannes B. Willoughby de Parham † ante a. 1679.

WILLUGBIENSIS,
ERESBY BROOKE ET PARHAM.

Robertus de Wilegby † post a. 1264. Uxor: N. *Orreby*.

Wilhelmus de Wileghby 1270. *Alicia, Johannis Bec Bar. ab Eresby f.*

Margarita Baronis Deincourt *fil.*

Johanna, N. Rosceline fil. & heres.

Cecilia, Roberti de Ufford C. Suffolciæ fil.

Ux. 1. *Alicia* . . . . . 2. *Elisabetha, Johannis B. Nevil de Raby f.*

1. Robertus de Willoughby. Thomas de Willoughby. Johannes de Willougby. Bryanus de Willoughby.

Johannes Willoughby. *Anna, Edmundi Cheney de Brooke fil. & coheres.*

Robertus Willoughby BARO BROOKE † 1502. *Blanca, Roberti Champernon fil.*

Robertus Willoughby Baro Brooke *Eq. Per.* † 10. Nov. 1521. Ux. 1. *Elisabetha, Richardi Beauchamp de Povvick f.* 2. *Dorothea Thomæ Grey M. Dorset f.*

1. Eduardus Willoughby † ante patrem. *Elisabetha, Richardi Nevill B. Latimer f.* 2. Henricus Willoughby. Wilhelmus Willoughby. † Elisabetha nup. 1. *Wilhelmo Fitz-Alan Com. Arundel.* 2. *Joh. Paulet M. Vinton.* Anna nup. *Carolo Blount Bar. Montjoy.*

Elisabetha nup. *Fulconi Grevill de Milcote.* Anna † innupta. Blanca ux. *Francisci Dautrey.*

Ambrosius Willoughby. Anna ux. *Wilhelmi Pelham, de Brokelsby.* Maria. Catharina nup. *Johanni Savile de Hovvley.*

Thomas Willoughby. Catharina ux. *Josephi Godfrey de Thunnock.* Maria nup. *Wilhelmo Booth.* Elisabetha ux. *Wilhelmi Hickmann.*

Wilhelmus Baro VVilloughby de Parham † 1666. *Anna Philippi Carey f.* Elisabetha † cælebs.

Jacobus. † Carey. † Carolus Baro Willoughby de Parham † ante a. 1682. *Maria* . . . . Francisca ux. *Joh. Harpur de Svvarkeston.* Elisabetha. † Anna nup. *Joh. Harpur de Calke.* Maria. † Catharina.

Thomas Baro Willoughby de Parham.

HELMUS pater FRANCISCI, qui mascula orbatus prole avitum honorem fratri suo WILHELMO tradidit: is insulæ *Barbados* præfectus, quæ in numero est Americanarum, Caribes sive Antillæ dictarum, postquam naufragio apud Martinicam periisset, illum gnato suo GEORGIO reliquit, à quo ad JOHANNEM ejus filium devenit, maturefato suo functum, inter Pares enim, qui ad Parlamentum à R. Carolo II. anno 1679. habitum citati fuerunt, CAROLUS *Baro Willoughby de Parham* recensetur, cujus nominis patruum ille habuit; porro in Catalogo Nobilitatis Anglicæ à Dugdalio anno 1681. edito THOMAS *Willougbejus* enumeratur, *Carolo*, interea mortuo, fortassis prognatus.

Scutum, quo *Barones VVillougbeji* uti consueverunt, *quadripartitum* est, in prima & quarta areola *nigra crucem dentatam auream*, in secunda vero & tertia *rubea*, *crucem anchoratam argenteam* deferens. In *casside caput humanum*, *coma & barba hirsutum*, *sed corona cinctum* conspicitur; *telamones* adsunt à dextris *struthio argenteus soleam ferream rostro tenens*, à sinistris *vir sylvestris fronde caput redimitus & pubem contectus*.

CAPUT XCI.

DE BARONIBUS PAGET *ET* NORTH.



WILHELMUS PAGET BARO PAGET Willougbejum excipit: ea familia incrementa sua atque ornamenta *abavo* illius *cognomini* accepta refert, qui mediocri loco natus sola animi ac ingenii præstantia supra fortunam surrexit, atque ad veram nobilitatem pertigit. Multis vero ille gradibus ad hanc Baronis dignitatem adscendit, quos, *Camdeni* verbis parentalibus, enumerare juvat: *Vitam*, inquit, *cum morte commutavit ætate jam ingravescente Guilielmus Baro Pagetus, quem ad amplissimos honores sua virtus extulit: præclara enim eruditione & prudentia meruit, ut Henricus VIII. in Secretarium adsciverit, Legatum ad Carolum Imperatorem & Franciscum I. Galliarum Regem miserit, & inter regni curatores tenella filii ætate nominaverit; Edvvardus Sextus Ducatus Lancastriæ Cancellarium, Aulæ regiæ Censorem sive Contrarotulatorem constituerit, ad Baronis honorem evexerit & Georgiana Periscelide donaverit, (quam tamen Dudlejus Northumbrius ignominiose detraxit & Maria cum honore ut prudentia & consilio optime de Republica promerito restituit) custodiaque privati sigilli præfecerit, qui inter summos civilium honorum quartus (Henricus enim VIII. ex lege Parlamentaria primum locum Cancellario, secundum Thesaurario, tertium Regii Consilii Præsidi & quartum Privati sigilli Custodi detulit, & supra quidem omnes Duces; Regum filiis, fratribus, patruis & nepotibus exceptis) Elisabetha negotiis jam præ ætate imparem publicis curis, quod expetiit, laxavit, charissimumque habuit, licet Romanæ religioni deditissimum.* Filios reliquit HENRICUM & THOMAM, qui invicem in Baronis honore successerunt & CAROLUM. Hic nec non frater ejus *Thomas* Baro Paget cum zelo religionis impulsi clam consilia literasque cum Maria Scotorum Regina & Franc. Throcmortono conjurationis architecto miscuissent, & re detecta malum formidassent, solum clam verterunt, & in Galliam se subduxerunt, deindeque in comitiis Parlamentariis 1586. proscripti & bonis mulctati sunt. *Thomas* Bruxellis decessit relicto filio unico WILHELMO, quem Rex Jacobus in facultates ac honores restituit: is avus est *VVilhelmi* IV. viventis, cujus summam, qua pollet, prudentiam, multarumque rerum usum hæc colit ætas, & sagacissimus Regum Wilhelmus III. sua comprobavit sententia, cum ei legationem in aula Cæsarea extraordinariam nuper demandaret, è qua felix mediocritati nostræ nata est occasio salutandi illustrem virum in itinere, & obviam prolixamque ejus humanitatem in præsentis commodum operis convertendi.

Insignia Baronum *Paget* scuto constant *nigro*, *in quadras mediante cruce argentea dentata & quinque leunculis nigris onerata diviso, aquilis argenteis quadras implentibus.*

Franciscus

SCHEMA BARONUM PAGET.

WILHELMUS PAGET BARO PAGET de Beaudesert
cr. 3. Dec. 1550. *Eques Perisc.* † 1564.
Anna Preston.

Henricus Baro Paget † 1569 *Cathar. Henrici Knevet f.*	Thomas Baro Paget † 1589. *Nazareta, Henr. Nevvton f.*	Carolus Paget.	Eleonora ux. 1. N. *Palmer*, 2. *Rulandi Clerk.*	Grisilda nup. 1. *Wilh. Waldgrave*, 2. *Thomæ Rivet*,	Johanna ux. *Thomæ Kitson.*	Dorothea nup. *Thomæ Willoughby.*	Anna.

Elisabetha nup. *Henrico Lee.*	Wilhelmus Paget II. Baro Paget † m. August. 1628. *Maria, Henrici Knolles Armigeri fil.*

Wilhelmus III. B. Paget † *Francisca Henrici Rich C. Holand f.*	Henricus Paget † cœlebs	Thomas Paget † cœlebs	Elisabetha ux *Wilhel. Hiks de Ruckholt.*	Dorothea † innupta.	Catharina nup. *Antonio Irby de Boston.*	Anna nup. 1. *Simoni Harecourt* 2. *VVilhelmo VValler.*

Wilhelmus IV. B. Paget *Francisca Francisci Pierpoint f.*	Isabella † innupta.	Lætitia ux. *Richardi Hampden.*	Elisabetha † cœlebs.	Francisca ux. *Rulandi Hunt de Boreatton.*	Penelope nup. *Philippo Foley de Prestvvood.*	Diana ux. *Henrici Ashurst.*	Anna † cœlebs.

SCHEMA BARONUM NORTH.

EDUARDUS NORTH Rogeri North de Walkringham F. BARO North cr. 1553. † 31. Dec. 1564. 1. *Alicia Squyer.* 2. *Margarita Butler, Davidis Brooke vidua.*

1. Rogerus Baro North † m. Dec. 1600. *Winefridis, Richardi Bar. Rich fil. Henrici Dudley vid.* | Thomas North. | Christiana nup. *Wilhelmo Somerset M. Wigorn.* | Maria ux. *Henrici B. Scroope.*

Johannes North † ante patrem. *Dorothea, Valentini Dale ICti fil.* | Henricus North. | Maria.

Dudlejus North Baro North † 6. Jan. 1666. *Francisca Johannis Broket de Broketshall f.* | Johannes North. | Rogerus North. | Gilbertus North. | Elisabetha.

Dudlejus North B. North † . . . . *Anna. Carols Montagu fil.* | Johannes North. | Carolus North † juv. | Robertus North † juv. | Dorothea nupta *Richardo B. Dacres of the South.* | Elisabetha † cælebs.

Carolus North Baro North & Baro Grey de Rolleston. *Catharina Wilhelmi B. Grey de VVarke fil. Eduardi Moseley vid.*	Franciscus North Baro Gvilford cr. 1683. Cancellarius Angliæ † m. Sept. 1685.	Dudlejus North.	Johannes.	Montacutus.	Rogerus.	Maria ux *Wilhelmi Spring de Pakenham.*	Anna.	Elisabetha nup. *Roberto Wiseman.*	Christiana ux. *Georgii Wyneive de Brettenham.*

FRANCISCUS HOWARD EFFINGHAM, de cujus familia superius dictum est, Pagetum excipit, hunc CAROLUS NORTH BARO NORTH nec non BARO GREY DE ROLLESTON: huic lumen, quo effulget, inter majores prætulit EDUARDUS NORTH, quem R. Henricus VIII. ob spectatam fidem ac prudentiam inter Executores supremæ suæ voluntatis, nec non Consiliarios filii & successoris Eduardi VI. denominavit, & deinde Maria in Baronum Ordinem provexit: id honoris ille fato suo functus ad gnatum ROGERUM transmisit: hunc Comes Suffexius, à Regina Elisabetha a. 1567 ad Imperatorem Maximilianum cum *Georgiani Ordinis* Insignibus, & nuptiarum cum Carolo Archiduce ergò missus, sibi itineris Comitem adjunxisse apud *Camdenum* (a) legitur, sed à Leicestrio subornatum, *ut quid diceretur subauscultaret, quid ageretur observaret, & quantum Suffexius nuptias illas promoveret, tantum ille clam impediret.* Post septennium ipsemet Legatus à dicta Regina missus est in Galliam, *ut Henrico III. è Polonia reduci regnum novum & reditum congratularetur, Galliæ intestinis bellis convulsæ condoleret, pacemque & edictorum observationem suaderet*, quemadmodum *citatus autor* (b) memoriæ prodidit. A. 1596 Francisco Knolles in Thesaurarii munere surrogatus, spartam hanc quadriennii & quod excurrit, spatio ornavit, atque anno seculari in cœlestem patriam placide emigravit, *vir vivido ingenio, animo consilioque par.* (c) Successit in hæreditate DUDLEJUS NORTHUS ex filio *Johanne* & *Dorothea* gnata & hærede *Valentini Dali Juris consultissimi* nepos. Is avus fuit CAROLI & FRANCISCI, quos R. Carolus II. novis auxit titulis, illum a. 1673. *Baronem Grey de Rolleston*, hunc a. 1685. *Baronem Guilford* creando. Prior superstite patre titulum illum accepit, eoque mortuo cum avito conjunxit: posterior togæ artibus illustratus, *Præses Curiæ Communium Placitorum*, & denique ineunte anno 1683. *Cancellarius Angliæ* nec non *Custos Magni Sigilli* evasit, quam dignitatem una cum spiritu sub initia regni Jacobi II. deposuit.

Scutum, quo *Northorum* familia uti solet, *aureum* est, *leonem gradientem aureum* continens, quem *lilia tria argentea* ambiunt. In *apice caput Draconis nigrum, aurea corona collum cinctum* conspicitur.

CAPUT XCII.

DE BARONIBUS CHANDOS.

JACOBUS BRUGGES BARO CHANDOS à Northensi proximus est: is titulus veteri familiæ, quæ una cum Wilhelmo Conquestore in Angliam translata usque ad Henrici VI. ætatem duravit, cognomentum præbuit: ex illa *Alicia* Johannis *Chandos* octavo dicti Regis anno defuncti gnata in Bruggensem familiam enupsit, & mater facta est *Ægydii Brugges*, à quo JOHANNEM BRUGGES, quem Regina Maria primo regni sui anno *Baronem Chandos de Sudley* creavit, descendisse *Dugdalius* refert. Successit illi filiorum natu maximus EDMUNDUS, quem multis fortibus factis in bello Scotico, auspiciis Eduardi VI. gesto, & gloria militari illustrem, Elisabetha Ordinis Georgiani insignibus decoravit, patrem ÆGYDII & VVILHELMI, qui sibi invicem in avitum honorem successerunt. Posterior GRAJUM genuit, qui in Italia vitæ munus implevit, relictis post se filiis duobus: eorum natu major ac hæres præcipuus GEORGIUS R. Carolo I. fidelem ac strenuum virum præbuit, & præcipue in Neuberiensi prælio capitis discrimen pro illo adeundo meruit, ut ad *Comitis de Neuberie* honorem proveheretur, quo tamen se usurum negavit, donec placitum fuisset Deo, Regi pacem ac incolumitatem reddere. Ea autem spe frustratus interregno durante è vita discessit, & fratrem VVILHELMUM hæredem aviti tituli nactus est, possessionum verò suarum maximam partem in conjugem, quam post se reliquit, *Johannam* nempe transtulit. *Wilhelmus* regnante Carolo II. mortuus successorem habuit JACOBUM, initio nominatum, qui utrum illo fuerit prognatus, an à quodam filiorum natu minorum Johannis primi Baronis Chandos descenderit, incompertum habeo.

Scuto familia enumerata utitur *argenteo*, cui *crux nigra, capite leopardino aureo in meditullio ornata* impressa est. *Galeam caput virile fascia cærulea cinctum ornat: telamonum* vices utrinque *castor argenteus* implet.

(a) *Annal. Elis. p. 122.* (b) *Ib. p. 260.* (c) *Ibid. p. 780.*

Tab. CXXIV.

SCHEMA BARONUM CHANDOS E BRUGGENSI STIRPE.

JOHANNES BRUGGES de Coverley Eques, BARO CHANDOS, cr. 8. Apr. 1554. † eod. anno. *Elisabetha, Eduardi Bar. Grey de Wilton fil.*

Edmundus Brugges Baro Chandos, *Eq. Perisc.* † 1572. *Dorothea, Edmundi B. Bray f.*	Carolus Brugges de Wilston.	Antonius Brugges.	Richardus Brugges	Maria nup. *Henrico Trecy de Alderton.*	Catharina ux. *Eduardi Baronis Dudley.*

Ægydius Brugges Baro Chandos † 21. Febr. 1594. *Francisca, Eduardi Clinton, C. Lincoln. fil.*	Wilhelmus Brugges Baro Chandos † 1602. *Maria Ovveni Hapton f.*	Eleonora nup. *Georgio Giffard de Chillington.*	Catharina ux. *Wilhelmi Bar. Sands.*

Elisabetha ux. *Joh. Kennidu Eq.*	Catharina nup. *Francisco Bar. Russel de Thornhaug C. Bedford.*	Grajus Brugges Baro Chandos † 1621. *Anna Stanley, Ferdinandi C. Darb. f.*	Francisca nup. 1. *Thomæ Smith.* 2. *Thomæ Cecill C. Excon.*	N. uxor *Thomæ Turvile.*	Beata nup. *Henr. Poole de Saperton.*

Georgius Brugges Baro Chandos design. Comes de Newberie † m. Febr. 1655. Ux. 1. *Susanna, Henr. Montagu C. de Manchester f.* 2. *Johanna Johannis Savage C. Rivers f.*	Elisabetha nup. *Jacobo Touchet B. Audley C. de Castlehaven.*	N. uxor N. *Tortesom.*	Wilhelmus Brugges Baro Chandos † 167 . . .

1. Margarita, ux. *Wilhelmi Brovvnlovv de Humby.*	Elisabetha, nup. *Eduardo B. Herbert de Chirbury.*	2. Lucia nup. *Adamo Loftus de Refarnum.*	Catharina.	Maria.	Francisca.	Rebecca.	Jacobus Brugges B. Chandos. *Elisabetha.*

CAPUT XCIII.

DE BARONIBUS HUNSDON ET FAMILIA CAREYENSI.



Equitur ROBERTUS CAREY BARO HUNSDON; hujus familia non uno honorum titulo effloruit; origo ejus è Devoniensi Comitatu *Dugdalio* (a) referente manavit, atque in WILHELMO *Carey* inclaruit, qui in Tewkesburiensi prælio, postquam pro Lancastricis partibus strenue depugnasset, ab adversa parte captus & præter fidem datam securi percussus fuit. Ex iterato matrimonio duos is progenuit filios, quorum ille, qui è priore natus est, *Careyorum de Cokinton* sator extitit, alter gnatos duos post se reliquit, à quibus novæ propullularunt lineæ: quæ à majore natu JOHANNE provenit in HENRICO, ejus nepote, illustrata est, quippe quem R. Jacobus ad honorem *Vicecomitis Falkland* in Scotia provexit, & Hiberniæ vicaria potestate præfecit, patrem LUCII *Carey.* Hunc in disciplinis doctrinarum omnium præcellentem R. Carolus I. Secretarium Status sibi delegit, sed non ita multo post in Neuberiensi prælio egregia pro ipso morte defunctum amisit: natus ex ipso fortassis est *Antonius Carey Vicecomes Falkland*, qui inter Pares Scotiæ anno 1682. recensebatur.

Altera linea à WILHELMO *Carey*, Johannis fratre natu minore orta Barones pariter & Comites edidit, quos ad honores ipse *Wilhelmus* viam propagini suæ stravit matrimonio cum *Maria Bullena*, Reginæ Annæ sorore, contracto: filium enim ejus HENRICUM Elisabetha, simul ac ad regnum pervenit, ob propinquam sanguinis conjunctionem Paribus Angliæ adscripsit; & *Baronem Hunsdon* creavit, præterea que in Ordinem Georgianum adscivit, Berwico ob res in Scotia bene gestas præfecit, & denique Aulæ Regiæ Camerarium constituis, *quos honores & opes modicas*, *Camdeni* verbis, *consequutus*, *majores nunquam consectatus est, vir tamen animo magno, sed bilioso.* Excessit è vita septuagenario major, relictis aliquot filiis, quos inter natu maximus GEORGIUS honoris hæres *Ordinis Garterii* Eques, Vectæ insulæ præfectus, Reginæ Camerarius, & à sacris Consiliis fuit. Ei sine prole mascula defuncto successit frater JOHANNES, genitor HENRICI, quem R. Carolus I. titulis *Vicecomitis Rochford* & *Comitis de Dover* amplificavit: hos honores fato suo functus ad gnatum JOHANNEM transmisit, cum quo fine mascula prole intra annos 1670. & 1679. mortuo interciderunt; avitus autem titulus, *Hunsdonensis* scilicet, ad *Robertum Carey* devenit, qui inter Barones, ad Parlamentum anno regni Caroli II. primo & tricesimo citatos, enumeratur, sanguinemque vel à *Carolo* vel ab *Edmundo Careis*, quorum hic frater, ille filius natu minor Johannis Baronis Hunsdon erat, ducat, necesse est.

DE ROBERTO *Carey*, Henrici primi Baronis Hunsdon gnato postremo, dicendum restat, quod à R. Elisabetha confiniis Scoticis præfectus, à R. Jacobo d. 6. Febr. anno 1622. *Baro Carey de Lepington* creatus & denique à R. Carolo I. ad honorem *Comitis Monmuthiæ* evectus fuerit, hæredemque post se reliquerit HENRICUM; qui cum duorum, quos genuerat, filiorum funera turbato mortalitatis ordine extulisset, honores illos tumulo secum intulit, unde conjecturam facere licet, neque ex ipso neque ex fratre ejus *Thoma* masculum hæredem superstitem extitisse.

Insignia familiæ *Careyensis* in *campo argenteo baltheum nigrum tribus rosis argenteis ornatum* repræsentant; *cassidem* vero scuti *olor* premit.

(a) *Baronag.* III. 397.

SCHEMA FAMILIÆ

BARONUM HUNSDON, COMITUM DE DOVOR

WILHELMUS CAREY de Cokkington, *decoll.* 1470.

2. Thomas Carey de Chilton Foliot.

Johannes Carey. N. *Denny*.

Eduardus Carey. *Catharina, Henrici Knevet f. Henrici Bar. Paget vid.*

Henricus Carey Vicecomes Falkland † 1633. *Elisabetha, Laurentii Tanfield f.*

Georgius Carey B. Hunsdon *Eq. Per.* † 9. Sept. 1603. *Elisabetha, Joh. Spenser de Althorpe f.*

Johannes Carey B. Hunsdon † m. Apr. 1617. *Maria Leonardi Hyde de Thragkyn f.*

Lucius Carey Vicecomes Falkland occ. in pr. Neuber. 20. Sept. 1643. *Lætitia Richardi Morison f.*

Elisabetha nup. *Thomæ Berkley.*

Henricus Carey B. Hunsd. Vicec. Rochford cr. 1621. COMES DE DOVOR 1628. † 1668. *Judith, Thomæ Pelham de Loston f.*

Antonius Carey Vicec. Falkland.

Johannes Carey C. de Dovor, B. Hunsdon † . . . . . . 1. *Dorothea Oliverii St. John C. de Bolinbroke f.* 2. *Abigail, Wilhelmi Cokain f.*

Pelhamus Carey † improlis.

Georgius Carey.

Maria ux. *Thomæ Whorton*

Judith † innup.

Philadelphia.

2. Maria nup. *Wilhelmo Heveningham.*

Robertus Carey Baro Hunsdon. *Margarita.*

CAREANÆ
DE DOVOR ET DE MONMOUTH.

Ux. *Anna, VVilhelmi Paulet f. 2. Alicia Balduini Fulford f.*

Ux. *Margarita, Roberti Spencer de Spencercombe f.*

Wilhelmus Carey. *Maria Thomæ Bullen C. VVilton f.*

Henricus Carey BARO HUNSTON, cr. 13 Jan. 1559. *Eques Perisc.* † 23. Jul. 1596. *Anna, Thomæ Morgan f.*

Catharina nup. *Francisco Knolles* † 15. Jan. 1568.

Edmundus Carey.

Catharina nup. *Carolo Howard C. Nottingham.*

Philadelphia ux. *Thomæ B. Scroope.*

Margarita nup. *Eduardo Hoby.*

Robertus Carey COMES DE MONMOUTH cr. 5. Febr. 1626. † 12. Apr. 1639. *Elisabetha Hugonis Trevanion de Corribeigh f.*

Carolus Carey.

Anna nup. *Francisco Lavell de East-Harlyng.*

Blanca ux. *Thomæ VVoodhouse.*

Henricus Carey C. de Monmouth † 13. Jun. 1661. *Martha, Leonelli Cranfeild C. Middlesex. f.*

Thomas Carey. † 1648. æt. 33. Uxor. . . .

Philadelphia nup. *Thomæ VVharton.*

Magdalena † innup.

Theophila † cælebs.

Martha nup. *Johanni C. de Middleton in Scot.*

Trevaniana † cælebs.

Maria ux. *VVilhelmi Fielding C. de Desmond.*

Elisabetha.

Philadelphia † innup.

Anna nup. *Jacobo Hamilton C. de Clanbrasell.*

Henricus † ante patrem.

Leonellus † ante patrem.

Elisabetha nup. *Johanni Bar. Mordant Vicec. Avalon.*

CAPUT XCIV.

DE BARONIBUS PETRE.



THOMAS PETRE BARO PETRE, qui Hunsdonii latus claudit, *abavum* habuit *ejusdem nominis*, Equitem Auratum, è sanctiori consilio & à secretis Henrico VIII. Eduardo VI. Mariæ & Elisabethæ, Ordinisque *Garterii* Cancellarium, multis legationibus cum laude perfunctum, *qui ex honesta familia Exoniæ natus, cum prudentia & doctrina magnas opes collegisset, ad doctrinam promovendam, Exoniense Collegium in Academia Oxoniensi, in quo educatus, favente Maria Regina annuis proventibus benefice adauxit*, quemadmodum *Camdenus*(a) literis prodidit. Ejus filium JOHANNEM Rex Jacobus primo regni sui in Anglia anno in Baronum Ordinem extulit, quam dignitatem is ad gnatum natu maximum WILHELMUM transmisit multorum patrem filiorum, quos inter tertiogenitus EDUARDUS sectæ Jesuitarum se adjunxit, hodieque nomine *Patris Petre* famosus, turbarum & motuum, quibus jactata ab aliquot annis est Anglia, culpam, si non omninò, saltem magna ex parte sustinet. Nepos ejus è fratre natu maximo WILHELMUS *Baro Petre* conspirationis Pontificiorum a. 1678. detectæ consors in Turrim una cum aliis Proceribus eidem religioni addictis (quales erant *Comes* nunc *Marchio de Powys, Vicecomes de Stafford, Barone: Bellasis & Arundel de Wardour*) conjectus fuit, ubi supremum explevit diem, prole nulla, sed fratre THOMA successore relicto.

Insignia Baronum *Petre fasciam diagonalem auream, conchis duabus argenteis stipatam, & solo rubeo inductam repræsentant.*

(a) *Annal. Elis. p. 239.*

CAPUT

Tab. CXXVI.

SCHEMA BARONUM PETRE.

WILHELMUS PETRE, Johannis Petre de Torbigan F. Eques † 13. Jan. 1572. Uxor 1. *Gertrudis Joh. Tirrel de VVarley f. 2. Anna, VVilhelmi Brovvne Prætoris Londinensis fil.*

1. Elisabetha nup. *Johanni Gostwike de VVillington.*	Dorothea uxor *Nicolai Wadham de Meryfield.*	2. Johannes Petre BARO Petre de Writtle cr. 21. Jul. 1603. † . . . . *Maria, Eduardi VValdgrave f.*	Catharina ux. *Johan. Talbot de Graffton.*	Thomasina uxor *Ludovici Grevill de Milcot.*

Wilhelmus Petre B. Petre de Writtle † 5. Maji 1627. *Catharina Somerset, Eduardi C. Wigorn. f. † 31. Oct. 1625.*	Johannes Petre.	Thomas Petre.

Robertus B. Petre † 11. Jun 1638 *Maria Brovvne Antonii Vicec. Mountague f.*	Wilhelmus Petre.	Eduardus Petre, *Jesuita.*	Johannes Petre.	Thomas Petre.	Henricus Petre.	Georgius Petre.	Elisabetha nup. *Wilh. Sheldon de Beoley.*	Maria ux. *Johan. Roper B. Tenham.*	Catharina nup. *Joh. Carrel.*

Wilhelmus B. Petre de Writtle † *ūv.* m. Jan. 1685. 1. *Elisabetha, Johannis Savage C. Rivers f. 2. Brigitta Johannis Pincheon de Writtle f.*	Johannes Petre †	Thomas Petre B. Petre de Writtle.	Maria nupta *Eduardo Stourton.*	Dorothea uxor *Joh. Thimelby de Irnham.*

CAPUT XCV.

DE BARONIBUS DE WARDOUR.



CAROLUS GERARD BARO GERARD DE BROMLEY Petreum excipit, cujus quoniam ſuperius occaſione *Comitis Macclesfeldiæ* eodem genere orti, mentio injecta fuit, ad HENRICUM BARONEM ARUNDELLIUM DE WARDOUR progredimur. Hujus familia perantiqua eſt ac nobiliſſima, utpote illa jam tempeſtate, qua Normanni Angliam occuparunt, pollens potensque: cum enim à Wilhelmo Conqueſtore cenſus per omnem ageretur Angliam, *Rogerus de Arundell* ſeſe poſſeſſorem XXVIII. dominiorum in Somerſettia profeſſus eſt, quemadmodum *Dugdalius (a)* memorat. Neque attenuatæ ſunt proceſſu temporis gentis hujus fortunæ, ſed poſterioribus etiam ſeculis ampliſſimas habuerunt, ita ut *Camdeno (b)* referente *Arondelli* non ita pridem *magni* dicti fuerint. Latine de *Hirundine* alicubi ſcriptos eſſe *idem autor* ſubjicit, neque ex ipſius ſententia male, ſi *Gallica* avis illius *appellatio* nec non *inſignia* gentis, *hirundines* repræſentantia ſpectentur; ad quæ etiam collineaſſe ait poetam *Wilhelmum Britonem*, cum ſtrenuum ex Arondelliorum familia virum, qui Gallum quendam a. 1170. acerrimo aggreſſus eſt impetu, hunc in modum deſcriberet:

- - hirundela velocior alite, quæ dat
hoc agnomen ei, fert cujus in ægide ſignum,
ſe rapit agminibus mediis, clypeoque nitenti,
quem ſibi Guilielmus læva prætenderat ulna,
immergit validam præacutæ cuſpidis haſtam.

Diducta eſt ſtirps Arondellia complures in ramos, quos inter *Lanheronenſis*, à caſtro in Cornubia ſito ita appellatus, caput extulit; ab eo duo iterum enati ſunt palmites, quorum ſatores JOHANNES & THOMAS *Arondellii*, *Johannis* filii, fuerunt: ille enim *Arondellios de Lanherne* propagavit, hodieque florentes, hic domicilium in caſtrum *Wardour*, quod in Comitatu Wiltoniæ ſitum eſt, transtulit, & poſtquam inter piacula, quibus Joh. Dudleji D. Northumbriæ invidia odiumque adverſus Ed. Seimorum D. Somerſettiæ ac regni protectorem luendum erat, relatus capitali affectus eſſet ſupplicio, gnatum reliquit, qui ſibi poſterisque cognomen à caſtro modo memorato indidit. Hoc genitus eſt THOMAS *Arondell de Wardour*, quem Reginæ Eliſabethæ literis Imperatori Rudolpho commendatum & bello Hungarico ad Strigonium contra Turcas præclare meritum ille anno 1596. honorariis literis *Sacri Imperii Comitem* omnesque & ſingulos ejus hæredes & poſteros & deſcendentes legitimos utriusque ſexus natos æternaque ſerie naſcituros, *Sacri Imperii Comites & Comitiſſas* creavit. Hoc honoris titulo cum ille ad penates reverſus apud vulgum inclareſceret, quæſtio suborta eſt, *an ejusmodi titulus à Principe extero, Regina inconſulta, ſubdito collatus, ſit admittendus*: illa utramque in partem ventilata, Baronibus autem Angliæ, qui id ſibi ſuisque fraudi in honoris prærogativa futurum augurabantur, adverſantibus, Regina conſulta dictitavit. *Inter Principes & ſubditos arctiſſima intercedit animorum colligatio. Ut mulieres pudicæ non in alium quam maritum, ita nec ſubditos in alium, quam quem Deus dedit principem, oculos conjicere decet. Nollem oves meas alieno ſtigmate inuri, nolim alieni paſtoris ſibilum ſequi.* Poſtea Rex Jacobus autoritate ſua finivit diſceptationem & mandavit illi dignitatem Baronis Angliæ, monuitque ut Comitis uſurpatione abſtineret, quemadmodum *Camdenus (c)* & *Johnſtonus (d)* literis prodiderunt.

E filio Thomæ Comitis & Baronis Arondellii natu majore ejusdem prænominis ortus eſt HENRICUS, quem initio nominavimus, & paulo ante inter proceres Angliæ pontificios in cuſtodia extremis R. Caroli II. annis detentos numeravimus. Ex ea liberatum Jacobus II. viciſſim *Cuſtodem* fecit, non equidem hominum, ſed *ſigilli Secreti*, hoc autem munere ſub novo Rege exutus, idque in Marchionem Halifaxium translatum eſt.

Hirundines, quas *inſignium* loco ab *Arondelliis* deferri dictum eſt, *ſex* ſunt, *argento tinctæ in campo nigro.*

(a) *Baronag. III. 422.* (b) *Deſcr. Brit.* (c) *Annal. Eliſ. p. 679. & ſeqq.*
(d) *Hiſt. Brit. Lib. VII. p. 220.*

SCHEMA BARONUM ARUNDELL DE WARDOUR.

THOMAS ARUNDELL de Lanherne Johannis F.
Catharina, Johannis B. Dynham fil. ac hær.

Johannes Arundell de Lanherne Eques Balnei † 1544.
Ux. 1. *incomperta.* 2. *Catharina, Thomæ Grenevile Equitis filia.*

1 Johannes Arundell de Lanherne.

1. Thomas Arundell de Wardour Eques decoll 1552. *Margarita, Edmundi B. Hovvard f.*

2. Maria nup. 1. *Roberto Radcliffe C. Suffex* 2. *Henrico Fitz-Alan C. Arondell.*

Matthæus Arundell de Wardour Eques.
Margarita, Henrici Willoughby de VVolleton f.

Thomas Arundell de Wardour COMES S. Rom. Imp. cr. a 1595. BARO Angliæ 1606. † 1639. Ux. 1. *Marie VVriothesley, Henrici C. Southanton f.* 2. *Anna Milesii Philipson de Crooke f.*

1. Thomas B. Arundell de VVardour † 1643. *Blanca Somerset, Eduardi C. VVigorn. f.*

1. VVilhelmus Arundell de Hornisham. *Maria, Antonii Brovvn, Vicec. Mountague f. VVilhelmi Paulet vid.*

1. Elisabetha nup. *Joh. Philipot Equiti.*

2. Matthæus, 2. Thomas, 2. Fridericus — obiere in juv.

1. Catharina ux. *Radulphi Eure.*

2. Maria, nupta *Joh. Somerset Eq.*

2. Anna ux. *Cecilii B. Baltamore.*

2. Francisca nup. *Joh. Talbot C. Salop.*

2. Margarita ux. *Joh. Fortescue de Salden.*

2. Clara nup. *Humphredo VVeld.*

Henricus Baro Arundell de VVardour. *Cecilia, Henrici Compton fil. Johannis Fermour de Somerton vid.*

Catharina nup. *Francisco Cornvvallis.*

Anna ux. *Rogeri Vaughan.*

Carolus Arundell *Maria Johannis Talbot C. Salop. fil.*

Thomas Arundell *Maria, Thomæ Spenser de Vston f. Roberti Luciæ vid.*

Henricus Arundell.

Cecilia *monialis.*

CAPUT XCVI.

DE BARONIBUS TENHAM ET BROOK.



HRISTOPHORUS ROPER BARO TENHAM Arondellio de Wardour succedit; hujus genus *Dugdalius (a)* à JOHANNE Ropero Procuratore Generali Regis Henrici VIII. derivat, cui è gnato cognomini filii duo fuere: eorum natu major WILHELMUS è filia Thomæ Mori celeberrimi Angliæ Cancellarii *Roperos ab Eltham* propagavit, minor CHRISTOPHORUS pater extitit JOHANNIS, quem R. Jacobus I. primo regni sui in Anglia anno equestri ornavit honore, & elapso anno XIII. *Baronem Tenham*, cujus nominis prædium elegans Roperi possident, creavit. Eam dignitatem posteri Johannis sibi invicem quasi per manus tradiderunt in ipsius abnepote fulgentem.

Insignia Roperorum Baronum *Tenham* ita *Gibbonus (b)* expressit: *clypeum diametro sectum, & dein perpendiculis in senas, cæruleas vicissim & aureas delineatum areas, quarum quælibet coloris primi, capite Capreoli lacerò; prædicti metalli est impressum.*

FULCO GREVILL BARO BROOK sanguinem ducit ab EDUARDO *Grevill de Milcote*, equestris loci viro in Comitatu VVarwicensi: is tutor constitutus *Elisabetha Willoughbeja*, quæ Roberti VVilloughbeji Baronis *Brooke* & Elisabethæ Bellocampe *de Povvyk* avi aviæque suæ hæres evaserat, cum illam filio suo natu majori JOHANNI uxorem destinaret, ipsa ad minorem FULCONEM animum adjecit, huicque nupsit. Hoc conjugio is amplis locupletatus possessionibus in castro *Beauchamps-court*, quod ad dynastiam Alcesterensem pertinet, domicilium fixit, *filiumque* genuit sibi *cognominem* patrem FULCONIS III.; Is non minus armorum peritia quam multis literis ac eleganti scientia præditus & *summus doctorum Mecænas* (quo encomio à *Camdeno (c) in Annalibus* ornatur) varia ingenii monumenta prosa ligataque oratione scripta, posteritati reliquit, & Philippi Sidneji, juvenis amœnissimi ingenii, quocum omnes ipsi intercesserant amicitiæ necessitudines, memoriam literis consecravit, quemadmodum *Wilh. Winstanley* in commentario *de vitis Poetarum Anglicorum* notavit. A Regina Elisabetha æque ac R. Jacobo I. magno in pretio habitus atque à posteriore in sanctius Consilium adscitus Thesaurarius ac fisci Cancellarius constitutus & deniq; in Baronum Ordinē provectus ac *Lord Brook of Beauchamps-court* salutatus est; postquam vero a. 1620. dictum Cancellarii munus abdicasset, inter primos Regis Cubicularios locum accepit. Mortem obiit infaustam ac violentam, à quodam domesticorum suorum, qui maximam ætatis suæ partem ipsi inserviendo consumserat, nec tamen condignis præmiis affectus esse sibi videbatur, sica in tergo percussus, cujus flagitii pœnitentia ille mox tactus, ipse sibi manus intulit. Corpus exanimati VVarwicum deportatum & tumulo illatum fuit, quem ipse exstrui, & hoc epitaphio insigniri curaverat. *Fulke Grevill, Servant to Queen Elisabeth, Cancellor to King James, and Friend to Sir Philip Sidney. (d)* Vitam coluerat cœlibem, quare ROBERTUM *Grevillum*, propinquum suum, nactus est successorem, à R. Jacobo ipsi, cum Baro crearetur, jam substitutum: is flagrante bello civili ad Parlamenti partes cum descivisset, & ædem quandam prope Lichfeldiam præsidio Regio munitam oppugnare & tormentis infestare occepisset, pila oculum transverberatus, protinus occidit; vir cætera egregius & multarum virtutum: E filiis, quos quinque sustulit, tres sibi invicem in Baronis honore successere, eo quod natu maximo FRANCISO uxor non ducta, & ROBERTO mascula proles nulla genita esset, FULCO illorum natu minimus isque initio nominatus, in vivis superest.

Scutum Grevillorum Baronum *Brook nigrum, & aureo margine circumdatum est, crucem* deferens *argenteam.*

(a) Baronag. III. 433. (b) Introd. ad. Lat. Blas. p. 17. (c) p. 848. (d) Dugdal. Bar. III. 443.

SCHEMA FAMILIÆ ROPERIÆ BARONUM TENHAM.

JOHANNES ROPER ab Eltham, Johannis F.
Jana, Johannis Fineux f.

Wilhelmus Roper ab Eltham. *Margarita, Thomæ Mori f.*	Christophorus Roper de Lodge. *Elisabetha, Christophori Blore de Renham f.*

Johannes Roper BARO Tenham cr. 9. Jul. 1616. † m. Aug. 1618.
Elisabetha, Joh. Parke de Malmaine f.

Christophorus Roper Baro Tenham. *Catharina, Joh. Sebourne de Sutton St. Michael f.*	Elisabetha nupta *Georgio Vaux.*	Jana ux. *Roberti Lovel.*

Johannes Roper B. Tenham † 10. Febr. 1627. *Maria, Wilhelmi B. Petre f.*	Wilhelmus Roper.	Brigitta nup. *Roberto Hurleston de Saxon.*	Maria *Abbat.* Gandavi.	Catharina. ux. *Roberti Thorold.*	Elisabetha nup. 1. *Joh. Plunket* 2. N. *Bagnall.*

Christophorus Roper B. Tenham † 23. Oct. 1673. *Maria Francisci Englefeild de Wotton-Basset f.* 2. *Philadelphia Knolles.*	Franciscus Roper.	Wilhelmus Roper.	Catharina.	Elisabetha ux. *Joh. Arundel de Lanherne.*	Maria *monialis* Gandavi.	Margarita † juv.

1. Johannes Roper † juv.	Francisca.	2. Christophorus Roper Baro Tenham. *Elisabetha, Francisci Browne Vicec. Mountagu f.*	Henricus Roper	Thomas Roper.

Catharina. Elisabetha.

SCHEMA GREVILLORUM BARONUM BROOK.

EDUARDUS GREVILL de Milcote vixit a. 1522.

Johannes Grevill de Milcote.	Fulco Grevill de Alcester, Eques † 10. Nov 1559. *Elisabetha, Eduardi Willoughby f. Roberti Bar. Brook neptis & hæres.*

Ludovicus Grevill de Milcote *Thomasina, Wilhelmi B. Petre f.*	Fulco Grevill de Beauchamps-court † 1606. *Anna, Radulphi Nevill C. Westmorland f.*	Robertus Grevill.

Fulco Grevill BARO Brook de Beauchamps-court cr. 9. Jan. 1621. † cœlebs 30. Sept. 1628. æt. 74.	Margarita nup. *Richardo Verney.*	Fulco Grevill.

Robertus Grevill Baro Brook de Beauchamps-court † 2. Mart. 1643.
Catharina, Francisci Russel C. Bedford. f.

Franciscus Grevill Baro Brook † cœlebs.	Robertus Grevill Baro Brook † *Anna, VVilhelmi Dodington de Bremer f.*	Eduardus Grevill † cœlebs.	Algernon Grevill † cœlebs.	Fulco Grevill Baro Brook *Sara*

Anna uxor *VVilhelmi Pierpoint C. de Kingston.*	Dodingtonia.

CAPUT XCVII.

DE BARONIBUS GRAY DE WERKE ET POWYS.



FORDEUS GRAIUS BARO GRAIUS DE WERKE Brookii latus nunc claudit, postquam *Radulphus Baro Mountagu*, qui medius illis interceſſerat, ad honorem Comitis provectus eſt. Genus ille à nobili ac antiqua in Northumbria ſtirpe ducit, quæ Regum Eduardorum ætate ſtrenuos edidit viros, quorum aliquos *Dugdalius* equidem laudando enumeravit, ſed ſeriem continuam non texuit, ab hujus demum ſeculi initio eam exorſus cum RADULPHO *Gray*, genitore WILHELMI, quem R. Jacobus honore *Baronis Gray de Werke* ornavit & Paribus Angliæ adſcripſit. Is avus fuit *Fordei* initio nominati, quem turbæ ſub finem regni Caroli II. in Anglia ortæ nobilitarunt: cum enim ex intimis familiaribus Jacobi Ducis Monmuthiæ eſſet, ſuſpicionem aulæ movit, ac ſi novis rebus æque ac ille ſtuderet, proinde accuſatus, quod multa domi ſuæ haberet arma, quæ vel ſexaginta hominibus ſufficere poſſent, licet regeſſerit, cum majorum hæreditate ad ſe maxima ex parte delata, reliqua vero propter rumorem Pontificiæ conjurationis comparata fuiſſe, attamen prædibus & CCC M libris Sterlingicis cavendum ab ipſo aulæ fuit, & promittendum, ut quotiescunque à Conſilio citaretur, ſeſe ſiſteret: novæ autem paulo poſt conſpirationis adverſus vitam Regis Ducisque Eboracenſis delatus, fuga ſibi ad exemplum Monmuthii conſuluit, à quodam vero decurione comprehenſus & Londinum in conſilium, indeque non in carcerem, uti imperatum erat, ſed in popinam deductus, cuſtode pleno crapulæ & ſui impote iterum evaſit atque in Belgium trajecit. Cum deinde proſcriptus & R. Carolo II. vivis exempto ab ejus ſucceſſore Jacobo II. in catalogum illorum relatus eſſet, quos tanquam rebelles fugitivos expelli ab Ordinibus fœderatis in caſſum poſtulavit, adjunxit ille ſe partibus veteris amici Ducis Monmuthiæ, cumque eo turbas R. Jacobo daturo Angliam repetiit, & præfecturam Equitatus in exercitu illius accepit; illa autem cum apud Weſtonum in Somerſetia d. 16. Jul. 1685. ad manus cum regiis ventum eſſet ita functus, ut equitibus ipſius ad primum ſtatim impetum fugam capeſſentibus, acies Monmuthii perculſa cito inclinaret & victoriam Regiis relinqueret, poſtridie ruſtica veſte indutus captus & una cum Monmuthio in hoſtium manus itidem delapſo Londinum ductus eſt, ubi poſtquam iſto ad ſupplicium rapto illi gratia facta & libertas reddita fuiſſet, in ſuſpicionem perfidiæ erga Monmuthium & proditionis venit.

Ab eadem ſtirpe, qua Barones Graji *de Warke* ſati ſunt, proveniſſe olim arbitror *Grajos de Powys*; horum enim patriam non ſecus ac illorum Northumbriam fuiſſe *Dugdalius* tradit. Floruerunt hi inde à regno Henrici V. usque ad Eduardi VI. exceſſum, ſuamque amplitudinem imprimis *Johanni Grajo* debent, qui felici cum *Johanna Charlton* matrimonio dominium *Powyſiæ*, in Montgomeria ſitæ, in familiam intulit, virtute vero bellica & ſtrenua, quam R. Henrico V. in bello Gallico navavit, opera Comitatum *Tankervillæ* in Normannia ſibi peperit, & denique in pugna Baugiacenſi egregia una cum Duce Clarentiæ morte defunctus eſt. Licet vero Comitatus ille ad poſteros ejus non pervenerit, Powyſiam tamen cum honore Baronatus tenuerunt, dum legitima ab iis progenies ſuperfuit; ea vero in *Eduardo Grajo*, Johannis abnepote defecit, quemadmodum eadem Tabula, quæ Grajorum de Werke diatypoſin exhibet, videre eſt. Habuit tamen Eduardus Grajus *nothum*, è *Jana Orwell* genitum, cui per teſtamentum caſtra prædiaque *Charlton* & *Pontisbury* in Salopia legavit.

Scutum, quo Baro *Gray de Werke* utitur, *rubet, ſed margine dentato argenteo diſtinctum* eſt, *leonemque continet dicto tinctum metallo*.

SCHEMA BARONUM GRAY DE POWYS.

THOMAS GRAY DE BERWYKE Eques. *Jana, Johannis B. Movvbray f.*

Johannes Gray de Heton Eques, Comes de Tankerville occ. 1421. *Johanna Eduardi Charlton B. Povvys f.*

Henricus Gray de Powys † 1450.

Richardus Gray de Povvys † m. Dec. 1466. *Margarita Jacobi Tuchet B. Audley f.*

Johannes Baro Gray de Powys † circa a. 1503.

Eduardus Baro Gray de Povvys † circa a. 1530.

Johannes Baro Gray de Povvys † circa a. 1538.

Eduardus Baro Gray de Povvys † circa a. 1551.
Ux. *Anna Caroli Brandon D. Suffolc. fil.* è qua proles nulla; è concubina *Jana Orvvell* autem nati sunt.

Eduardus Gray. Jana Gray. Anna Gray.

SCHEMA BARONUM GRAY DE WERKE.

RADULPHUS GRAY. *Isabella, Thomæ Gray de Horton f.*

Wilhelmus Gray de Chillingham, BARO Gray de Werke cr. 11. Febr. 1621. † 29. Jul. 1674. *Anna, Johannis Wentvvorth de Gosfeild f.*

Radulphus Baro Gray de Werke † 15. Jun. 1675. *Catharina Eduardi Forde de Hortling f. Alexandri Colepeper vid.*

Catharina nup. 1. *Eduardo Moseley de Hough.* 2. *Carolo North B. Gray de Rolesston.*

Forde Gray Baro Gray de Werke. *Maria, Georgii Bar. Berkley f.*

Radulphus Gray.

Maria.

CAPUT XCVIII.

DE BARONIBUS LOVELACE.



Roximum à Barone Gray locum occupat JOHANNES LOVELACE BARO LOVELACE, cujusavum RICHARDUM R. Carolus I. d. 31. Maji 1627. ad hunc honoris gradum provexit. Refertur de illo in *libello* novissimè *de Principum Arausionensium è Nassovica stirpe historia* edito, quod hodierni Regis Angliæ partes, simul ac is æquor trajecisset, amplexus, cum verò contracta haud exigua militum manu ad illum proficisceretur, à majori hostium numero oppressus & post acre certamen captus, mox tamen tempestivo amicæ equitum turmæ adventu liberatus fuerit. Stemmatis ejus non aliam quam subjunctam diatyposin *Dugdalius* dedit.

Insignia, quibus utitur, *lunam crescentem argenteam* repræsentant *in scuto rubeo*, cujus *summa pars dentibus asperata tres merulas nigras* continet.

Tab. CXXXI.

SCHEMA BARONUM LOVELACE.

RICHARDUS LOVELACE, Eques, Richardi Lovelace de Hurley in Bercheria F. BARO Lovelace de Hurley cr. 31. Maji 1627. † 22. Apr. 1634. Ux. 1. *Catharina Georgii Hill f. VVilbelmi Hide vid.* 2. *Margarita, VVilhelmi Dodsvvorth civis Londin. f. & h.*

2. Johannes Baro Lovelace † 25. Sept. 1670. *Anna Thomæ Wentvvorth Com. Cleveland f.*	Franciscus Lovelace.	Elisabetha nupta *Henrico Martin de Langvvorth.*	Margarita ux. *Georgii Stonehouse de Radley.*

Johannes Baro Lovelace *Martha, Edmundi Pye de Bradenham f.*	Anna † innupta.	Margarita nupta *Wilhelmo Noell de Kirckby-Malory.*	Dorothea uxor. *Henrici Drax.*

Johannes Lovelace † infans.	Anna.	Martha.	Catharina.

CAPUT XCIX.

DE BARONIBUS MAYNARD.

OHANNIS PAULET *Baronis Paulet de Hinton S. George*, qui Lovelacium excipit, Genealogiam superius occasione Marchionum Vintoniæ recensuimus, quare ad WILHELMUM MAYNARD BARONEM MAYNARD pergimus: hujus familia è Comitatu Essexiæ oriunda, illustrari cœpit, in ejus avo cognomini, quem Rex Jacobus è Baronero *Baronem de Wickbovv* in Hibernia, R. Carolus I. vero *Angliæ* quoque *Parem* sub titulo *Lord Maynard of Estaines* crearunt.

Scutum gentis hujus *argenteum* est, & *cantherium cæruleum*, *tresque manus minio tinctas* exhibet.

Tab. CXXXII.

SCHEMA BARONUM MAYNARD.

HENRICUS MAYNARD de Estonparva in Essexia.
Susanna, Thomæ Pearson fil. & cohær.

Wilhelmus Maynard, Baronetus cr. 29. Jun. 1611. Baro Maynard de Wickbovv in Hibernia 30. Maji 1628. BARO Maynard de Estaines in Anglia 14. Mart. 1628 † 18. Dec. 1639. Ux. 1. *Francisca, Wilhelmi Cavendish C. Devon. f.* 2. *Anna, Antonii Everard de Langleis f.*

Wilhelmus Baro Maynard † 1. *Dorothea, Roberti Banaster de Passenham f.* 2. *Margarita Murrey Jacobi C. de Dysert in Scot. f.*	Susanna † cœlebs.	Jana † cœl.	Anna, nupta *Henrico VVrothe de Durance.*	Elisabetha uxor *Joh. Wroth de Longhton.*	Maria nupta *Radulpho Bovej de Caxton*

1. Banaster Maynard. †	Wilhelmus Baro Maynard *Elisabetha Gray, Henrici C. Cantii f.*	2. Henricus Maynard.	Elisabetha.

CAPUT C.

DE BARONIBUS COVENTRIÆ



THOMÆ COVENTRIÆ BARONIS COVENTRIÆ, qui Maynardum immediate sequitur; familia; è Wigornia orta togatis illustrata est artibus, quibus THOMÆ *Coventrii* duo; *pater ac filius* eminuerunt: ille inter Assessores *Curiæ Communium Placitorum* cooptari meruit, hic ad supremam togæ dignitatem pertigit, *Custos magni Sigilli & Baro Angliæ* à R. Carolo I. anno 1628. creatus; E filiis ejus duo natu minimi HENRICUS & WILHELMUS Regi Carolo II. ab epistolis fuerunt; primogenitus verò THOMAS in honorem Baronis successit, eundemque ad natum GEORGIUM, is porro ad JOHANNEM ex se genitum transmisit; huic sine prole defuncto patruus initio nominatus successit.

Insignia Coventriorum huncin modum *Gibbonus (a)* delineavit: *Gerunt in clypeo nigro fasciam transversam, muris Armenii vellere impressam, & inter tres lunulas aureas, cornibus sursum versis, interpositam.*

(a) P. 59.

Tab. CXXXIII.

SCHEMA BARONUM COVENTRIÆ

THOMAS COVENTRIE Thomæ F. BARO Coventrie de Ailesborough, Custos M. Sigilli Angliæ † 14. Jan. 1640. Ux. 1. *Sara, Eduardi Sebright de Blacksall fil.* 2. *Elisabetha, Joh. Ardersey de Spurstovv f.*

1. Thomas B. Coventrie † 1 Oct. 1662. *Maria Wilhelmi Cravenf.*	Elisabetha nup. *Joh. Hare de Stow Bardolf.*	2. Johannes Coventrie.	Franciscus Coventrie.	Henricus Coventrie R. Carolo II. à Secretis † 19. Dec. 1686.	Wilhelmus Coventrie Eques R. Carolo II. à Secretis † 1. Jul. 1686.	Anna nup. *Wilhelmo Sevill de Thornhill.*	Maria ux. *Henrici Friderici Thynne.*	Anna nup. *Anton Ashley Cooper C. de Shaftsbury.*	Doroth. ux. *Joh. Backington de Westwood.*

Georgius Baro Coventrie †   Thomas Baro Coventrie.

Margarita, Johannis Tufton C. de Thanet f.

Johannes Baro Coventrie † 1688.   Margarita nupta *Carolo Paulet C. de Wiltshire* 1679. † m. Febr. 1683.

CAPUT CI.

DE BARONIBUS MOHUN.



AROLUS MOHUN BARO MOHUN proximum à Coventrio locum tenet: is antiquissima & nobilissima familia satus est, quæ una cum Wilhelmo Conquestore è Normannia in Angliam translata, possessionibusque in Comitatibus Wiltoniæ & Sommersettiæ aucta illustribus brevi æquiparata fuit, namque *Johannes Mohun de Dunstre, Reginaldi* filius ad Comitia anno XXVIII. regni Eduardi I. habita citatus fuisse reperitur, qua prærogativa posteri quoque ejus gavisi sunt, donec in pronepote *Johanne* V. cujus filia *Philippa* in Regiam Eboracensium domum elocata fuit, defecissent. Ab eo tempore cum nonnihil caliginis hæc familia passa esset, hoc demum resplenduit seculo in JOHANNE *Mohun*, qui ab aliquo ramo minore memoratæ stirpis ortus ad Paris Angliæ honorem sub titulo *Lord Mohun de Okehampton* in Devonia à R. Carolo I. evectus fuit. *(a)*

Scutum Mohuniæ gentis *aureum* est, *cruce dentata nigra insignitum.*

(a) Dugdal. Bar. III. 461.

Tab. CXXXIV.

SCHEMA BARONUM MOHUN.

REGINALDUS MOHUN, Baronetus cr. 1612. †
Philippa, Johannis Hele Armig. f.

Johannes Mohun BARO Mohun de Okehampton cr. 15. Apr. 1628. † . . . . . . *Cordelia, Johannis Stanhope de Shelford f. Rogeri Aston vid.*
Elisabetha nupta *Johanni Trelawny.*

Johannes Baro Mohun cœlebs.
Warwicus Baro Mohun † 1665. *Catharina N. Welles de Bramber f.*
Carolus Mohun occap. Dertmouth.
Cordelia ux. *Joh. Harris de Heane.*
Theophila nup. *Jacobo Cambel.*
Philadelphia.

Carolus Baro Mohun †
Philippa, Arturi Annesley C. de Anglesey f.

Carolus Mohun Baro Mohun...

CAPUT CII.

DE BARONIBUS LEIGH.



Ohunium Baronem excipiunt *Wilhelmus Hovvard Baro Hovvard de Eserick* & *Henricus Herbert Baro Herbert de Chirbury*; de quibus supra actum jam est: post eos recensetur THOMAS LEIGH BARO LEIGH *de Stoneley*. Hujus originem *Dugdalius* ab antiqua & conspicua in Comitatu Cestriæ familia *Leighorum de Highleigh* derivat, è qua aliquis natu minor *Wellingtoniæ* in Salopia domicilium fixerit, quo prognatus *Rogerus Leigh* pater fuerit THOMÆ: is à divite Mercatore Londinensi, cui nomen erat *Rolando Hill*, educatus, ejusque institor in regione transmarina factus & officio suo uti sedulum & frugi hominem decet functus, uxorem denique accepit *Aliciam Barkeram*, natam è sorore nutricii sui, qui etiam, quoniam ipse sobole carebat, liberos ex istis ortos hæredes omnium bonorum suorum scripsit. Ad magnas cæterum opes, quas *Thomas Leigh* consecutus est, tanta accessit dignatio, ut ineunte regno Elisabethæ *Prætor Londinensis*, quem vulgo *Lord Major* appellant, crearetur.

Tab. CXXXV.

SCHEMA BARONUM LEIGH.

THOMAS LEIGH Rogeri Leigh de Wellington F. Lord Major Londinensis † 17. Nov. 1571. *Alicia Barker.*

- Rolandus Leigh.
- Thomas Leigh Baronetus † m. Febr. 1626. *Catharina, Joh. Spenser de Wormleighton f.*
- Wilhelmus Leigh, Eques.

Children of Thomas Leigh Baronetus:

- Johannes Leigh † ante patrem. Ux.
- Alicia nup. *Roberto Dudley* creata Ducissa Dudley 23. Maii 1644. † 22. Jan. 1670.
- Franciscus Leigh. *Maria Thomæ Egerton B. Ellesmere f.*

Next generation:

- Thomas Leigh BARO Leigh de Stoneley cr. 1. Jul. 1643. † 22. Febr. 1671. *Maria, Thomæ Egerton. f.*
- Franciscus Leigh BARO Dunsmore cr. 31. Jul. 1628. COMES de Chichester 3. Jun. 1644. † 21. Dec. 1653. *Audreja, Joh. B. Butler de Bramfeild f.*

Children of Thomas Leigh BARO Leigh:

- Thomas Baro Leigh de Stoneley † ante patrem. 1. *Anna, Richardi Brighan f. & h.* 2. *Jana, Patricii Fitz-Maurice B. de Kerrey f.*
- Carolus Leigh.
- Ferdinandus Leigh † cæl.
- Christophorus Leigh.
- Elisabetha ux. *Joh. Vicec. Tracie.*
- Vera, nup. *Justiniano Isham de Lamport.*
- Ursula ux. *Wilhelmi Bromley de Bagginton.*
- Elisabetha nup. *Thomæ Wriothesley C. Southamton.*
- Maria ux. *Georgii Villers Vicec. Grandison.*

Children of Thomas Baro Leigh de Stoneley:

- 1. Anna † in juventa.
- 2. Thomas Baro Leigh.
- Honora nup. *Wilhelmo Egerton Equiti.*
- Maria.
- Jana.

E filiis tribus, quos *Thomas Leigh* post se reliquit, natu maximus ROLANDUS *Leigh* domicilium in Glocestriæ Comitatum transtulit, ubi prædio *Longborovv* aliisque Rolandus Hill ipsi prospexerat: THOMAS vero ac WILHELMUS larem sedesque in Warvvicensi provincia collocarunt, quorum propago in altiorem provenit locum: utriusque enim nepotes Paribus Angliæ adscripti sunt.

FRANCISCUS *Leigh*, qui à Wilhelmo sanguinem ducebat, usque ad *Comitis* gradum ascendit, creatus à R. Carolo I. de quo calamitosis temporibus bene meritus erat, *Comes de Chichester*, cujus nominis oppidum in Sussexia situm est; verum quia mascula prole carebat, expiravit cum eo hic honos, neque hactenus alii collatus est.

THOMAS *Leigh*, *Thomæ* postremo memorati *nepos*, titulum *Baronis* ab eodem accepit Rege, turbata jam Anglia atque in factiones distracta; quemadmodum vero tristem illam catastrophen, Regio sanguine funestatam vidit, ita & lætæ, qua redditus est avitis regnis Carolus II. diu superfuit, & senecta ætate fatis concessit, hæredem nactus *nepotem* sibi *cognominem*, eundem nempe *Baronem Leigh*, quem initio citavimus.

Scutum, quo is uti solet, *rubeum* est, *cruce dentata aurea in quadras divisum*, quarum primam *rhombus aureus* implet.

CAPUT CIIII.
DE BARONIBUS JERMYN, BYRON ET VAUGHAN.



HOMAS JERMYN BARO JERMYN in nomenclatura Parium ad novissima regni comitia à Rege hodierno evocatorum legitur; de eo dictum est superius, quod patruo suo *Henrico Baroni Jermyn* & *Comiti de St. Alban* illum in honorem successerit, neque plura de illo familiaque ejus addere hoc loco licet, revocare saltem fas est conjecturam, quam de obitu ejus ceperamus.

Sequitur WILHELMUS BYRON BARO BYRON, nec nova nec ignobili in Nottinghamiæ Comitatu familia prognatus, cui patruus erat JOHANNES BYRON de Nevvsted à R. Carolo I. festo inaugurationis ipsius Equitis Balnei honore ornatus, posteaque ob probatam sibi gravissimis documentis fidem ac fortitudinem *Baro Byron de Rochdale* creatus, id quod die 24. Octobr. anno 1643. factum est, fratribus ejus, quos sex habuit, in dignitatis hujus hæreditatem substitutis, si illum fine prole mascula mori contingeret; hoc cum anno 1652. usu venisset (nullos enim prorsus liberos ex iterato suscepit matrimonio; utpote primo *Ceciliæ West* Thomæ Baronis *la Warre* filiæ, dein *Eleonora*, Roberti Vicecomitis *Kilmurrey* in Hibernia gnatæ maritus) RICHARDUS *Byron*, frater ipsius nascendi sorte proximus successionem in Baronatus honore adiit; huic etiam *duæ* fuere *conjuges*, *Elisabethæ* ambæ dictæ, prior filia erat Georgii *Rosel de Radcliffe*, posterior Georgii *Booth de Dunham Massy*. Ex illa præter gnatam *Catharinam* natus est WILHELMUS, initio nominatus, qui patri vita defuncto successit, & cum conjuge sua *Elisabetha*, Johannis Vice-Comitis *Chavvorth de Armagh* in Hibernia filia, genuit *VVilhelmum*, *Elisabetham*, *Catharinam*, *Mariam*, & *Annam*. (*a*)

Insignia Byronorum *scuto* constant *oblique dextrorsum secto*, cujus *superior regio fasciis transversis rubeis argenteisque distincta* est, *inferior tota candet*.

JOHANNES VAUGHAN, BARO VAUGHAN idemque *Comes de Carbery* in Hibernia avum habuit cognominem, *VValteri Vaughan de Golden-Grave*, Armigeri filium; hunc Hibernica militia sub Comite Essexio, extremis R. Elisabethæ annis nobilitatum & Equestri honore decoratum R. Jacobus anno 1620. Baronem Hiberniæ creavit, & titulo *Lord Vaughan of Molingar* insignivit; Carolus I. vero ad *Comitis Carberiæ* honorem eodem in regno provexit. Conjugium is iterata iniit vice, priore *Margaritam* Ægydii *Merick* filiam, posteriore *Janam*, Thomæ *Palmer* gnatam sibi adjunxit: ex hac nullam, ex illa prolem utriusque sexus sustulit, nempe è sequiore unicam *Mariam*, Francisco *Lhoyd de Masslewyr* nuptam, mares vero tres, inter quos *VValterus* & *Johannes* intra juventutis annos vitam cum morte commutarunt, *Richardus*, qui ætatibus illorum medius interjectus erat, patri successit, & fide ac assiduitate, quam R. Carolo I. exhibuit, honorem *Paris Angliæ* promeruit, *Baro Vaughan de*

(*a*) Dugdal. Baron. III. 469.

Emlyn d. 25. Oct. anno 1643. falutatus. *Uxores tres* fucceffivè duxit: prima erat *Brigita* Thomæ *Lloyd de Llanleer* filia, fecunda *Francifca*, Johannis *Altham de Oxhey* nata, tertia, *Alicia* Johannis *Egerton C. de Bridgewater* filia: prima *quatuor* ei peperit *filios* præmature mortuos, fecunda *novem liberorum* patrem fecit; è *filiabus* quæ *fenarium* implevere numerum, *duæ* fuperfunt *Francifca* fcilicet & *Althamia*: natorum maximus *Francifcus Vaughan* poft ductam uxorem *Rachelem* Thomæ *VVriothesley* Comitis Southantoniæ gnatam & cohæredem improlis deceffit, hinc fecundogenitus *Johannes Vaughan* patri, quem non ita pridem in Libitinæ rationem venifse oportet, in honores *Comitis Carberiæ* & *Baronis Vaughan* fucceffit, atque inter Pares, qui ad Parlamentum noviffime citati fuere, relatus eft. Eundem munus Præfidis focietatis regiæ nunc ornare & Marchionis Halifaxii filiam nuper ductam, fed brevi morte amiffam, in matrimonio habuiffe dictum nobis eft; quod fi ita fe habet, uxor illius fecunda ea fuit, priorem enim ei *Dugdalius* tribuit *Mariam*, Humphredi *Browne de Greene-Caftle* filiam ac hæredem.

Fratri ejus natu minori nomen eft *Althamio Vaughan*.

Infignia Vaughanenfis familiæ *fcuto* conftant *nigro*; in quo *tria infantium capita humerotenus, tortis circum colla anguibus revincta*, repræfentantur.

CAPUT CIV.

DE BARONIBUS CARINGTON, WIDDRINGTON ET COLEPEPER.



FRANCISCUS SMITH BARO CARINGTON, quem Vaughanius proxime antecedit, genus fuum, *Dugdalio* (*a*) referente, à *Michaele Carington* derivat, qui R. Richardi in Palæftina vexillifer extitit. Ejus in progenie *Johannes Carington* numeratur, qui quod Regi Richardo II. etiam poftquam regno exutus fuiffet, conftanti adhæreret fide, folum vertere coactus eft, cumque apud exteras nationes ageret, gentilitio nomine abftinuit, & *Smithius* appellari voluit, quod cognomentum pofteris ejus in Angliam reverfis manfit; hos inter *Johannes Smith* regnante Henrico VIII. interfcribas fupremi Thefaurarii locum habuit, & nuptiis *Annæ Harwellæ*, Johannis Harwelli filiæ ac hæredis, fe familiamque ad lautiorem extulit fortunam. Prognatus eo eft CAROLUS *Smith* quem R. Carolus I. d. 31. Oct. an. 1643. Baronem Angliæ fub titulo *Lord Carington of VVotton* creavit, & quarto abhinc die ad honorem *Vice-Comitis Carington de Barrefore* in Hibernia promovit. Mortem is in Gallia obiit, à fervo fuo pecuniæ & gemmis, quas fecum ferebat, inhiante ad Pontem Oefiæ trucidatus die 22. Febr. anno 1664. Uxor ei fuit *Elifabetha*, Johannis *Carrill de South-Harting* gnata, cum qua genuit mares quatuor, fœmellas quinque, videlicet:

FRANCISCUM *Smith* patris fucceflorem & maritum *Julianæ, Thomæ VValmesley de Dunkenhalg filiæ*, è qua *Carolum* in infantia mortuum genuit.

Carillum Smith.
Johannem Smith.
Carolum Smith.
Mariam, nuptam *Georgio VVintour de Huddington*.
Luciam, quæ cælebs obiit.
Annam.
Margaritam, *Francifci Hungate de Huddlefton* uxorem & Mariam, viro, antequam nuberet, defunctam.

Scutum, quo *Baro de Carington* utitur, *nigrum* eft, continens *decuffim dentatum aureum*, *liliis caruleis tribus infignitum* & *fex crucibus pedatis & fpiculatis argenteis ftipatum*.

WILHELMUS WIDDRINGTON BARO WIDDRINGTON *de Blanney* in Com. Lincolniæ honorem, quo gaudet, avo fuo ejusdem nominis acceptum refert, is enim primus è gente fua florentiffima in Borealibus Angliæ partibus ad Baronis gradum provectus eft d. 10. Nov. anno 1643. propter eximiam fidem atque operam, quam R. Carolo I. cum Parlamento populoque Anglico belligeranti præftitit, quamque denique fanguine fuo obfignavit, in conflictu cum Lilburno tribuno Cromwelliano apud Wigganum in Lancaftria menfe Augufto anni

(*a*) B. p. 470.

anno 1651. cæsus. Habuit in matrimonio *Mariam*, Antonii *Thorold de Blankney* gnatam ac hæredem, è qua novem liberorum pater factus est; è sequiore sexu *Maria*, Cranio *de VVood-Ryfing* nuptæ & *Jana*, quæ *Caroli Stanley* uxor est. Filii septenarium implevere numerum, hoc ordine:

I. Wilhelmus, qui patri successit atque uxorem habuit *Elisabetham, filiam ac hæredem Peregrini Bertu de Eveden*, è qua suscepit

VVilhelmum Baronem VVïddrington hodiernum, cujus uxori Sandfordius in Historia Inaugurationis R. Jacobi II. *Alathea* prænomen tribuit.

II. Henricus Widdrington.
III. Ephraim Widdrington.
IV. Eduardus Widdrington.
V. Radulphus Widdrington.
VI. Antonius Widdrington.
Et VII. Rogerus Widdrington.

Baronem Widdrington sequitur EDUARDUS WARD BARO WARD, cujus superius occasione familiæ Suttonicæ, à qua maternum ducit genus, mentio injecta est; hunc excipit JOHANNES COLEPEPER BARO COLEPEPER *de Thoresvvay*: hujus familia illustrari cœpit in parente ejus, cui itidem nomen JOHANNIS erat, natales vero haud ignobiles: jam dudum enim Colepeperorum stirpem in Cantio & Sussexia floruisse *Dugdalius* refert, dotes præterea animi ac ingenii insignes, quibus & pacis & belli munia à R. Carolo I. ipsi demandata ornavit: namque ærarium Cancellarii titulo administravit, Archivo præfuit, & diversis in pugnis ordines duxit, assiduitate locum inter intimiores dicti Regis filiique ejus ac successoris Consiliarios, nec non Pares Angliæ promeruit, Baro d. 21. Oct. anno 1644. creatus. Decessit è vita paulo post restitutionem Caroli II. in avitum regnum die scilicet XI. Jul. anno 1660. uxorem bis duxerat, primo *Philippam Snellingam*, è qua genuit *Alexandrum*, *Catharina Ford maritum*, sed sine prole patri præmortuum, nec non *Philippam*. Thomæ *Herlakenden de VVood-Church* elocatam, secundo *Juditham*, Thomæ *Colepeper de Hollingburne* filiam, quæ septem ei liberos peperit, fœmellas nempe tres, *Elisabetham*, Jacobo *Hamilton* Armigero nuptam, *Juditham* & *Philippam*, mares autem quatuor, quorum hæc est nomenclatio:

I. THOMAS Baro Colepeper successor patris cui Virginiæ præfectura ineunte anno 1680. demandata est; duxerat in matrimonium *Margaritam*, *Johannis de Hesse Nobilis Germani in Bergensi Comitatu gnatam*, è qua filiam unicam *Catharinam* suscepit, atque intra hujus lustri spatium supremum diem obiit.

II. Johannes Colepeper, ad quem, fratre sine prole mascula, ceu modo dictum est, mortuo, Baronis honos devenit.

III. Cheneius Colepeper.

Et IV. Franciscus Colepeper anno 1662. vita defunctus.

Insignia Baronis *Colepeper*, *baltheum dentatum rubrum* referunt, *solo argenteo superinductum*.

CAPUT CV.
DE BARONIBUS ASTLEY, LUCAS ET ROCKINGHAM.

JACOBUS ASTLEY BARO ASTLEY *de Reading* in Comitatu Bercheriæ non novo, sed perantiquo genere prognatus, ad veteres Barones Astley de Astley, qui in Comitatu Warvvicensi inde ab ætate R. Henrici II. usque ad regnum Henrici VI. eminuerunt, originem suam refert. In illorum numero erat *Thomas Baro Astley*, regnante Henrico III. adversis quem arma cum Comite Montfortio sociaverat, in pugna Eveshamensi cæsus: huic duæ tribuuntur uxores, prima *Johanna*, Ernaldi *de Bois* gnata, eademque mater Andreæ, qui in paternos honores successit, secunda *Editha*, Petri *Constable de Melton* filia; hac natus est *Radulphus*, à quo descendisse tradit Dugdalius *Isaacum Aston de Melton-Constable* in Norfolcia, genitorem JACOBI.

Hic à prima juventa bellicæ laudis cupidine tactus ad bellum Batavos inter ac Hispanos sub hujus seculi initium flagrans profectus, in castris Mauritii Principis Arausionensis tyroci-

tyrocinium fecit, postea fratri quoque ejus Henrico Friderico meruit; pace autem sancita Christiano IV. R. Daniæ & denique Regi Sueciæ Gustavo Adolpho stipendia fecit: Tot militiis perfunctus, & strenui bellatoris gloria mactus patriam repetiit, qua tempestate omnis Anglia civili ardebat bello, & protinus Regi operam suam addixit, à quo Generalis excubiarum Præfecti munere cohonestatus præliorum apud Kinetonum, Brainfordiam, Nevvberiam, & Lestithiellam magna pars fuit; in quibus cum fortitudinis ac fidei eximia dedisset specimina, in Baronum Ordinem meruit adscribi, id quod die 4. Novembris a. 1644. factum est. Cunctis deinde Regis copiis per Vigorniam, Staffordiam, Herefordiam & Salopiam præpositus, inclinantem ejus fortunam, qua potuit industria, sustentavit, & denique conclamatis rebus fato cessit anno 1651. Tori sociam habuit genere Germanam, cui nomen erat *Agneti Imple*, è qua præter gnatam unicam *Elisabetham*, agnato ipsius *Eduardo Astley de Melton-Constable* nuptui locatam, quinque genuit filios, videlicet *Isaacum*, *Thomam*, *Henricum*, *Bernardum* & *Eduardum*.

ISAACUS in *Baronis Astley de Reading* honorem, jure primogenituræ successit, maritus *Annæ*, Francisci *Stydolfe de Norbury* filiæ, atque anno 1662. mense Septembri vitam cum morte commutavit, filiæ unicæ intra adolescentiæ annos vivis exemptæ, & duorum filiorum *Jacobi* scilicet & *Francisci* pater, è quibus prior titulum ab avo familiæ partum nunc tuetur, uxori ejus prænomen *Francisca* à Sandfordio tribuitur.

Scutum Baronis Astleji *cæruleum* est, & *flore pentaphyllo, maculis, quales in muro Pontico conspiciuntur, respersô*, insignitum.

ROBERTUS LUCAS BARO LUCAS *de Shenfeild* Astlejo succedit: ex ejus familia, quam permultas ætates in Suffolcia & Essexia conspicuam fuisse Dugdalius refert; primus in Parium evehi gradum meruit JOHANNES *Lucas*, vir fortis, fidelis, industrius multaque doctrina, & linguarum cognitione ornatus, cui constans erga R. Carolum I. studium omnium facultatum, quas amplas habebat, jactura constitit: remuneraturus itaque Rex eximia viri de se merita *Baronem de Shenfeild* die 3. Januar. anno 1645. creavit, eundemque in honorem fratres ejus *Carolum* ac *Thomam* surrogavit, si forte ille sine mascula prole moriturus esset: id verò usu venturum cum Johannes Lucas præsideret, utpote unicæ filiæ *Mariæ* pater ex uxore sua, *Anna* Christophori *Nevilli de Nevvton-St. Lo* gnata, factus, cumque fratrem suum natu proximum *Carolum*, strenuum virum, ab adversariis, quorum in potestatem delapsus fuerat, indigna nece affectum, amisisset, exoravit Regem Carolum II. ut dictæ filiæ suæ, quam Antonio Grajo Comiti Cantii nuptui dederat, & hæredum, qui ex ea nascituri essent, rationem haberet; atque impetravit diploma die 7. Maji anno dicti Regis XV. qui seculi tertius supra sexagesimum erat, datum, quo illi Baronissæ *Lucas de Gradvvell* titulus collatus est, cum jure eundem ad hæredes ex ipsa Comiteque Cantii natos, transmittendi. Exemptus denique anno 1670. rebus humanis *Johannes Baro Lucas de Shenfeild* successorem hoc in honore nactus est nepotem è fratre Thoma *Carolum*, qui *Penelopen* Francisci *Leke* Comitis *Scardale* gnatam in conjugio habuit & viventium numero exemptus sit oportet, quoniam in novissimo Baronum Angliæ catalogo non ipsius, sed *Roberti Bar. Lucas* nomen occurrit, qui utrum frater illius sit an filius, dignoscere nequeo, eundem tamen esse non dubito, cui pronuper, postquam Jacobus II regnum Angliæ reliquisset, à Paribus Londini tunc congregatis custodia arcis Londinensis concredita fuit.

Insignia, quibus utitur, *scuto* constant *argenteo*, *fascia rubea*, *quam utrinque tres annuli ejusdem coloris circumstant*, *distincto*.

Jam ordo JOHANNEM BELLASYSE BARONEM BELLASYSE tangit, quia vero supra de eo dictum est, EDUARDUM WATSON BARONEM ROKHINGHAM in medium producimus: is nepos est LUDOVICI *Watson de Rockingham-Castle* in Northumbria quem R. Carolus I. bene de se ea in regione meritum è Baroneto Baronem sub Rokhinghamensi titulo fecit, per literas die 28. Januarii anno 1645. scriptas. Vita defunctus est mense modo nominato anno 1653. postquam matrimonium iterata contraxisset vice: prius cum *Catharina*, Peregrini *Bertu* Bar. Willoughbeji gnata, sterile fuit: in secundo vero cum *Eleonora*, Georgii *Mannours de Haddon* filia marem *Eduardum* & *femellas sex* procreavit, nimirum *Gratiam*, Eduardo *Barkham de West-Aere* nuptam, *Annam* quæ cælebs obiit, *Franciscam*, Eduardi *Dingley de Charlton* uxorem, *Elisabetham* quæ innupta ætatem peregit, *Eleonoram*, quæ mulier facta est ex viro *Carolo Dimock de Scrivelby*, & *Catharinam* intra juvenæ annos extinctam.

EDUAR-

EDUARDUS *Watson Baro Rockingham* filius Ludovici unicus, sociavit sibi jugali fœdere *Annam*, Thomæ *Wentvvort* Com. Straffordiæ gnatam & nuper admodum vitam cum morte commutavit, postquam octo suscepisset liberos videlicet:

Ludovicum Watson, ante patrem mortuum.
Eduardum Watson, successorem in honore Baronis Rockingham.
Thomam Watson.
Georgium Watson.
Eleonoram.
Arabellam.
Annam.
& Margaritam.

Scutum quo *Watsoni* utuntur, *argenteum* est, & *cantherium dentatum cæruleum* defert, cui tres *lunulæ aureæ* inscriptæ sunt, quæ inque *tres merulæ nigræ* comitantur.

CAPUT CVII.

DE BARONIBUS LANGDALE, CORNWALLIS ET DE LA MER.

INter Barones Rockinghamium & Langdalium locum obtinet ROBERTUS SUTTON BARO LEXINTON, de quo superius occasione familiæ Suttonicæ egimus. MARMADUCI Baronis LANGDALE *de Holme* in *Spaldyngmoore* pater ejusdem nominis in numero primorum fuit, quos Carolus II. ob assiduitatem & fidem sibi navatam, antequam regnum recuperasset, honoribus auxit: diploma enim, quo iste Baro creatus fuit, Brugis scripto diem 4. Februarii anni 1658. adscriptam esse *Dugdalius* refert: habuit idem in conjugio *Lenoxiam*, Johannis *Rhodes de Barlborough* gnatam, è qua a. 1661. d. 5. Aug. fato suo functus quatuor reliquit liberos, videlicet

I. MARMADUCUM Baronem Langdale hodiernum, cui uxor est, *Elisabetha Thomæ Savage de Beeston filia*, qua nati sunt	Marmaducus Langdale. Jana nup. *Michaeli Anne de Trikley*. Elisabetha uxor *Hugonis Smithson*.
II. Philippum Langdale.	
III. Lenoxiam.	
IV. Mariam.	

Insignia hujus familiæ *cantherium argenteum tribus stellis stipatum in solo nigro* repræsentant.

JOHANNES BERKELEY BARO BERKELEY de Stratton & FRANCISCUS HOLLES BARO HOLLES *ab Ifeild* Langdalium proxime sequuntur; de utroque verò quia sermonem supra fecimus, ad CAROLUM CORNWALLIS BARONEM CORNWALLIS *de Eye* pergimus: hujus avum FRIDERICUM *Cornvvallis de Broome* in Suffolcia R. Carolus II. primo post restitutionem suam anno, qui seculi primus à sexagesimo erat, die 22. Aprilis ad Baronum gradum ex Equestri ordine evexit, multa eaque gravia, rapinas nempe bonorum, carcerem & denique exilium pro ipso perpessum. Haud diu autem illo gavisus est beneficio sequentis statim anni die 22. Januarii rebus humanis exemtus. Uxores duas habuit primam *Elisabetham*, Johannis *Ashburnham* gnatam, secundam ejusdem prænominis, sed Henrici *Crofts de Sarham* filiam: ex hac prolem unicam sequioris sexus suscepit, nimirum *Janam* Wilhelmo *Duncombe de Batlesden* elocatam, è prima verò gnatos tres, hoc ordine:

I. CAROLUM successorem in titulo Baronis Cornvvallis, at die 13. Apr. 1673. mortuum; huic cum *Margarita Playsted* uxore sua geniti sunt	CAROLUS Baro Cornwallis superstes, cui *Anna Scot, Jacobi Fitz-Roy D. de Monmouth vidua* a. 1688. ducta est. Wilhelmus Cornvvallis. Thomas Cornvvallis. Georgius Cornvvallis. Henrietta Maria.
II. Fridericum Cornvvallis.	
III. Georgium Cornvvallis.	

Scutum Baronis *Cornvvallis* ita delineatum legi: *nigrum, lachrymis argenteis respersum, & baltheo ejusdem metalli distinctum, cui tres monedulæ nigræ impressæ sunt.*

HENRICUS BOOTH BARO DELAMER amplitudinem suam paternæ virtuti ac fidei debet: erat quippe ei parens *Georgius Booth*, cujus singularis erga R. Carolum exulem pietas & summa dignitatis ejus vel tuendæ vel restituendæ cupiditas enituit, ita ut eam quamvis sterilem grata ille coleret mente & deinde recuperato throno remunerare fas æquumque duceret: hinc die 20. April. anno 1661. in Baronum Ordinem provectus fuit. Uxorem idem bis duxit, primo *Catharinam Clinton*, Theophili C. Lincolniæ filiam, è qua femellam unicam, *Veram* nominatam suscepit; post illam *Elisabetham Grajam*, Henrico C. Stanfordiæ natam, penatibus suis induxit, ex ea mares quatuor, fœminas quinque genuit, harum nomina hæc sunt: *Elisabetha, Anna, Diana, Jana, & Sophia*. Inter filios eminet *Henricus Booth*, qui parenti in Baronis honorem successit, atque initio regni Jacobi II. haud procul à capitis periculo abfuit: accusatus enim conspirationis cum Duce Monmuthiæ, quodque illo in partibus occidentalibus arma corripiente ipse in Cestria turbas ciere & rebellionem facere molitus esset, in vincula traditus, & denique Parium judicio subjectus est: in eo sollemni more d. 24. Jan. 1686. acto causam pro capite dixit, atque objecta diluit, ita ut Judicum sententia, à Cancellario, qui Senescalli vicem explebat, pronunciata, absolutus & in libertatem restitutus fuerit. Postea magna illa rerum Anglicarum commutatione facta R. Wilhelmi partibus inter primos se adjunxit, exercitumque ejus haud exigua militum manu è vasallis suis aliisque sui studiosis contracta, auxit. Est ei tori consors, *Maria*, Jacobi *Langham de Cotesbroke* filia, quæ sequentium liberorum patrem eum reddidit; videlicet

- Jacobi Booth.
- Georgii Booth.
- Elisabethæ
- & Mariæ.

Fratres Henrici Baronis dela Mer hi sunt: Georgius Booth, Carolus Booth & Robertus Booth.

Insignia, quibus utuntur, *capita aprugna tria nigra in campo argenteo* repræsentant.

CAPUT CVII.

DE BARONIBUS CREW, ET ARUNDELL DE TREYRSE.



THOMAS CREW BARO CREW *de Stene*, qui proximum à Barone dela Mer locum occupat, ab antiqua in Comitatu Palatino Cestriæ familia originem derivat: ex ea JOHANNES *Crevv de Stene*, qui locus in Northantonia situs est, à R. Carolo II. Paris & Baronis Angliæ honore d. 20. Apr. a. 1661. auctus fuit, eò quod ad restitutionem ipsius enixe operam contulisset. Habuit ille patrem *Clippesbeium Crevv*, matrem *Janam Joh. Pultney de Misterton* filiam, avum *Ranulphum Crevv*, aviam *Julianam de Cleppesby*, conjugem vero *Jeminam* Eduardi *Walgrave de Lavvford* gnatam & cohæredem, quæ ex eo mater facta est

I. THOMÆ Baronis Crevv initio nominati; cui primo ducta est *Maria*, *Georgii Tovvnsbend de East-Raynham filia*, dein *Anna Wilhelmi Airmin de Osgodby gnata*, *Thomæ Woodhouse vid.*

II. Johannis Crevv.

III. Nathanaelis Crevv *Episcopi* Durhamensis & regnante Jacobo II. *Regii Sacelli Decani*.

IV. Walgravii Crevv.

V. Jemimæ nuptæ *Eduardo Mountagu C. de Sandvvich*.

Et VI. Annæ, uxoris *Henrici Wright de Dagenham*.

Tessera Baronis *Crevv* gentilitia *leo est argento tinctus in campo cæruleo*.

JOHANNES ARUNDELL BARO ARUNDELL *de Treyrse* antiquissima ortus est familia, cujus conditionem eum Wilhelmo Conquestore in Angliam transiisse atque Treyrsæ in Cornubia sedem fixisse *Dugdalius* tradit. Regnante Henrico VII. claruit ex hac gente *Johannes Arundell*, Eques, & classis regiæ sub-præfectus, quem præter alia fortia facta imprimis acre illustravit prælium, quo Duncanum Camelum, piratam Scoticum famosissimum, vicit & cepit. Ab hoc sanguinem duxit ille *Johannes Arundell*, qui sub Elisabetha, Jacobo & Carolo I. Cornubiensis provinciæ nomine Parlamenta frequentavit, & Regi postremo nominato, in funestum cum Ordinibus bellum implicito, fidelem ac strenuam una cum quatuor filiis suis navavit operam. Ex iis duos mortem pro illo oppetiisse autor noster refert; RICHARDUS verò restaurationi R. Caroli II. superstes meritorum tum propriorum tum propinquorum suorum hoc tulit præmium, ut ad Baronum gradum per literas d. 23. Mart. a. 1664. eveheretur. Uxor huic erat *Gertrudis* Jacobi *Bagg de Saltham* gnata, quam viduam Nicolai Haning Equitis sibi sociavit, pater ex ea factus *Johannis*, qui *Margaritam*, Johannis *Ackland de Columb-Joh n* filiam jugali fœdere sibi sociavit & genitori a. 1687. mortuo successit.

Insignia, quæ Baro *Arundell de Treyrse* gerere solet, non sunt alia quam quæ Baro Arundell de Wardour defert: *sex nempe hirundines argenteæ nigro in campo.*

CAPUT CVIII.

DE BARONIBUS CLIFFORD ET FAMILIA HUJUS NOMINIS.



Jam ad JOHANNEM CLIFFORD BARONEM CLIFFORD *de Chudley*, illustrissimæ & antiquissimæ prosapiæ virum, ordine quem instituimus, ducimur. Originem Cliffordensis familiæ *Dugdalius* (a) ad quendam *Pontium* Wilhelmo Conquestori coævum refert, eidemque tres tribuit filios *Walterum*, *Dragonem* & *Richardum*, quos inter postremus, ex uxore *Mathilda*, trium itidem filiorum parens factus fuerit, videlicet *Simonis*, WALTERI & Richardi. Horum ætatibus medius interjectus postquam *Cliffordiæ*, quod castrum Herefordiæ est *Vagæ* amni adsitum, domicilium fixisset, *de Clifford* cognominari cœpit, paterque extitit *Rosamundæ*, amoribus Regis Henrici II. nobilitatæ, & in monasterio *Godstovv* in Comitatu Oxoniensi sepulcæ cum hoc epitaphio:

Hic jacet in tumba Rosa mundi, non Rosa munda,
non redolet, sed olet, quæ redolere solet.

Ex filiis duobus, quos *Walterus de Clifford* post se reliquit, natu minor RICHARDUS stirpem Cliffordorum *de Framtone* in Glocestria prosevit; à majore, qui WALTERUS *Junior* appellabatur, ROGERUS *Clifford* descendit, cujus in bello intestino inter R. Henricum III. & Proceres regni gesto, & Baronico vulgo dicto clarum fuit nomen; initio equidem arma adversus Regem tulit, in tempore verò ad officium reversus, delictum illud summa resarsit fide ac fortitudine omnisque offensæ memoriam delevit, usque adeo ut in summum gratiæ locum à dicto Rege receptus & largiter remuneratus fuerit. Erat in numero perduellium *Robertus de Vipount*; hujus possessiones peramplas atque in fiscum redactas Rex Cliffordio custodiendas permisit, deinde verò maximam partem dono dedit, postquam assensisset, ut filius ejus cognominis *Isabellam Vipontiam* in uxorem duceret: His latifundiis auctum amplis etiam extulit officiis, quæ successor illius Rex Eduardus I. aliis subinde cumulavit: numerabatur inter ea Walliæ quæstura, quæ quidem acerba ei evenit, & care constitit: cum enim Walli ob graviora, quas imperare eis jussus fuit, tributa insurrexissent & arma corripuissent, collatis utrinque signis filius illius jam memoratus in pugna occubuit. Hujus neci ille quadriennio superfuit, fatoq; suo functus nepotem ex eo ROBERTUM hæredem habuit, multis fortibus factis & gloria militari, quam in Scoticis expeditionibus R. Eduardi I. & II. auspiciis acquisivit, maxime illustratum, & deniq; eodem in bello fatali ad *Bannock moore* prælio absumtum. Filiorum ejus natu majorem ROGERUM hujus nominis *Quartum*, fatorum malignitas intra adolescentiæ annos indignæ subdidit neci; ad partes enim Thomæ C. Lancastriæ, qui à R. Eduardo II. diffidebat, pertractus vel invitus, cumq; eo post acceptam apud *Borrovvbrigg* cladem captus, securi æque ac ille percussus fuit. Successit ei frater ROBERTUS, cujus filii duo natu majores pari sibi invicem modo successerunt: minoris ex iis, cui

(a) *Baronag. I. 335.*

SCHEMA I. FAMILIÆ
BARONUM DE CLIFFORD

WALTERUS DE CLIFFORD Richardi F. 1164.

Walterus de Clifford II. † a. 1224. *Agnes, Rogeri de Cundi f. & hær.* — Richardus Saror Cliffordorum de Framtone.

Walterus de Clifford III. dictus Junior † a. 1265. *Margarita Leolini Pr. Walliæ f. Johannis de Braose vid.*

Mathilda nup. 1. *Wilhelmo de Longespée III. C. Salisb.* 2. *Johanni Giffard. de Brimsfield.*

Rogerus de Clifford III. occ. à Wallis d. 6. Novembr. 1282. Ux.

Roberrus de Clifford occ. in pr. Bannockmarensi a. 1313. Ux.

Rogerus de Clifford IV. *decoll.* 1321. — Robertus de Clifford II. 1344. Ux.

Robertus de Clifford III. † improlis. *Euphemia, Radulphi de Nevill f.* — Rogerus de Clifford V. † 13. Jul. 1389.

Thomas BARO Clifford † 18. Aug. 1391. *Elisabetha, Thomæ B. Rosse de Hamlake f.*

Johannes Baro Clifford *Eques Perisc.* occ. in obsidione Meldarum in Gallia 13. Mart. 1422. *Elisabetha, Henrici Percy cogn. Hotspur fil.*

Thomas Baro Clifford n. 1414. occ. in pr. San Alban. 22. Maji 1455.

Johannes Baro Clifford occ. in pr. Touton. 1461. *Margarita, Henrici Bromflete B. Vesci f.* — Rogerus Clifford N. *Courtney.* — Thomas Clifford. — Robertus Clifford *Anna Berkley.*

Henricus Baro Clifford † 23. April. 1523. Ux. 1. *Anna Johannis S. John de Bletso f.* 2. *Florentia Pudsey, Thomæ Talbot de Houghton vid.*

1. Henricus B. Clifford COMES CUMBRIÆ cr. 18. Jun. 1525. *Eques Perisc.* † 22. Apr. 1542. Ux. 1. *Margarita, Georgii Talbot C. Salop. f.* 2. *Margarita, Henrici Percy C. Northumbr. f.* — Thomas Clifford. *Lucia, Antonii Brown fil.* — Eduardus Clifford.

2. Henricus B. Clifford Com. Cumbriæ † 8. Jan. 1570. 1. *Eleonora, Caroli Brandon D. Suffolc. f.* 2. *Anna, Wilhelmi Dacres de Gillesland f.* — Ingeram Clifford Eques † *s. p.* *Anna, Henrici Ratcliff fil.*

1. Henricus Clifford † juv. — Carolus Clifford † juv. — Margarita ux. *Henrici Stanley B. Strange C. Darb.* † 1596. — 2. Georgius B. Clifford. Com. Cumbriæ *Eq. Perisc.* † 13. Oct. 1605. *Margarita, Francisci Russel C. Bedford. f.*

Franciscus B. Clifford † juv. — Robertus B. Clifford † juv. — Anna n. 30. Jan. 1590. nup. 1. *Richardo Sackville C. Dorset.* 2. *Philippo Herbert C. Pembr.*

CLIFFORDENSIS,
COMITUM DE CUMBERLAND.

Margarita.

Lucia uxor 1. *Hugonis de Say* 2. *Bartholomæi de Mortimer.* | Rosamunda Pellex *Regis Henrici II.*

Rogerus de Clifford † 1334. *Sibylla Roberti de Evvyas f.* | Ægydius Clifford. | Richardus Clifford.

Rogerus de Clifford II. † 1287. Ux. 1. *incomperta.* 2. N. *Com. de Lauretania ducta a.* 1273.

Isabella, Roberti de Vipount fil. & cohæres.

Mathilda de Laci Thomæ de Clare matertera & hæres.

Isabella, Mauritii B. Berkeley f.

Ux. *Mathilda, Thomæ de Beauchamp C. Warvvic. fil.* | Thomas Clifford.

Wilhelmus Clifford, Eques † improlis 1418. *Anna, Thomæ Bardolfe fil. & coh.* | Ludovicus Clifford *Vid. Tab. seq.*

Mathilda nup. 1. *Richardo de York Com. Cantabrig.* 2. *Johanni Nevil Bar. Latimer.*

Ux. *Johanna, Thomæ Bar. Dacres de Gillesland. f.*

Elisabetha nup. 1. *Roberto Humpton* 2. *Wilh. ejus fratri.* | Mathilda ux. *Thomæ Harington de Aldingham* 2. *Eduardo Dudley.* | Anna nup. 1. *Richardo Tempest.* 2. *Richardo Conyers.* | Johanna ux. *Sim. Musgrave.* | Margarita nup. *Roberto Carpe.*

Richardus Clifford. † improlis. | Elisabetha nup. *Roberto Aske.*

Mabilia nup. *Wilhelmo Fitz-Williams Com. Southanton.* | Johanna ux. *Radulphi Bovves.* | Anna nup. *Roberto Metcalf.* | Eleonora ux. *Niniani Markenfield.* | 2. Dorothea nupta *Hugoni Lovvther.*

Catharina nup. 1. *Johanni B. Scroope de Bolton.* 2. *Richardo Cholmley de Roxby.* | Mathilda ux. *Johannis B. Coniers de Hornby.* | Elisabetha nup. *Christoph. Metcalf.* | Jana nup. *Johanni Huddlestone.*

Franciscus Clifford Com. Cumbriæ † 1641. *Grisolda Thomæ Hughes de Uxbridge fil.* † 16. Jun. 1613. | Francisca nup. *Philippo Bar. Wharton.* | Eleonora † juv. | Maria † juv.

Henricus Clifford Com. Cumbriæ † 11. Dec. 1643. *Francisca, Roberti Cecil C. Salisbur. f.* † 14. *Febr.* 1644. | Margarita ux. *Thomæ Wentvvorth C. Strafford.* | Francisca nupta *Gervasio Clifton.*

Elisabetha n. 1613. nup. 5. Jul. 1635. *Richardo Boyle Vicec. Dungarvan Com. de Burlington & de Corke.*

SCHEMA II. FAMILIÆ CLIFFORDENSIS.

LUDOVICUS CLIFFORD Rogeri V. F. *Eques Periscelidis* † a. 1405. *Alienora.*

Wilhelmus Clifford † 1437. *Elisabetha* N. uxor *Philippi la Vache Arnoldi Savage fil. & hæres.*

Ludovicus Clifford † ante patrem *Anna Molins.* — Johannes Clifford *Florentia Johannis S. Leger f.*

Alexander Clifford de Holme in Com. Cantii. — Thomas Clifford de Borscombe *Thomasina Joh. Thorpe f.*

Wilhelmus Clifford de Borscombe. *Elisabetha Vaux de Odiham.*

Henricus Clifford de Borscombe † 1577. *Elisabetha, Wilhelmi Carrant de Tumber f.*

Antonius Clifford de Borscombe † 1580. *Anna, Petri Courtney de Chudley f.*

Thomas Clifford de Ughbroke † 1634. *Amicia, Hugonis Steplehill de Bremble f.*

Hugo Clifford de Ughbroke † 1639. *Maria, Georgii Chudley de Ashton f.*

Thomas BARO Clifford de Chudley cr. 18. Apr. 1672. † *Elisabetha, Wilhelmi Martin de Lindridge fil. & cohær.*

Hugo Baro Clifford de Chudley. — Johannes Baro Clifford.

cui ROGERO nomen erat, eximia in bellis Gallicis sub Regibus Eduardo III. & Richardo II. gestis fuit gloria.

THOMAS *de Clifford*, *Rogeri* filius, gentis suæ primus est, cui Baronis titulum *Dugdalius* tribuit, licet progenitores ejus inde à Roberto I. ad Ordinum Comitia citati, atque adeo in Parium regni numero reputati fuerint; erat ille quoque non inglorius militiæ & Carleolo præfectus, sed in robore ætatis rebus humanis exemtus, relicto post se filio JOHANNE; is in bello Gallico sub auspiciis R. Henrici V. à quo *aurea periscelide Sangeorgiani Ordinis* cohonestatus est, multa egregiæ fortitudinis specimina edidit, ac in Meldensis civitatis oppugnatione mortem oppetiit. Filium ejus THOMAM, nepotemque ex eo JOHANNEM constans erga domum Lancastricam studium & fides usque ad perniciem culta nobilitavit: ambo enim sanguinem vitamque, cum pro R. Henrico VI. adversus Eduardum Eboracensem acerrime dimicarent, profuderunt, prior in prælio San-Albano; alter in Tutonensi, de quo referunt, quod in Wakefeldensi pugna, qua Regii superiores discesserant, tantam suapte manu hostium cædem ediderit, ut *lanio* militaribus appellaretur facetiis. Vidua ab ipso relicta, cum filiis suis malum formidaret ab Eduardo Eboracensi, per Tutonensem victoriam rerum potito, clam submovendos duxit, proindeque natu minorem in Belgium transportari curavit, majorem vero fidei opilionis in Eboracensi Comitatu concredidit; dissipans ambos trans mare missos ignoto sibi loco agere. Sed RICHARDUS brevi temporis spatio interjecto mortem in Belgio obiit; HENRICUS autem inter agrestes educatus, rudis ac omnium literarum expers adolevit, ita ut postquam conversis rebus & Henrico Richmondio, qui è Lancastricis ortus erat, ad regnum evecto, in honores & possessiones avitas restitutus esset, nomen suum literis exprimere tantummodo disceret; astronomicis tamen speculationibus in solitudine sua vacasse, iisque tota deinceps vita magno cum progressu deditus fuisse memoratur; militiæ autem rudimentis, ex quo in lucem protractus fuit, imbutus, ordines in bellis Scoticis duxit.

Erat ei patruus ROBERTUS *Clifford*; is à familiari erga Lancastrensem domum studio aliquando visus est descivisse, cum Perkini Warbeck sub persona Richardi Ducis Eboraci adversus R. Henricum VII. excitati, partes suscepisset, & clandestinam ex Anglia discessionem ad Margaritam Eboracam Burgundiæ Ducissam, fabulæ istius architectricem, fecisset; facili vero negotio ad Regias retractus partes, cum indicium etiam omnis conjurationis & complicum ejus detulisset, dubium fecit, sponte ne an sciente & subornante Rege in Flandriam discesserit.

Henricus *Clifford*, *Henrici* F. ineunte adolescentia vitiis prodigalitatis & contumaciæ deditus fuisse fertur, quæ tamen, postquam ad bonam se recepisset frugem, multis emendavit virtutibus, novisque se dignum reddidit honoribus: à R. Henrico VIII. enim axiomate *Comitis Cumbriæ*, quem titulum nemo ante ipsum gesserat, auctus Equitibus Ordinis *Aureæ periscelidis* adscriptus, atque officiis Præfecti Carleolensis arcis oppidique & limitis Occidui, nec non Præsidis Regii Concilii in partibus Borealibus amplificatus. Successit ei *filius cognominis*, qui adversus Comites Northumbriæ & Westmoriæ rebelles Carleolum communivisse & manum militarem contraxisse apud *Camdenum* (a) legitur; genuit is è priore uxore *Eleonora Brandonia* gnatam, *magna spe & pompa*, ejusdem autoris (b) verbis utor, *enuptam Henrico filio Comitis Derbiæ, ut unicam familiæ heredem. Sed hæc spes evanuit, cum ille è secunda uxore Anna Dacrea duos procreasset filios, qui in paterno honore invicem successerunt.* Horum natu majorem GEORGIUM matheseos cultura & rei navalis peritia nobilitarunt: quibus studiis ita deditus fuisse *Dugdalio* memoratur, ut ea in usum & praxin deducendo, naves ac hippodromos ædificando & maria obeundo plus avitarum possessionum consumserit, quam quisquam majorum ejus. Inter expeditiones verò ejus maritimas illam maxime narratu dignam *Camdenus* (c) reputavit, quam anno 1598. suscepit, classe XI. navium suis impensis instituta, ut Caraquas Lusitanas è Tago in Indiam Orientalem solventes interciperet; illis autem è portu exire non ausis ad Canarias cursum direxit, Lanceratamque cum oppido cepit & diripuit; inde ad Boriquenam terram conscendit & facto agmine Portum-Ricum aggressus, unoque & altero munimento expugnato, oppido potitur vix XXX. desideratis, etsi ibidem CCCC. præsidiarii præter incolas. Hic ille, quum ob opportunitatem situs Americæ clavis ab Hispanis haberetur, sedem belli statuere cogitavit, incolasque omnes submovit, etsi in loci redemtionem opulentas merces aurumque & argentum factum offerrent. Sed dysenteria cum torminibus inter Anglos mox ita grassari cœpit, ut LX. diebus quibus ibi egerunt, septingentos absumserit, necessarioque domum redierit, plus victoriæ quam prædæ reportans: gravi tamen damno Hispanis illato, quod per ipsum eo anno neque Caraquæ in Indiam Orientalem solverint, nec classis Americana in Hispaniam redierit. Quoniam filios duos, quos genuerat, turbato mortali-tatis

(a) *Annal. Elis. p. 169.* (b) *Ibid. p. 190.* (c) *Ib. l. 725.*

ratis ordine ante se defunctos extulit, hæredem castrorum & prædiorum omnium fratrem FRANCISCUM scripsit, gnatæ suæ unicæ *Annæ* summam XVM. librarum legavit, reliqua creditoribus suis permisit. *Franciscus* itaque in honorem *Comitis* Cumberlandiæ & ditiones avitas successit, eademque vivis exemtus filio HENRICO reliquit; quo sine mascula prole mortuo cum ex Henrici primi Comitis Cumbriæ propagine mas nullus superesset, transtulit R. Carolus I. ineunte anno 1644. Cumbricum titulum Ducali auctum axiomate in *Rupertum Comitem Palatinum* è sorore sua natum; cum eo prole destituto, postquam iterum expirasset, resuscitatus haud ita pridem est à R. Wilhelmo III. & *Georgio Principi Daniæ* una cum indigenatus jure collatus.

Non emarcuit tamen omnis Cliffordorum stirps cum ramo capitali, sed floret hodieque in agnatis, quos inter caput extulit ille, quem LUDOVICUS *Clifford*, *Thomæ* primi ex hac gente Baronis frater natu minimus, prosevit, fœcundis diffusus palmitibus: eo enim Cliffordii in Cantii, Wiltoniæ & Devoniæ Comitatibus habitantes prognati sunt. A Devoniensibus ortus erat THOMAS CLIFFORD, quem R. Carolus ob fidem & industriam cognitam in officio Thesaurarii Palatii Regii, quod obierat, ad Baronum gradum sub titulo *Lord Clifford of Chudley* evexit, & paulo post munere Summi Angliæ Thesaurarii auxit; eo fato paucis abhinc annis functo HUGO Clifford, huic autem JOHANNES, frater forsan, successit.

Scutum Cliffordorum gentilitium *tessellis argenteis & cæruleis variegatum fasciaque argentea interstinctum* est: huic *Baro Clifford* hodiernus *lunulam falcatam* discerniculi ergo imponit; in *apice* clypei coronato *draco* conspicitur.

CAPUT CIX.

DE RELIQUIS ANGLIÆ BARONIBUS.



AD metam denique perventum est, quam hunc anhelare non dissimulo animum, negotiis, curis, luctuque recenti & desiderio pientissimi Patris, sublati proh dolor! ex oculis, obrutum, distractum, turbatum ac afflictum. Dum Patrem mihi sublatum dico, partem viscerum meorum abruptam dico, ita nihil quidquam inter res humanas suavius charius pensiusque illo mihi fuit. Enim verò hic non amandus, hiccine non ferendus in oculis atque habendus in deliciis erat? qui patriæ, familiæ, mihi, dum vixit, ornamento fuit ac præsidio; quo nemo pater nec vir melior extitit, nemo pietate præstantior; cujus quasi lumen quoddam eluxit sapientia, non terrestris aut animalis; sed illa, quæ desursum est, quæ casta est, deinde pacifica, modesta, æqua, obsequiosa, misericordiæ plena bonisque referta fructibus, non dijudicans & minimè simulatrix. Omnino fuit hæc in dulcissimo Genitore indoles, animus nescius fuci, simulationis, histrioniæ, quam totus nunc exercet mundus, expers audaciæ & cupiditatis pravæ, vacuus à philavtia, ambitione, vindicta, ἐπιχαιρεκακίᾳ, sed mens bona, aperta, simplex, candida, pura, voluptatum & quæstus contemptrix, nihil sibi vindicans & tamen assequens omnia, semper infra aliorum æstimationem se metiens, parére atque imperare juxtà parata, laudem conferens in medium potius quàm ex communi ad se trahens, ad publicam utilitatem cuncta referens, facilis præterea, tractabilis, benigna, humilis; & benefaciendo magis eminere quam potestate cupiens, ea denique misericordia & mansuetudine semper prædita, ut nemo unquam ab illo frustra auxilium petiverit, nemo tristis à facie ejus discesserit, quin ipse intimis angeretur sensibus; quam tamen humanitatem gravitate ita temperare novit, ut, quod in Agricola Tacitus laudavit, nec facilitas autoritatem, nec severitas amorem diminuerit. His moribus, viro bono & Christiano dignis, mira aderat conspiratio & consensus illarum virtutum, quæ virum civilem & Senatorii ordinis exornant: nimirum dexteritas in rebus agendis magna, fides ac prudentia in administranda Republica summa, facundia facilis, industria inexsuperabilis, eruditio varia, peritia rerum & exemplorum omnisque historiæ excellens, scientia in rebus patriis planè singularis, eaque parta lectione assidua: neque enim tantum ætas dum vigeret, sed etiam cum corpus jam annis infirmum esset, præstantia bonorum auto-

[illegible] rum

tum

rum scripta, omnia patrio archivo immersa monumenta, omnes situ ac senio obliteratas chartas inexplebili legendi aviditate pervolutavit, fidemque excedente memoria ita singula exhausit atque in numerato habuit, ut vivum & spirans archivum meritò sit appellatus. Jam in his, quæ nos quoque delectare solent, studiis papæ quantus erat! illustrium familiarum & magnatum Orbis Christiani omnium nomina, origines, cognationes, ætates & quidquid ad publicas privatasque eorum res pertinet, percalluit, & extemplò ac expeditè enumerare potuit. Atque hanc tam felicem, tam fœcundam ejus memoriam judicium neutiquam destituit, ceu vulgò assolet, sed rarissima copula id rectum, acutum & subtile prorsus habuit. Tot virtutibus, dotibus ac ornamentis eum una omnium cordatorum sententia redundaverit beatissimus Parens, quei ea & jacturam, quam fecimus, reputando temperem à luctu, à dolore? quei desiderio ejus non angar ac discrucier? At ille in manu Dei, quem sanctissimè semper coluit, in quo spei fiduciæque suæ anchoram unicè defixit, cujus gratia vitam benè actam ἱλαρώτατος absolvit, placidè quiescat! fruatur anima dilectissima æternis gaudiis, exuviisque sit terra levis! Quidquid in ipso amavimus, quidquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, in fama rerum. Multos velut inglorios & ignobiles oblivio obruit; Wilhelmus Imhofius posteritati narratus & traditus superstes erit.

Ignosce Benevole Lector, quod hæc scribens mihi aliquid dederim: redeo jam eò, unde me pietas abduxit filialis, atque extremam huic operi manum impositurus nomenclationem residuorum Angliæ Baronum subjungo: quoniam enim isti his posterioribus annis, & post editum Dugdalii Baronagium in illum adsciti sunt ordinem, ampliore de iis & originibus eorum notitia destituor, neque quam ex Anglia nancisci sperabam, diutius exspectandi spatium superest.

Georgius Carteret Baro Carteret Cliffordium proximè sequitur: hunc R. Carolus II. ad hunc provexit gradum, postquam avi sui *Georgii Carteret de Metesches*, Vice-Cubicularii domus Regiæ munere functi & ineunte anno 1680. mortui, hæreditatem crevisset; uxorem habet *Gratiam Grenevillam*, Johannis Comitis Bathoniæ filiam.

Succedit huic *Johannes Bennet Baro Offulston*, quem fratrem esse Henrici Bennet Comitis Arlingtoniæ supra notavimus, uxori ejus prænomen *Brigita* tribuitur.

Georgius Legge Baro Dartmouth hoc honore exeunte anno 1682. affectus est à R. Carolo II. sub quo rei tormentariæ præfecturam gessit, quæ torum ejus partitur, *Barbara* à Sandfordio appellatur.

Ægydius Allington Baro Allington filius est *Wilhelmi Baronis Allington*, quem Rex sæpè laudatus eadem, dequa modo dictum est, creatione Angliæ Paribus adscripsit, cum anteà tantum in Procerum Hibernicorum numero fuisset; vitam is cum morte commutavit d. 12. Febr. 1685. relicta post se vidua *Diana Russella*, Wilhelmi Com. Bedfordiæ gnata; hanc verò non unicam ejus fuisse uxorem, sed tenuisse ante illam matrimonium ejus arbitror *Catharinam Stanhopiam*, Philippi Com. de Chesterfeild filiam; utrum vero etiam *Juliana Noel*, Baptistæ Vicec. Campden gnata, quam *Wilhelmi B. Allington* uxorem Tab. Cl. diximus, ejusdem conjux an mater fuerit, dijudicare non ausim. *Elisabetha Allingtonia*, Caroli Seimori B. de Trowbridge vidua, eaque Ducis Somersettiæ mater, soror ejusdem esse videtur. Cæterùm familiam Allingtoniam non hoc demum illustratam esse seculo, sed superiore etiam ævo claram & conspicuam fuisse è subjunctis *Camdeni* (a) verbis videre est: *Wimondley* in Herfordia situm, inquit ille, *antiquum & celebre prædium est, quod honoratissimo apud nos jure (Grand Sergeantie Juris periti nostri vocant) tenetur, nimirum ut possessor Regibus Angliæ, quo die inaugurantur, primum ministret scyphum, & sit quasi regius pocillator. Quem honorem ratione hujus prædii primis Normannorum temporibus nobiles Fitz-Teca dicti gesserunt, à quibus per filiam ad Argentonios devenit. Hi à Davide de Argentonio Normanno viro militari, qui sub Guilielmo primo meruit, & nomen & stemma duxerunt, & in hujus rei memoriam tribus scyphis argenteis in clypeo rubro usi sunt. Verum deficiente tandem prole masculа Henrici VI. tempore, Elisabetha Argentonia, quæ solidam hæreditatem crevit*, Guilielmo Allingtono *Equiti enupta amplissima hæredia cum hac dignitate attulit, à quo septimus est* Ægydius Allingtonus *hujus familiæ heres,* Fee pupillus

(a) *Descr. Brit. p. 310.*

pupillus jam regius, adolescens moribus suavissimis, & indole verè generosa, qui generis claritatem novo virtutum splendore illustrabit.

Radulphus Stavvell Baro Stavvell de Somerton in Somersettiæ Comitatu creatus est d. 26. Jan. 1683.; conjugi ejus *Abigaelis* prænomen Sandfordius tribuit.

Hunc excipit *Franciscus North Baro Guilford*, patre ejusdem nominis & Cancellario Angliæ, ceu superius Cap. XCI. dictum est, natus.

Sidneius Godolphin Baro Godolphin in hunc ordinem ab eodem Rege, cui à sacris consiliis fuit, sublatus est, genere vetusto ortus, quod pro insignibus *aquilam bicipitem albam inter tria lilia ejusdem coloris* jam olim usurpasse *Gibbonus (a)* è Camdeno refert.

Henricus Jermyn Baro Dovor eadem cum Barone Jermyn & Comite de St. Alban. suprà memoratis, stirpe satus est.

Georgius Jeffreys Baro Jeffreis de Wem patrem habuit ejusdem nominis, qui officio Judicis primarii Tribunalis Regii functus à Jacobo II. in Baronum numerum mense Majo anno 1685. relatus, & paulò post ad dignitatem Cancellarii Angliæ evectus, consiliorum ejus arbiter fuit: mutata autem heri fortuna & conditione, regnoque in alium translato, cum ipse etiam fortunæ diffisus fugam adornaret, centonibus inductus vulgaris nautæ comprehensus atque in castrum Londinense conjectus est, in quo vitam deposuit multis post se relictis liberis; eorum natu maximus ille est, quem in præsentia Baronis Jeffreys titulum gerentem initio nominavimus, quique nunc in Italia peregrinatur & conjugio cum filia Philippi Herberti Com. Penbrochiæ conjunctus est.

Henricus Waldgrave Baro Waldgrave patre natus est Medico primario R. Jacobi II. cujus filiam naturalem cum ille in uxorem accepisset, Baronis simul honore auctus fuit.

Eduardus Griffyn Baro Griffyn creatus est ab eodem Rege paulo antequam in Galliam fugam capessivisset. Pater illi fuit ejusdem nominis, tori verò sociam habet *Essexiam Hovvardam*, Jacobi Com. Suffolciæ filiam.

Claudunt denique Parium Angliæ chorum *Hugo Cholmondley Baro Cholmondley* & *Johannes Ashburnham Baro Ashburnham* ab hodierno gloriosissimo Rege ad hunc gradum sublati.

(a) *Introd. ad Lat. Blas. p. 85.*



INDEX

FAMILIARUM ET TITULORUM,

In quo illæ *antiquis* literis, hi *cursivis* (ceu loqui amant) distincti sunt: *numerus minor* nudè positus *Capita Partis prioris*, ille autem, cui litera *p.* est præposita, *Partem posteriorem*, *major* sive *Romanus Tabulas* denotat: In concursu numerorum primus ubique ad illam se refert familiam, quæ in præsentia adscripto utitur titulo. Literæ denique D. M. C. Vic. & B. diversa axiomatum genera, nempè *Ducis*, *Marchionis*, *Comitis*, *Vicecomitis* & *Baronis* innuunt.

A.



CAPUT CII.

DE BARONIBUS LEIGH.



Ohunium Baronem excipiunt *Wilhelmus Hovvard Baro Hovvard de Eserick* & *Henricus Herbert Baro Herbert de Chirbury*; de quibus supra actum jam est: post eos recensetur THOMAS LEIGH BARO LEIGH *de Stoneley*. Hujus originem *Dugdalius* ab antiqua & conspicua in Comitatu Cestriæ familia *Leighorum de Highleigh* derivat, è qua aliquis natu minor *Wellingtoniæ* in Salopia domicilium fixerit, quo prognatus *Rogerus Leigh* pater fuerit THOMÆ: is à divite Mercatore Londinensi, cui nomen erat *Rolando Hill*, educatus, ejusque institor in regione transmarina factus & officio suo uti sedulum & frugi hominem decet functus, uxorem denique accepit *Aliciam Barkeram*, natam è sorore nutricii sui, qui etiam, quoniam ipse sobole carebat, liberos ex istis ortos hæredes omnium bonorum suorum scripsit. Ad magnas cæterum opes, quas *Thomas Leigh* consecutus est, tanta accessit dignatio, ut ineunte regno Elisabethæ *Prætor Londinensis*, quem vulgo *Lord Major* appellant, crearetur.

Tab. CXXXV.

SCHEMA BARONUM LEIGH.

THOMAS LEIGH Rogeri Leigh de Wellington F. Lord Major Londinensis † 17. Nov. 1571. *Alicia Barker.*

Rolandus Leigh. | Thomas Leigh Baronetus † m. Febr. 1626. *Catharina, Joh. Spenser de Wormleighton f.* | Wilhelmus Leigh, Eques.

Johannes Leigh † ante patrem. Ux. | Alicia nup. *Roberto Dudley* creata Ducissa Dudley 23. Maji 1644. † 22. Jan. 1670. | Franciscus Leigh. *Maria Thomæ Egerton B. Ellesmere f.*

Thomas Leigh BARO Leigh de Stoneley cr. 1. Jul. 1643. † 22. Febr. 1671. *Maria, Thomæ Egerton. f.* | Franciscus Leigh BARO Dunsmore cr. 31. Jul. 1628. COMES de Chichester 3. Jun. 1644. † 21. Dec. 1653. *Audreja, Joh. B. Butler de Bramfeild f.*

Thomas Baro Leigh de Stoneley † ante patrem. 1. *Anna, Richardi Brighan f. & h.* 2. *Jana, Patricii Fitz-Maurice B. de Kerrey f.* | Carolus Leigh. | Ferdinandus Leigh † cæl. | Christophorus Leigh. | Elisabetha ux. *Joh. Vicec. Tracie.* | Vera, nup. *Justiniano Isham de Lamport.* | Ursula ux. *Wilhelmi Bromley de Baginton.* | Elisabetha nup. *Thomæ Wriothesly C. Southampton.* | Maria ux. *Georgii Villers Vicec. Grandison.*

1. Anna † in juventa. | 2. Thomas Baro Leigh. | Honora nup. *Wilhelmo Egerton Equiti.* | Maria. | Jana.

E filiis tribus, quos *Thomas Leigh* post se reliquit, natu maximus ROLANDUS *Leigh* domicilium in Glocestriæ Comitatum transtulit, ubi prædio *Longborovv* aliisque Rolandus Hill ipsi prospexerat: THOMAS vero ac WILHELMUS larem sedesque in Warvvicensi provincia collocarunt, quorum propago in altiorem provenit locum: utriusque enim nepotes Paribus Angliæ adscripti sunt.

FRANCISCUS *Leigh*, qui à Wilhelmo sanguinem ducebat, usque ad *Comitis* gradum ascendit, creatus à R. Carolo I. de quo calamitosis temporibus bene meritus erat, *Comes de Chichester*, cujus nominis oppidum in Sussexia situm est; verum quia mascula prole carebat, expiravit cum eo hic honos, neque hactenus alii collatus est.

THOMAS *Leigh*, *Thomæ* postremo memorati *nepos*, titulum *Baronis* ab eodem accepit Rege, turbata jam Anglia atque in factiones distracta; quemadmodum vero tristem illam catastrophen, Regio sanguine funestatam vidit, ita & lætæ, qua redditus est avitis regnis Carolus II, diu superfuit, & senecta ætate fatis concessit; hæredem nactus *nepotem* sibi *cognominem*; eundem nempe *Baronem Leigh*, quem initio citavimus.

Scutum, quo is uti solet, *rubeum* est, *cruce dentata aurea in quadras divisum*, quarum primam *rhombus aureus* implet.

CAPUT CIII.

DE BARONIBUS JERMYN, BYRON ET VAUGHAN.



THOMAS JERMYN BARO JERMYN in nomenclatura Parium ad novissima regni comitia à Rege hodierno evocatorum legitur; de eo dictum est superius, quod patruo suo *Henrico Baroni Jermyn* & *Comiti de St. Alban* illum in honorem successerit, neque plura de illo familiaque ejus addere hoc loco licet, revocare saltem fas est conjecturam, quam de obitu ejus ceperamus.

Sequitur WILHELMUS BYRON BARO BYRON, nec nova nec ignobili in Nottinghamiæ Comitatu familia prognatus, cui patruus erat JOHANNES BYRON de Nevvsted à R. Carolo I. festo inaugurationis ipsius Equitis Balnei honore ornatus, postea que ob probatam sibi gravissimis documentis fidem ac fortitudinem *Baro Byron de Rochdale* creatus, id quod die 24. Octobr. anno 1643. factum est, fratribus ejus, quos sex habuit, in dignitatis hujus hæreditatem substitutis, si illum sine prole mascula mori contingeret; hoc cum anno 1652. usu venisset (nullos enim prorsus liberos ex iterato suscepit matrimonio, utpote primo *Cecilia West* Thomæ Baronis *la Warre* filiæ, dein *Eleonora*, Roberti Vicecomitis *Kilmurrey* in Hibernia gnatæ maritus) RICHARDUS *Byron*, frater ipsius nascendi sorte proximus successionem in Baronatus honore adiit; huic etiam *duæ* fuere *conjuges*, *Elisabethæ* ambæ dictæ, prior filia erat Georgii *Rosel de Radcliffe*, posterior Georgii *Booth de Dunham Massy*. Ex illa præter gnatam *Catharinam* natus est WILHELMUS, initio nominatus, qui patri vita defuncto successit, & cum conjuge sua *Elisabetha*, Johannis Vice-Comitis *Chavvorth de Armagh* in Hibernia filia, genuit *VVilhelmum*, *Elisabetham*, *Catharinam*, *Mariam*, & *Annam*. (a)

Insignia Byronorum *scuto* constant *oblique dextrorsum secto*, cujus *superior regio fasciis transversis rubeis argenteisque distincta* est, *inferior tota candet*.

JOHANNES VAUGHAN, BARO VAUGHAN idemque *Comes de Carbery* in Hibernia avum habuit cognominem, *VValteri Vaughan de Golden-Grave*, Armigeri filium; hunc Hibernica militia sub Comite Essexio, extremis R. Elisabethæ annis nobilitatum & Equestri honore decoratum R. Jacobus anno 1620. Baronem Hiberniæ creavit, & titulo *Lord Vaughan of Molingar* insignivit; Carolus I. vero ad *Comitis Carberia* honorem eodem in regno provexit. Conjugium is iterata iniit vice, priore *Margaritam* Ægydii *Meriek* filiam, posteriore *Janam*, Thomæ *Palmer* gnatam sibi adjunxit: ex hac nullam, ex illa prolem utriusque sexus sustulit, nempe è sequiore unicam *Mariam*, Francisco *Lhoyd de Masseluyr* nuptam, mares vero tres, inter quos *VValterus* & *Johannes* intra juventutis annos vitam cum morte commutarunt, *Richardus*, qui ætatibus illorum medius interjectus erat, patri successit, & fide ac assiduitate, quam R. Carolo I. exhibuit, honorem *Paris Angliæ* promeruit, *Baro Vaughan de*

(a) Dugdal. Baron. III. 460.

Emlyn d. 25. Oct. anno 1643. salutatus. *Uxores tres* successivè duxit: prima erat *Brigita* Thomæ *Lhoyd de Llanleer* filia, secunda *Francisca*, Johannis *Altham de Oxhey* nata, tertia, *Alicia* Johannis *Egerton C. de Bridgewater* filia: prima *quatuor* ei peperit *filios* præmature mortuos, secunda *novem liberorum* patrem fecit; è *filiabus* quæ *senarium* implevere numerum, *duæ* supersunt *Francisca* scilicet & *Althamia*: natorum maximus *Franciscus Vaughan* post ductam uxorem *Rachelem* Thomæ *VVriothesley* Comitis Southantoniæ gnatam & cohæredem improlis decessit, hinc secundogenitus *Johannes Vaughan* patri, quem non ita pridem in Libitinæ rationem venisse oportet, in honores *Comitis Carberiæ* & *Baronis Vaughan* successit, atque inter Pares, qui ad Parlamentum novissime citati fuere, relatus est. Eundem munus Præsidis societatis regiæ nunc ornare & Marchionis Halifaxii filiam nuper ductam, sed brevi morte amissam, in matrimonio habuisse dictum nobis est; quod si ita se habet, uxor illius secunda ea fuit, priorem enim ei *Dugdalius* tribuit *Mariam*, Humphredi *Browne de Greene-Castle* filiam ac hæredem.

Fratri ejus natu minori nomen est *Althamio Vaughan*.

Insignia Vaughanensis familiæ *scuto* constant *nigro*; in quo *tria infantium capita humerotenus*, *tortis circum colla anguibus revincta*, repræsentantur.

CAPUT CIV.

DE BARONIBUS CARINGTON, WIDDRINGTON ET COLEPEPER.



FRANCISCUS SMITH BARO CARINGTON, quem Vaughanius proxime antecedit, genus suum, *Dugdalio* (a) referente, à *Michaele Carington* derivat, qui R. Richardi in Palæstina vexillifer extitit. Ejus in progenie *Johannes Carington* numeratur, qui quod Regi Richardo II. etiam postquam regno exutus fuisset, constanti adhæreret fide, solum vertere coactus est, cumque apud exteras nationes ageret, gentilitio nomine abstinuit, & *Smithius* appellari voluit, quod cognomentum posteris ejus in Angliam reversis mansit; hos inter *Johannes Smith* regnante Henrico VIII. interscribas supremi Thesaurarii locum habuit, & nuptiis *Annæ Harvvellæ*, Johannis Harwelli filiæ ac hæredis, se familiamque ad lautiorem extulit fortunam. Prognatus eo est CAROLUS *Smith* quem R. Carolus I. d. 31. Oct. an. 1643. Baronem Angliæ sub titulo *Lord Carington of VVotton* creavit, & quarto abhinc die ad honorem *Vice-Comitis Carington de Barrefore* in Hibernia promovit. Mortem is in Gallia obiit, à servo suo pecuniæ & gemmis, quas secum ferebat, inhiante ad Pontem Oesiæ trucidatus die 22. Febr. anno 1664. Uxor ei fuit *Elisabetha*, Johannis *Carrill de South-Harting* gnata, cum qua genuit mares quatuor, fœmellas quinque, videlicet:

FRANCISCUM *Smith* patris successorem & maritum *Julianæ*, *Thomæ VValmesley de Dunkenhalg filiæ*, è qua *Carolum* in infantia mortuum genuit.

Carrillum Smith.
Johannem Smith.
Carolum Smith.
Mariam, nuptam *Georgio VVintour de Huddington*.
Luciam, quæ cælebs obiit.
Annam.
Margaritam, *Francisci Hungate de Huddleston* uxorem & Mariam, vico, antequam nuberet, defunctam.

Scutum, quo *Baro de Carington* utitur, *nigrum* est, continens *decussim dentatum aureum*, *liliis cæruleis tribus insignitum* & *sex crucibus pedatis & spiculatis argenteis stipatum*.

WILHELMUS WIDDRINGTON BARO WIDDRINGTON *de Blanney* in Com. Lincolniæ honorem, quo gaudet, avo suo ejusdem nominis acceptum refert, is enim primus è gente sua florentissima in Borealibus Angliæ partibus ad Baronis gradum provectus est d. 10. Nov. anno 1643. propter eximiam fidem atque operam, quam R. Carolo I. cum Parlamento populoque Anglico belligeranti præstitit, quamque denique sanguine suo obsignavit, in conflictu cum Lilburno tribuno Cromwelliano apud Wigganum in Lancastria mense Augusto anni

(a) *Ib. p. 470.*

anno 1651. cæsus. Habuit in matrimonio *Mariam*, Antonii *Thorold de Blankney* gnatam ac hæredem, è qua novem liberorum pater factus est; è sequiore sexu *Maria*, Cranlo *de VVood-Rysing* nuptæ & *Jana*, quæ *Caroli Stanley* uxor est. Filii septenarium implevere numerum, hoc ordine:

I. Wilhelmus, qui patri successit atque uxorem habuit *Elisabetham, filiam ac hæredem Peregrini Bertu de Eveden*, è qua suscepit

VVilhelmum Baronem VVıddrington hodiernum, cujus uxori Sandfordius in Historia Inaugurationis R. Jacobi II. *Alatheæ* prænomen tribuit.

II. Henricus Widdrington.

III. Ephraim Widdrington.

IV. Eduardus Widdrington.

V. Radulphus Widdrington.

VI. Antonius Widdrington.

Et VII. Rogerus Widdrington.

Baronem Widdrington sequitur EDUARDUS WARD BARO WARD, cujus superius occasione familiæ Suttonicæ, à qua maternum ducit genus, mentio injecta est; hunc excipit JOHANNES COLEPEPER BARO COLEPEPER *de Thoresvvay*: hujus familia illustrari cœpit in parente ejus, cui itidem nomen JOHANNIS erat, natales vero haud ignobiles: jam dudum enim Colepeperorum stirpem in Cantio & Sussexia floruisse *Dugdalius* refert, dotes prætereà animi ac ingenii insignes, quibus & pacis & belli munia à R. Carolo I. ipsi demandata ornavit: namque ærarium Cancellarii titulo administravit, Archivo præfuit, & diversis in pugnis ordines duxit, assiduitate locum inter intimiores dicti Regis filiique ejus ac successoris Consiliarios, nec non Pares Angliæ promeruit, Baro d. 21. Oct. anno 1644. creatus. Decessit è vita paulo post restitutionem Caroli II. in avitum regnum die scilicet XI. Jul. anno 1660. uxorem bis duxerat, primo *Philippam Snellingam*, è qua genuit *Alexandrum, Catharinæ Ford maritum*, sed sine prole patri præmortuum, nec non *Philippam*, Thomæ *Herlakenden de VVood-Church* elocatam, secundo *Juditham*, Thomæ *Colepeper de Hollingburne* filiam, quæ septem ei liberos peperit, fœmellas nempe tres, *Elisabetham*, Jacobo *Hamilton* Armigero nuptam, *Juditham* & *Philippam*, mares autem quatuor, quorum hæc est nomenclatio:

I. THOMAS Baro Colepeper successor patris cui Virginiæ præfectura ineunte anno 1680, demandata est; duxerat in matrimonium *Margaritam*, *Johannis de Hesse Nobilis Germani in Bergensi Comitatu gnatam*, è qua filiam unicam *Catharinam* suscepit, atque intra hujus lustri spatium supremum diem obiit.

II. Johannes Colepeper, ad quem, fratre sine prole mascula, ceu modo dictum est, mortuo, Baronis honos devenit.

III. Cheneius Colepeper.

Et IV. Franciscus Colepeper anno 1662. vita defunctus.

Insignia Baronis *Colepeper*, *baltheum dentatum rubrum* referunt, *filo argenteo superinductum*.

CAPUT CV.

DE BARONIBUS ASTLEY, LUCAS ET ROCKINGHAM.

IACOBUS ASTLEY BARO ASTLEY *de Reading* in Comitatu Bercheriæ non novo, sed perantiquo genere prognatus, ad veteres Barones Astley de Astley, qui in Comitatu Warvvicensi inde ab ætate R. Henrici II. usque ad regnum Henrici VI. eminuerunt, originem suam refert. In illorum numero erat *Thomas Baro Astley*, regnante Henrico III. adversis, quem arma cum Comite Montfortio sociaverat, in pugna Eveshamensi cæsus: huic duæ tribuuntur uxores, prima *Johanna*, Ernaldi *de Bosignata*, eademque mater Andreæ, qui in paternos honores successit, secunda *Editha*, Petri *Constable de Melton* filia; hac natus est *Radulphus*, à quo descendisse tradit Dugdalius *Isaacum Aston de Melton-Constable* in Norfolcia, genitorem JACOBI.

Hic à prima juventa bellicæ laudis cupidine tactus ad bellum Batavos inter ac Hispanos sub hujus seculi initium flagrans profectus, in castris Mauritii Principis Arausionensis tyroci-

tyrocinium fecit, postea fratri quoque ejus Henrico Friderico meruit; pace autem sancita Christiano IV. R. Daniæ & denique Regi Sueciæ Gustavo Adolpho stipendia fecit: Tot militiis perfunctus, & strenui bellatoris gloria mactus patriam repetiit, qua tempestate omnis Anglia civili ardebat bello, & protinus Regi operam suam addixit, à quo Generalis excubiarum Præfecti munere cohonestatus præliorum apud Kinetonum, Bramfordiam, Nevvberiam, & Lesthiellam magna pars fuit; in quibus cum fortitudinis ac fidei eximia dedisset specimina, in Baronum Ordinem meruit adscribi, id quod die 4. Novembris a. 1644. factum est. Cunctis deinde Regis copiis per Vigorniam, Staffordiam, Herefordiam & Salopiam præpositus, inclinantem ejus fortunam, qua potuit industria, sustentavit, & denique conclamatis rebus fato cessit anno 1651. Tori sociam habuit genere Germanam, cui nomen erat *Agneti Imple*, è qua præter gnatam unicam *Elisabetham*, agnato ipsius *Eduardo Astley de Melton-Constable* nuptui locatam, quinque genuit filios, videlicet *Isaacum*, *Thomam*, *Henricum*, *Bernardum & Eduardum*.

ISAACUS in *Baronis Astley de Reading* honorem, jure primogenituræ successit, maritus *Annæ*, Francisci *Stydolfe de Norbury* filiæ, atque anno 1662. mense Septembri vitam cum morte commutavit, filiæ unicæ intra adolescentiæ annos vivis exemptæ, & duorum filiorum *Jacobi* scilicet & *Francisci* pater, è quibus prior titulum ab avo familiæ partum nunc tuetur, uxori ejus prænomen *Franciscæ* à Sandfordio tribuitur.

Scutum Baronis Astleji *cæruleum* est, & *flore pentaphyllo, maculis, quales in muræ Pontico conspiciuntur, respersò*, insignitum.

ROBERTUS LUCAS BARO LUCAS *de Shenfeild* Astlejo succedit: ex ejus familia, quam permultas ætates in Suffolcia & Essexia conspicuam fuisse Dugdalius refert; primus in Parium evehi gradum meruit JOHANNES *Lucas*, vir fortis, fidelis, industrius multaque doctrina, & linguarum cognitione ornatus, cui constans erga R. Carolum I. studium omnium facultatum, quas amplas habebat, jactura constitit: remuneraturus itaque Rex eximia viri de se merita *Baronem de Shenfeild* die 3. Januar. anno 1645. creavit, eundemque in honorem fratres ejus *Carolum* ac *Thomam* surrogavit, si forte ille sine mascula prole moriturus esset: id verò usu venturum cum Johannes Lucas prævideret, utpote unicæ filiæ *Mariæ* pater ex uxore sua, *Anna* Christophori *Nevilli de Nevvton-St. Lo* gnata, factus, cumque fratrem suum natu proximum *Carolum*, strenuum virum, ab adversariis, quorum in potestatem delapsus fuerat, indigna nece affectum, amisisset, exoravit Regem Carolum II. ut dictæ filiæ suæ, quam Antonio Grajo Comiti Cantii nuptui dederat, & hæredum, qui ex ea nascituri essent, rationem haberet; atque impetravit diploma die 7. Maji anno dicti Regis XV. qui seculi tertius supra sexagesimum erat, datum, quo illi Baronissæ *Lucas de Gradvvell* titulus collatus est, cum jure eundem ad hæredes ex ipsa Comiteque Cantii natos, transmittendi. Exemptus denique anno 1670. rebus humanis *Johannes Baro Lucas de Shenfeild* successorem hoc in honore nactus est nepotem è fratre Thoma *Carolum*, qui *Penelopen* Francisci *Leke* Comitis *Scardale* gnatam in conjugio habuit & viventium numero exemptus sit oporteat, quoniam in novissimo Baronum Angliæ catalogo non ipsius, sed *Roberti Bar. Lucas* nomen occurrit, qui utrum frater illius sit an filius, dignoscere nequeo, eundem tamen esse non dubito, cui pronuper, postquam Jacobus II. regnum Angliæ reliquisset, à Paribus Londini tunc congregatis custodia arcis Londinensis concredita fuit.

Insignia, quibus utitur, *scuto* constant *argenteo*, *fascia rubea*, *quam utrinque tres annuli ejusdem coloris circumstant*, *distincto*.

Jam ordo JOHANNEM BELLASYSE BARONEM BELLASYSE tangit, quia vero supra de eo dictum est, EDUARDUM WATSON BARONEM ROKHINGHAM in medium producimus: is nepos est LUDOVICI *Watson de Rockingham-Castle* in Northumbria quem R. Carolus I. bene de se ea in regione meritum è Baroneto Baronem sub Rokhinghamensi titulo fecit, per literas die 28. Januarii anno 1645. scriptas. Vita defunctus est mense modo nominato anno 1653. postquam matrimonium iterata contraxisset vice: prius cum *Catharina*, Peregrini *Bertu* Bar. Willoughbeii gnata, sterile fuit: in secundo vero cum *Eleonora*, Georgii *Mannours de Haddon* filia marem *Eduardum* & *fœmellas sex* procreavit, nimirum *Gratiam*, Eduardo *Barkham de West-Acre* nuptam, *Annam* quæ cælebs obiit, *Franciscam*, Eduardi *Dingley de Charlton* uxorem, *Elisabetham* quæ innupta ætatem peregit, *Eleonoram*, quæ mulier facta est ex viro *Carolo Dimock de Scrivelby*, & *Catharinam* intra juvenæ annos extinctam.

EDUAR-

EDUARDUS *Watson Baro Rockingham* filius Ludovici unicus, sociavit sibi jugali fœdere *Annam*, Thomæ *Wentworth* Com. Straffordiæ gnatam & nuper admodum vitam cum morte commutavit, postquam octo suscepisset liberos videlicet
Ludovicum Watson, ante patrem mortuum.
Eduardum Watson, successorem in honore Baronis Rockingham.
Thomam Watson.
Georgium Watson.
Eleonoram.
Arabellam.
Annam.
& Margaritam.

Scutum quo *Watsoni* utuntur, *argenteum* est, & *cantherium dentatum cæruleum* defert, cui tres *lanulæ aureæ* inscriptæ sunt, quemque *tres merulæ nigræ* comitantur.

CAPUT CVII.
DE BARONIBUS LANGDALE, CORNWALLIS ET DE LA MER.



INter Barones Rockinghamium & Langdalium locum obtinet ROBERTUS SUTTON BARO LEXINTON, de quo superius occasione familiæ Suttonicæ egimus. MARMADUCI Baronis LANGDALE *de Holme* in *Spaldyngmoore* pater ejusdem nominis in numero primorum fuit, quos Carolus II. ob assiduitatem & fidem sibi navatam, antequam regnum recuperasset, honoribus auxit: diploma enim, quo iste Baro creatus fuit, Brugis scripto diem 4. Februarii anni 1658. ad scriptam esse *Dugdalius* refert: habuit idem in conjugio *Lenoxiam*, Johannis *Rhodes de Barlborough* gnatam, è qua a. 1661. d. 5. Aug. fato suo functus quatuor reliquit liberos, videlicet

I. MARMADUCUM Baronem Langdale hodiernum, cui uxor est, *Elisabetha Thomæ Savage de Beeston filia*, qua nati sunt	Marmaducus Langdale. Jana nup. *Michaeli Anne de Trikley*.
II. Philippum Langdale.	
III. Lenoxiam.	
IV. Mariam.	Elisabetha uxor *Hugonis Smithson*.

Insignia hujus familiæ *cantherium argenteum tribus stellis stipatum in solo nigro* repræsentant.

JOHANNES BERKELEY BARO BERKELEY de Stratton & FRANCISCUS HOLLES BARO HOLLES *ab Ifeild* Langdalium proxime sequuntur: de utroque verò quia sermonem supra fecimus, ad CAROLUM CORNWALLIS BARONEM CORNWALLIS *de Eye* pergimus: hujus avum FRIDERICUM *Cornwallis de Brome* in Suffolcia R. Carolus II. primo post restitutionem suam anno, qui seculi primus à sexagesimo erat, die 22. Aprilis ad Baronum gradum ex Equestri ordine evexit, multa eaque gravia, rapinas nempe bonorum, carcerem & denique exilium pro ipso perpessum. Haud diu autem illo gavisus est beneficio sequentis statim anni die 22. Januarii rebus humanis exemtus. Uxores duas habuit primam *Elisabetham*, Johannis *Ashburnham* gnatam, secundam ejusdem prænominis, sed Henrici *Crofts de Sarham* filiam: ex hac prolem unicam sequioris sexus suscepit, nimirum *Janam* Wilhelmo *Duncombe de Batlesden* elocatam, è prima verò gnatos tres, hoc ordine:

I. CAROLUM successorem in titulo Baronis Cornwallis, ac die 13. Apr. 1673. mortuum: huic cum *Margarita Playsted* uxore sua geniti sunt	CAROLUS Baro Cornwallis superstes, cui *Anna Scot, Jacobi Fitz-Roy D. de Monmouth vidua* a. 1688. ducta est. Wilhelmus Cornwallis. Thomas Cornwallis. Georgius Cornwallis. Henrietta Maria.
II. Fridericum Cornwallis.	
III. Georgium Cornwallis.	

Scutum Baronis *Cornwallis* ita delineatum legi: *nigrum, lachrymis argenteis respersum, & baltheo ejusdem metalli distinctum, cui tres monedulæ nigræ impressæ sunt.*

HENRICUS BOOTH BARO DELAMER amplitudinem suam paternæ virtuti ac fidei debet: erat quippe ei parens *Georgius Booth*, cujus singularis erga R. Carolum exulem pietas & summa dignitatis ejus vel tuendæ vel restituendæ cupiditas enituit, ita ut eam quamvis sterilem grata ille coleret mente & deinde recuperato throno remunerare fas æquumque duceret: hinc die 20. April. anno 1661. in Baronum Ordinem provectus fuit. Uxorem idem bis duxit, primo *Catharinam Clinton*, Theophili C. Lincolniæ filiam, è qua fœmellam unicam, *Veram* nominatam suscepit; post illam *Elisabetham Grajam*, Henrico C. Stanfordiæ natam, penatibus suis induxit, ex ea mares quatuor, fœminas quinque genuit, harum nomina hæc sunt: *Elisabetha, Anna, Diana, Jana, & Sophia.* Inter filios eminet *Henricus Booth*, qui parenti in Baronis honorem successit, atque initio regni Jacobi II. haud procul à capitis periculo abfuit: accusatus enim conspirationis cum Duce Monmuthiæ, quodque illo in partibus occidentalibus arma corripiente ipse in Cestria turbas ciere & rebellionem facere molitus esset, in vincula traditus, & denique Parium judicio subjectus est: in eo sollemni moted. 24. Jan. 1686. acto causam pro capite dixit, atque objecta diluit, ita ut Judicum sententia, à Cancellario, qui Senescalli vicem explebat, pronunciata, absolutus & in libertatem restitutus fuerit. Postea magna illa rerum Anglicarum commutatione facta R. Wilhelmi partibus inter primos se adjunxit, exercitumque ejus haud exigua militum manu è vasallis suis aliisque sui studiosis contracta, auxit. Est ei tori consors, *Maria*, Jacobi *Langham de Cotesbroke* filia, quæ sequentium liberorum patrem eum reddidit; videlicet

- Jacobi Booth.
- Georgii Booth.
- Elisabethæ
- & Mariæ.

Fratres Henrici Baronis de la Mer hi sunt: Georgius Booth, Carolus Booth & Robertus Booth.

Insignia, quibus utuntur, *capita aprugna tria nigra in campo argenteo* repræsentant.

CAPUT CVII.

DE BARONIBUS CREW, ET ARUNDELL DE TREYRSE.



HOMAS CREW BARO CREW *de Stene*, qui proximum à Barone de la Mer locum occupat, ab antiqua in Comitatu Palatino Cestriæ familia originem derivat: ex ea JOHANNES *Crevv de Stene*, qui locus in Northantonia situs est, à R. Carolo II. Paris & Baronis Angliæ honore d. 20. Apr. a. 1661. auctus fuit, eò quod ad restitutionem ipsius enixe operam contulisset. Habuit ille patrem *Clippesbeium Crevv*, matrem *Janam* Joh. *Pultney de Misterton* filiam, avum *Ranulphum Crevv*, aviam *Julianam de Cleppesby*, conjugem vero *Jeminam* Eduardi *Walgrave de Lawford* gnatam & cohæredem, quæ eo mater facta est

I. THOMÆ Baronis Crevv initio nominati; cui primo ducta est *Maria*; *Georgii Tounshend de East-Raynham filia*, dein *Anna Wilhelmi Airmin de Osgodby gnata*, *Thomæ Woodhouse vid.*

II. Johannis Crevv.

III. Nathanaelis Crevv *Episcopi* Durhamensis & regnante Jacobo II. *Regii Sacelli Decani.*

IV. Walgravii Crevv.

V. Jemimæ nuptæ *Eduardo Mountagu C. de Sandvvich.*

Et VI. Annæ, uxoris *Henrici Wright de Dagenham.*

Tessera Baronis *Crevv* gentilitia *leo est argento tinctus in campo cæruleo.*

JOHANNES ARUNDELL BARO ARUNDELL *de Treyrse* antiquissima ortus est familia, cujus conditionem cum Wilhelmo Conquestore in Angliam transiisse atque Treyrsæ in Cornubia sedem fixisse *Dugdalius* tradit. Regnante Henrico VII. claruit ex hac gente *Johannes Arundell*, Eques, & classis regiæ sub-præfectus, quem præter alia fortia facta imprimis acre illustravit prælium, quo Duncanum Camelum, piratam Scoticum famosissimum, vicit & cepit. Ab hoc sanguinem duxit ille *Johannes Arundell*, qui sub Elisabetha, Jacobo & Carolo I. Cornubiensis provinciæ nomine Parlamenta frequentavit, & Regi postremo nominato, in funestum cum Ordinibus bellum implicito, fidelem ac strenuam una cum quatuor filiis suis navavit operam. Ex iis duos mortem pro illo oppetiisse autor noster refert; RICHARDUS verò restaurationi R. Caroli II. superstes meritorum tum propriorum tum propinquorum suorum hoc tulit præmium, ut ad Baronum gradum per literas d. 23. Mart. a. 1664. eveheretur. Uxor huic erat *Gertrudis* Jacobi *Bagg de Saltham* gnata, quam viduam Nicolai Haning Equitis sibi sociavit, pater ex ea factus *Johannis*, qui *Margaritam*, Johannis *Ackland de Columb-John* filiam jugali fœdere sibi sociavit & genitori a. 1687. mortuo successit.

Insignia, quæ Baro *Arundell de Treyrse* gerere solet, non sunt alia quam quæ Baro Arundell de Wardour defert: *sex nempe hirundines argenteæ nigro in campo.*

CAPUT CVIII.

DE BARONIBUS CLIFFORD ET FAMILIA HUJUS NOMINIS.



JAm ad JOHANNEM CLIFFORD BARONEM CLIFFORD *de Chudley*, illustrissimæ & antiquissimæ prosapiæ virum, ordine quem instituimus, ducimur. Originem Cliffordensis familiæ *Dugdalius* (a) ad quendam *Pontium* Wilhelmo Conquestori coævum refert, eidemque tres tribuit filios *Walterum*, *Dragonem* & *Richardum*, quos inter postremus, ex uxore *Mathilda*, trium itidem filiorum parens factus fuerit, videlicet *Simonis*, WALTERI & Richardi. Horum ætatibus medius interjectus postquam *Cliffordiæ*, quod castrum Herefordiæ est *Vagæ* amni adsitum, domicilium fixisset, *de Clifford* cognominari cœpit, paterque extitit *Rosamundæ*, amoribus Regis Henrici II. nobilitatæ, & in monasterio *Godstovv* in Comitatu Oxoniensi sepultæ cum hoc epitaphio:

Hac jacet in tumba Rosa mundi, non Rosamunda,
non redolet, sed olet, quæ redolere solet.

Ex filiis duobus, quos *Walterus de Clifford* post se reliquit, natu minor RICHARDUS stirpem Cliffordorum *de Framtone* in Glocestria provexit; à majore, qui WALTERUS *Junior* appellabatur, ROGERUS *Clifford* descendit, cujus in bello intestino inter R. Henricum III. & Proceres regni gesto, & Baronico vulgo dicto clarum fuit nomen; initio equidem arma adversus Regem tulit, in tempore verò ad officium reversus, delictum illud summa resarsit fide ac fortitudine omnisque offensæ memoriam delevit, usqueadeo ut in summum gratiæ locum à dicto Rege receptus & largiter remuneratus fuerit. Erat in numero perduellium *Robertus de Vipount*; hujus possessiones peramplas atque in fiscum redactas Rex Cliffordio custodiendas permisit, deinde verò maximam partem dono dedit, postquam assensisset, ut filius ejus cognominis *Isabellam Vipontiam* in uxorem duceret: His latifundiis auctum amplis etiam extulit officiis, quæ successor illius Rex Eduardus I. aliis subinde cumulavit: num erabatur inter ea Walliæ quæstura, quæ quidem acerba ei evenit, & care constitit: cum enim Walli ob graviora, quas imperare eis jussus fuit, tributa insurrexissent & arma corripuissent, collatis utrinque signis filius illius jam memoratus in pugna occubuit. Hujus neci ille quadriennio superfuit, fatoq; suo functus nepotem ex eo ROBERTUM hæredem habuit, multis fortibus factis & gloria militari, quam in Scoticis expeditionibus R. Eduardi I. & II. auspiciis acquisivit, maxime illustratum, & deniq; eodem in bello fatali ad *Bannock moore* prælio absumtum. Filiorum ejus natu majorem ROGERUM hujus nominis *Quartum*, fatorum malignitas, intra adolescentiæ annos indignæ subdidit neci; ad partes enim Thomæ C. Lancastriæ, qui à R. Eduardo II. diffidebat, pertractus vel invitus, cumq; eo post acceptam apud *Borrovvbrigg* cladem captus, securi æque ac ille percussus fuit. Successit ei frater ROBERTUS, cujus filii duo natu majores pari sibi invicem modo successerunt: minoris ex iis, cui

(a) *Baronag.* I. 335.

SCHEMA I. FAMILIÆ
BARONUM DE CLIFFORD

WALTERUS DE CLIFFORD Richardi F. 1164.

Walterus de Clifford II. † a. 1224. *Agnes, Rogeri de Cundi f. & her.* Richardus Sator Cliffordorum de Framtone.

Walterus de Clifford III. dictus Junior † a. 1265. *Margarita Leolini Pr. Walliæ f. Johannis de Braose vid.*

Mathilda nup. 1. *Wilhelmo de Longespée III. C. Salisb.* 2. *Johanni Giffard. de Brimsfield.*

Rogerus de Clifford III. occ. à Wallis d. 6. Novembr. 1282. Ux.

Robertus de Clifford occ. in pr. Bannockmarensi a. 1313. Ux.

Rogerus de Clifford IV. *decoll.* 1321. Robertus de Clifford II. 1344. Ux.

Robertus de Clifford III. † improlis. Rogerus de Clifford V. † 13. Jul. 1389. *Euphemia, Radulphi de Nevill f.*

Thomas BARO Clifford † 18. Aug. 1391. *Elisabetha, Thomæ B. Rosse de Hamlake f.*

Johannes Baro Clifford *Eques Perisc.* occ. in obsidione Meldarum in Gallia 13. Mart. 1422. *Elisabetha, Henrici Percy cogn. Hotspur fil.*

Thomas Baro Clifford n. 1414. occ. in pr. San Alban. 22. Maji 1455.

Johannes Baro Clifford occ. in pr. Touton. 1461. *Margarita, Henrici Bromflete B. Vesci f.* Rogerus Clifford N. *Courtney.* Thomas Clifford. Robertus Clifford *Anna Berkley.*

Henricus Baro Clifford † 23. April. 1523. Ux. 1. *Anna Johannis S. John de Bletso f.* 2. *Florentia Pudsey, Thomæ Talbot de Houghton vid.*

1. Henricus B. Clifford COMES CUMBRIÆ cr. 18. Jun. 1525. *Eques Perisc.* † 22. Apr. 1542. Ux. 1. *Margarita, Georgii Talbot C. Salop. f.* 2. *Margarita, Henrici Percy C. Northumbr. f.* Thomas Clifford. *Lucia, Antonii Brovvn fil.* Eduardus Clifford.

2. Henricus B. Clifford Com. Cumbriæ † 8. Jan. 1570. 1. *Eleonora, Caroli Brandon D. Suffolc. f.* 2. *Anna, Wilhelmi Dacres de Gillesland f.* Ingeram Clifford Eques † *inv.* *Anna, Henrici Ratcliff fil.*

1. Henricus Clifford † juv. Carolus Clifford † juv. Margarita ux. *Henrici Stanley B. Strange C. Darb.* † 1596. 2. Georgius B. Clifford. Com. Cumbriæ *Eq. Perisc.* † 13. Oct. 1605. *Margarita, Francisci Russel C. Bedford. f.*

Franciscus B. Clifford † juv. Robertus B. Clifford † juv. Anna n. 30. Jan. 1590. nup. 1. *Richardo Sackville C. Dorset.* 2. *Philippo Herbert C. Pembr.*

CLIFFORDENSIS,
COMITUM DE CUMBERLAND.

Margarita.

Lucia uxor 1. *Hugonis de Say* 2. *Bartholomæi de Mortimer.* Rosamunda Pellex *Regis Henrici II.*

Rogerus de Clifford † 1334. *Sibylla Roberti de Evvyas f.* Ægydius Clifford. Richardus Clifford.

Rogerus de Clifford II. † 1287. Ux. 1. *incomperta.* 2. N. *Com. de Lauretania ducta a.* 1273.

Isabella, Roberti de Vipount fil. & cohæres.

Mathilda de Laci Thomæ de Clare matertera & hæres.

Isabella, Mauritii B. Berkeley f.

Ux. *Mathilda, Thomæ de Beauchamp C. Warvvic. fil.* Thomas Clifford.

Wilhelmus Clifford, Eques † improlis 1418. *Anna, Thomæ Bardolfe fil. & coh.* Ludovicus Clifford *Vid. Tab. seq.*

Mathilda nup. 1. *Richardo de York Com. Cantabrig.* 2. *Johanni Nevil Bar. Latimer.*

Ux. *Johanna, Thomæ Bar. Dacres de Gillesland. f.*

Elisabetha nup. 1. *Roberto Humpton* 2. *Wilh. ejus fratri.* Mathilda ux. *Thomæ Harington de Aldingham* 2. *Eduardo Dudley.* Anna nup. 1. *Richardo Tempest.* 2. *Richardo Conyers.* Johanna ux. *Sim. Musgrave.* Margarita nup. *Roberto Carpe.*

Richardus Clifford, † improlis. Elisabetha nup. *Roberto Aske.*

Mabilia nup. *Wilhelmo Fitz-Williams Com. Southanton.* Johanna ux. *Radulphi Bovves.* Anna nup. *Roberto Metcalf.* Eleonora ux. *Niniani Markenfield.* 2. Dorothea nupta *Hugoni Lovvther.*

Catharina nup. 1. *Johanni B. Scroope de Bolton.* 2. *Richardo Cholmley de Roxby.* Mathilda ux. *Johannis B. Coniers de Hornby.* Elisabetha nup. *Christoph. Metcalf.* Jana nup. *Johanni Huddlestone.*

Franciscus Clifford Com. Cumbriæ † 1641. *Grisolda Thomæ Hughes de Uxbridge fil.* † 16. Jun. 1613. Francisca nup. *Philippo Bar. Wharton.* Eleonora † juv. Maria † juv.

Henricus Clifford Com. Cumbriæ † 11. Dec. 1643. *Francisca, Roberti Cecil C. Salisbur. f.* † *14. Febr. 1644.* Margarita ux. *Thomæ Wentvvorth C. Strafford.* Francisca nupta *Gervasio Clifton.*

Elisabetha n. 1613, nup. 5. Jul. 1635. *Richardo Boyle Vicec. Dungarvan Com. de Burlington & de Corke.*

SCHEMA II. FAMILIÆ CLIFFORDENSIS.

LUDOVICUS CLIFFORD Rogeri V. F. *Eques Periscelidis* † a. 1405. *Alienora*.

Wilhelmus Clifford † 1437. *Elisabetha* N. uxor *Philippi la Vache* *Arnoldi Savage fil. & hæres.*

Ludovicus Clifford † ante patrem *Anna Molins.* — Johannes Clifford *Florentia Johannis S. Leger f.*

Alexander Clifford de Holme in Com. Cantii. — Thomas Clifford de Borscombe *Thomasina Joh. Thorpe f.*

Wilhelmus Clifford de Borscombe. *Elisabetha Vaux de Odiham.*

Henricus Clifford de Borscombe † 1577. *Elisabetha, Wilhelmi Carrant de Tumber f.*

Antonius Clifford de Borscombe † 1580. *Anna, Petri Courtney de Chudley f.*

Thomas Clifford de Ughbroke † 1634. *Amicia, Hugonis Steplehill de Bremble f.*

Hugo Clifford de Ughbroke † 1639. *Maria, Georgii Chudley de Ashton f.*

Thomas BARO Clifford de Chudley cr. 18. Apr. 1672. † *Elisabetha, Wilhelmi Martin de Lindridge fil. & coh.*

Hugo Baro Clifford de Chudley. — Johannes Baro Clifford.

cui ROGERO nomen erat, eximia in bellis Gallicis sub Regibus Eduardo III. & Richardo II. gestis fuit gloria.

THOMAS *de Clifford*, *Rogeri* filius, gentis suæ primus est, cui Baronis titulum *Dugdalius* tribuit, licet progenitores ejus inde à Roberto I. ad Ordinum Comitia citati, atque adeo in Parium regni numero reputati fuerint; erat ille quoque non inglorius militiæ & Carleolo præfectus, sed in robore ætatis rebus humanis exemtus, relicto post se filio JOHANNE; is in bello Gallico sub auspiciis R. Henrici V. à quo *aurea periscelide Sangeorgiani Ordinis* cohonestatus est, multa egregiæ fortitudinis specimina edidit, ac in Meldensis civitatis oppugnatione mortem oppetiit. Filium ejus THOMAM, nepotemque ex eo JOHANNEM constans erga domum Lancastricam studium & fides usque ad perniciem culta nobilitavit: ambo enim sanguinem vitamque, cum pro R. Henrico VI. adversus Eduardum Eboracensem acerrime dimicarent, profuderunt, prior in prælio San-Albano; alter in Tutonensi, de quo referunt, quod in Wakefeldensi pugna, qua Regii superiores discesserant, tantam suapte manu hostium cædem ediderit, ut *lanio* militaribus appellaretur facetiis. Vidua ab ipso relicta, cum filiis suis malum formidaret ab Eduardo Eboracensi, per Tutonensem victoriam rerum potito, clam submovendos duxit, proindeque natu minorem in Belgium transportari curavit, majorem vero fidei opilionis in Eboracensi Comitatu concredidit; dissipans ambos trans mare missos ignoto sibi loco agere. Sed RICHARDUS brevi temporis spatio interjecto mortem in Belgio obiit; HENRICUS autem inter agrestes educatus, rudis ac omnium literarum expers adolevit; ita ut postquam conversis rebus & Henrico Richmondio, qui è Lancastricis ortus erat, ad regnum evecto, in honores & possessiones avitas restitutus esset, nomen suum literis exprimere tantummodo disceret; astronomicis tamen speculationibus in solitudine sua vacasse, iisque tota deinceps vita magno cum progressu deditus fuisse memoratur; militiæ autem rudimentis, ex quo in lucem protractus fuit, imbutus, ordines in bellis Scoticis duxit.

Erat ei patruus ROBERTUS *Clifford*; is à familiari erga Lancastrensem domum studio aliquando visus est descivisse, cum Perkini Warbeck sub persona Richardi Ducis Eboraci adversus R. Henricum VII. excitati, partes suscepisset, & clandestinam ex Anglia discessionem ad Margaritam Eboracam Burgundiæ Ducissam, fabulæ istius architectricem, fecisset; facili vero negotio ad Regias retractus partes, cum indicium etiam omnis conjurationis & complicum ejus detulisset, dubium fecit, sponte ne an sciente & subornante Rege in Flandriam discesserit.

Henricus *Clifford*, *Henrici* F. ineunte adolescentia vitiis prodigalitatis & contumaciæ deditus fuisse fertur, quæ tamen, postquam ad bonam se recepisset frugem, multis emendavit virtutibus, novisque se dignum reddidit honoribus: à R. Henrico VIII. enim axiomate *Comitis Cumbriæ*, quem titulum nemo ante ipsum gesserat, auctus Equitibus Ordinis *Aureæ periscelidis* adscriptus, atque officiis Præfecti Carleolensis arcis oppidique & limitis Occidui, necnon Præsidis Regii Concilii in partibus Borealibus amplificatus. Successit ei *filius cognominis*, qui adversus Comites Northumbriæ & Westmoriæ rebelles Carleolum communivisse & manum militarem contraxisse apud *Camdenum* (a) legitur; genuit is è priore uxore *Eleonora Brandonia* gnatam, *magna spe & pompa*, ejusdem autoris (b) verbis utor, *nuptam Henrico filio Comitis Derbiæ, ut unicam familiæ heredem. Sed hæc spes evanuit, cum ille è secunda uxore Anna Dacrea duos procreasset filios, qui in paterno honore invicem successerunt.* Horum natu majorem GEORGIUM matheseos cultura & rei navalis peritia nobilitarunt: quibus studiis ita deditus fuisse *Dugdalio* memoratur, ut ea in usum & praxin deducendo, naves ac hippodromos ædificando & maria obeundo plus avitarum possessionum consumserit, quam quisquam majorum ejus. Inter expeditiones verò ejus maritimas illam maxime narratu dignam *Camdenus* (c) reputavit, quam anno 1598. suscepit, classe XI. navium suis impensis instituta, ut Caraquas Lusitanas è Tago in Indiam Orientalem solventes interciperet; illis autem è portu exire non ausis ad Canarias cursum direxit, Lanceratamque cum oppido cepit & diripuit; inde ad Boriquenam terram conscendit & facto agmine Portum-Ricum aggressus, unoque & altero munimento expugnato, oppido potitur vix XXX. desideratis, etsi ibidem CCCC. præsidiarii præter incolas. Hic ille, quum ob opportunitatem situs Americæ clavis ab Hispanis haberetur, sedem belli statuere cogitavit, incolasque omnes submovit, etsi in loci redemtionem opulentas merces aurumque & argentum factum offerrent. Sed dysenteria cum torminibus inter Anglos mox ita grassari cœpit, ut LX. diebus quibus ibi egerunt, septingentos absumserit, necessarioque domum redierit, plus victoriæ quam prædæ reportans: gravi tamen damno Hispanis illato, quod per ipsum eo anno neque Caraquæ in Indiam Orientalem solverint, nec classis Americana in Hispaniam redierit. Quoniam filios duos, quos genuerat, turbato mortali-

tatis

(a) *Annal. Elis. p. 169.* (b) *Ibid. p. 192.* (c) *Ib. l. 775.*

tatis ordine ante se defunctos extulit, hæredem castrorum & prædiorum omnium fratrem FRANCISCUM scripsit, gnatæ suæ unicæ *Annæ* summam XVM. librarum legavit, reliqua creditoribus suis permisit. *Franciscus* itaque in honorem *Comitis* Cumberlandiæ & ditiones avitas successit, easdemque vivis exemtus filio HENRICO reliquit; quo sine mascula prole mortuo cum ex Henrici primi Comitis Cumbriæ propagine mas nullus superesset, transtulit R. Carolus I. ineunte anno 1644. Cumbricum titulum Ducali auctum axiomate in *Rupertum Comitem Palatinum* è sorore sua natum; cum eo prole destituto, postquam iterum expirasset, resuscitatus haud ita pridem est à R. Wilhelmo III. & *Georgio Principi Daniæ* una cum indigenatus jure collatus.

Non emarcuit tamen omnis Cliffordorum stirps cum ramo capitali, sed floret hodieque in agnatis, quos inter caput extulit ille, quem LUDOVICUS *Clifford*, *Thomæ* primi ex hac gente Baronis frater natu minimus, prosevit, fœcundis diffusus palmitibus: eo enim Cliffordii in Cantii, Wiltoniæ & Devoniæ Comitatibus habitantes prognati sunt. A Devoniensibus ortus erat THOMAS CLIFFORD, quem R. Carolus ob fidem & industriam cognitam in officio Thesaurarii Palatii Regii, quod obierat, ad Baronum gradum sub titulo *Lord Clifford of Chudley* evexit, & paulo post munere Summi Angliæ Thesaurarii auxit: eo fato paucis abhinc annis functo HUGO Clifford, huic autem JOHANNES, frater forcassis, successit.

Scutum Cliffordorum gentilitium *tessellis argenteis & cæruleis variegatum fasciaque argentea interstinctum* est: huic *Baro Clifford* hodiernus *lunulam falcatam* discerniculi ergo imponit; in *apice* clypei coronato *draco* conspicitur.

CAPUT CIX.

DE RELIQUIS ANGLIÆ BARONIBUS.



AD metam denique perventum est, quam hunc anhelare non dissimulo animum, negotiis, curis, luctuque recenti & desiderio pientissimi Patris, sublati proh dolor! ex oculis, obrutum, distractum, turbatum ac afflictum. Dum Patrem mihi sublatum dico, partem viscerum meorum abruptam dico, ita nihil quidquam inter res humanas suavius charius pensiusque illo mihi fuit. Enim verò hic non amandus, hiccine non ferendus in oculis atque habendus in deliciis erat? qui patriæ, familiæ, mihi, dum vixit, ornamento fuit ac præsidio; quo nemo pater nec vir melior extitit, nemo pietate præstantior; cujus quasi lumen quoddam eluxit sapientia, non terrestris aut animalis; sed illa, quæ desursum est, quæ casta est, deinde pacifica, modesta, æqua, obsequiosa, misericordiæ plena bonisque referta fructibus, non dijudicans & minimè simulatrix. Omnino fuit hæc in dulcissimo Genitore indoles, animus nescius fuci, simulationis, histrioniæ, quam totus nunc exercet mundus, expers audaciæ & cupiditatis pravæ, vacuus à philautia, ambitione, vindicta, ἐπιχαιρεκακίᾳ γ' sed mens bona, aperta, simplex, candida, pura, voluptatum & quæstus contemptrix, nihil sibi vindicans & tamen assequens omnia, semper infra aliorum æstimationem se metiens, parére atque imperare juxtà parata, laudem conferens in medium potius quàm ex communi ad se trahens, ad publicam utilitatem cuncta referens, facilis præterea, tractabilis, benigna, humilis, & benefaciendo magis eminere quam potestate cupiens, ea denique misericordia & mansuetudine semper prædita, ut nemo unquam ab illo frustra auxilium petiverit, nemo tristis à facie ejus discesserit, quin ipse intimis angeretur sensibus; quam tamen humanitatem gravitate ita temperare novit, ut, quod in Agricola Tacitus laudavit, nec facilitas autoritatem, nec severitas amorem diminuerit. His moribus, viro bono & Christiano dignis, mira aderat conspiratio & consensus illarum virtutum, quæ virum civilem & Senatorii ordinis exornant: nimirum dexteritas in rebus agendis magna, fides ac prudentia in administranda Republica summa, facundia facilis, industria inexsuperabilis, eruditio varia, peritia rerum & exemplorum omnisque historiæ excellens, scientia in rebus patriis planè singularis, eaque parta lectione assidua: neque enim tantum ætas dum vigeret, sed etiam cum corpus jam annis infirmum esset, præstantia bonorum auto-

rum scripta, omnia patrio archivo immersa monumenta, omnes situ ac senio obliteratas chartas inexplebili legendi aviditate pervolutavit, sidemque excedente memoria ita singula exhausit atque in numerato habuit, ut vivum & spirans archivum meritò sit appellatus. Jam in his, quæ nos quoque delectare solent, studiis papæ quantus erat! illustrium familiarum & magnatum Orbis Christiani omnium nomina, origines, cognationes, ætates & quidquid ad publicas privatasque eorum res pertinet, percalluit, & extemplò ac expeditè enumerare potuit. Atque hanc tam felicem, tam fœcundam ejus memoriam judicium neutiquam destituit, ceu vulgò assolet, sed rarissima copula id rectum, acutum & subtile prorsus habuit. Tot virtutibus, dotibus ac ornamentis cum una omnium cordatorum sententia redundaverit beatissimus Parens, queî ea & jacturam, quam fecimus, reputando temperem à luctu, à dolore? quei desiderio ejus non angar ac discrucier? At ille in manu Dei, quem sanctissimè semper coluit, in quo spei fiduciæque suæ anchoram unicè defixit, cujus gratia vitam benè actam ἐυθανάτως absolvit, placidè quiescat! fruatur anima dilectissima æternis gaudiis, exuviisque sit terra levis! Quidquid in ipso amavimus, quidquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, in fama rerum. Multos velut inglorios & ignobiles oblivio obruit; Wilhelmus Imhofius posteritati narratus & traditus superstes erit.

Ignosce Benevole Lector, quod hæc scribens mihi aliquid dederim: redeo jam eò, unde me pietas abduxit filialis, atque extremam huic operi manum impositurus nomenclationem residuorum Angliæ Baronum subjungo: quoniam enim isti his posterioribus annis, & post editum Dugdalii Baronagium in illum adsciti sunt ordinem, ampliore de iis & originibus eorum notitia destituor, neque quam ex Anglia nancisci sperabam, diutius exspectandi spatium superest.

Georgius Carteret Baro Carteret Cliffordium proximè sequitur: hunc R. Carolus II. ad hunc provexit gradum, postquam avi sui *Georgii Carteret de Metesches*, Vice-Cubicularii domus Regiæ munere functi & ineunte anno 1680. mortui, hæreditatem crevisset; uxorem habet *Gratiam Grenevillam*, Johannis Comitis Bathoniæ filiam.

Succedit huic *Johannes Bennet Baro Offulston*, quem fratrem esse Henrici Bennet Comitis Arlingtoniæ supra notavimus, uxori ejus prænomen *Brigita* tribuitur.

Georgius Legge Baro Dartmouth hoc honore exeunte anno 1682. affectus est à R. Carolo II. sub quo rei tormentariæ præfecturam gessit, quæ torum ejus partitur, *Barbara* à Sandfordio appellatur.

Ægydius Allington Baro Allington filius est *Wilhelmi Baronis Allington*, quem Rex sæpè laudatus eadem, de qua modo dictum est, creatione Angliæ Paribus adscripsit, cum anteà tantum in Procerum Hibernicorum numero fuisset: vitam is cum morte commutavit d. 12. Febr. 1685. relicta post se vidua *Diana Russella*, Wilhelmi Com. Bedfordiæ gnata; hanc verò non unicam ejus fuisse uxorem, sed tenuisse ante illam matrimonium ejus arbitror *Catharinam Stanhopiam*, Philippi Com. de Chesterfeild filiam; utrum vero etiam *Juliana Noel*, Baptistæ Vicec. Campden gnata, quam *Wilhelmi B. Allington* uxorem Tab. CI. diximus, ejusdem conjux an mater fuerit, dijudicare non ausim. *Elisabetha Allingtonia*, Caroli Seimori *B.* de Trovvbridge vidua, eaque Ducis Somersettiæ mater, soror ejusdem esse videtur. Cæterùm familiam Allingtoniam non hoc demum illustratam esse seculo, sed superiore etiam ævo claram & conspicuam fuisse è subjunctis *Camdeni (a)* verbis videre est: *Wimondley* in Herfordia situm, inquit ille, *antiquum & celebre prædium est, quod honoratissimo apud nos jure (Grand Sergeantie Juris periti nostri vocant) tenetur, nimirum ut possessor Regibus Angliæ, quo die inaugurantur, primum ministret scyphum, & sit quasi regius pocillator. Quem honorem ratione hujus prædii primis Normannorum temporibus nobiles Fitz-Teca dicti gesserunt, à quibus per filiam ad Argentonios devenit. Hi à Davide de Argentonio Normanno viro militari, qui sub Guilielmo primo meruit, & nomen & stemma duxerunt, & in hujus rei memoriam tribus scyphis argenteis in clypeo rubro usi sunt. Verum deficiente tandem prole mascula Henrici VI. tempore, Elisabetha Argentonia, quæ so idam hæreditatem crevit,* Guilhelmo Allingtono *Equiti enupta amplissima hæredia cum hac dignitate attulit, à quo septimus est* Ægydius Allingtonus *hujus familiæ hæres,*

Fee pupillus

(a) *Descr. Brit. p. 310.*

INDEX
FAMILIARUM ET TITULORUM,

In quo illæ *antiquis* literis, hi *curſivis* (ceu loqui amant) diſtincti ſunt: *numerus minor* nudè poſitus *Capita Partis prioris*, ille autem, cui litera *p.* eſt præpoſita, *Partem poſteriorem*, *major* ſive *Romanus Tabulas* denotat: In concurſu numerorum primus ubique ad illam ſe refert familiam, quæ in præſentia adſcripto utitur titulo. Literæ denique D. M. C. Vic. & B. diverſa axiomatum genera, nempè *Ducis, Marchionis, Comitis, Vicecomitis* & *Baronis* innuunt.

de

Eger

L. dela

de Tin-


ROMA

